

Inter libros
Josephi Mariae Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

RITVALE SACRAMENTORV̄ ROMANVM

GREG. PP. XIII. PONT. M.

IVSSV EDITVM.

ROMÆ MDLXXXII.

Rituale Romanum sub Paulo V. impressum ex Codice Vaticano, sed iustis de causis incompletum, et summa sollicitudine suppressum. Sic extat titulus in simili Bibliothecæ Ill.mi Em.mi ac eruditissimi Hieronymi Card. Casanatæ apud PP. Ord. Prædicat. de Urbe.

De hac, haud absoluta et adprobata Ritualis Romani editione, ejusque rarissimis exemplaribus v. Epist. Ben. PP. XIV. ad Cardinalem Guadagnium a. 1755. § 18. et Zachariam Bibl. Rit. to. I. pag. 145-46.

RITVALIS ROMANI

LIBER PRIMVS.

De ijs, quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſunt obſeruanda.

PAROCHVS, vel quiuis alius Sacerdos, ad quem Sacramentorum miniſtratio pertinet, meminiſſe in primis debet, ſe ſancta tractare; ſeq́. omni ferè temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtrationis officium paratum eſſe oportere.

Quamobrem illud perpetuò ſtudebit, vt vitam purè, caſtè, & religioſè agat; mentemq́. & omnes cogitationes ſuas ab omni peccati labe alienas, puras, atque integras, quantùm fieri poteſt, diuina iuuante gratia, diligenter conſeruet. Nam etſi Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſunt, impurè tamen ea miniſtrantes in æternæ mortis reatum incurrunt.

Siquis itaque mortalis peccati ſibi conſcius Sacramentum aliquod miniſtraturus eſt, præter contritionem, quæ neceſſaria eſt, ſacramentalem etiam Confeſſionem, ſi copia confeſſarij, & ſpatium confitendi detur, antè adhiberi conueniet, quàm eiuſdem Sacramenti miniſterium aggrediatur.

Quacunque diei, aut noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabitur, nullam officio ſuo præſtando, ſi neceſſitas vrgeat, moram interponet. Ac propterea populum ſæpè, prout ſeſe offeret occaſio, præmonebit, vt cùm ſacro miniſterio opus fuerit, ſe quamprimùm, nulla temporis, loci, aut cuiuſcumque incommodi habita ratione, accerſant.

Ipſe verò antequàm ad huiuſmodi miniſtrationem accedat, paululùm, ſi opportunitas dabitur, orationi, & ſacræ rei, quam acturus eſt, meditationi vacabit: atque ordinem miniſtrandi, & cæremonias pro temporis ſpatio præuidebit, & perleget.

Adhibebit quoque aliquot Clericos, prout loci, & Sacramenti ratio poſtulabit, decenti habitu, & ſuperpelliceo indutos.

Curabit etiam, vt ſacra ſupellex, veſtes, ornamenta, linteamina, & vaſa miniſterij nitida ſint, & munda.

In omni Sacramentorum adminiſtratione ſuperpelliceo indutus ſit, & deſuper ſtola eius coloris, quem Sacramenti ritus expoſcit.

Librum hunc Ritualem, quem Clericus deferet, ſemper, cùm miniſtrabit, ſecum habebit; de quo libro preces, & alia rectè leget: nec memoriæ ſuæ, quæ plerunque labitur, facilè confidet.

Sacramenti, quod miniſtrabit, virtutem, vſum, ac vtilitatem, & cæremoniarum ſignificationes, prout temporis, ac perſonarum ratio tulerit, ex ſanctorum patrum, & Catechiſmi præſertim Romani doctrina, diligenter explicabit.

Ritibus autem, & cæremonijs vtetur hoc libro præſcriptis; quibus nihil, ne alicuius quidem priuatæ deuotionis cauſa, addet, aut detrahet, nec quicquam ex eis mutabit; niſi aliter quandoque rubrica ſuo loco indicauerit faciendum.

Sacramentum aliquod cùm miniſtrat, ſingula verba, quæ ad illius formam, & miniſterium pertinent, attentè, diſtinctè, & piè, atque pro ratione Sacramenti clara voce pronuntiabit: ſimiliter & alias orationes, & preces deuotè, & religioſè dicet.

Reliquas inſuper cæremonias, & ritus ita decenti, grauiq́. actione peraget, vt adſtantes ad ſublimium rerum cogitationem erigat, & attentos reddat.

Sciatq. sui officij esse, fideles sibi commissos, orationibus, doctrina, & omni sacerdotali industria tales efficere, quibus dignè Sacramenta ministrari possint.

Dum ad ministrandum procedit, rei, quam tractaturus est, intentus sit; Psalmos, & orationes recitet: nec de ijs, quæ ad rem non pertinent, quicquam cum alio loquatur.

In ministratione verò ipsa actualem intentionem habere studeat; aut saltem virtualem; vt scilicet in principio intendat facere, quod facit Ecclesia, ac, si postea mens ad alia cogitanda rapitur, atque euagatur, virtus tamen prioris intentionis retineatur. Cæterùm ita præmeditatus, & paratus accedat, vt in actuali intentione perseuerare, & ad eam, siquando huiuscemodi euagatio ex humana infirmitate contingat, faciliùs redire possit.

Illud porrò ante omnia cauebit, ne in Sacramentorum administratione aliquid quauis causa vel occasione, directè vel indirectè exigat, aut petat; sed ea gratis ministret; & ab omni prorsus simoniæ, atque auaritiæ suspicione, nedum crimine, longissimè absit. Siquid verò eleemosynæ nomine, aut deuotionis studio sponte, vltroq. à fidelibus offeratur, id licitè pro laudabili consuetudine locorum accipere potest.

Vt autem Sacramentis, ab ijs, qui ea suscepturi sunt, externus quoque religionis cultus tribuatur, non sinet quemquam ad illa accedere, nisi habitu decenti, ac vestium modestia debitam illis venerationem præbeat. Proinde curabit, vt mulieres velato semper capite accedant; viri autem detecto; qui etiam, præsertim cùm Sacerdoti peccata sua confitentur, vel sacræ Eucharistiæ communionem sumunt, arma deponant.

Iudæos, Infideles, Hæreticos, Schismaticos, & Excommunicatos non patietur in Sacramentorum administratione adesse.

Fideles autem, qui adsunt, monebit, vt remoto inani colloquio, & actu indecenti, piè ac deuotè Sacramentis intersint.

Cætera omnia rite, & ordine proprijs locis singillatim præscripto, quemadmodum vniuscuiusque Sacramenti administrationi conuenit, obseruabit.

De

De obseruandis in administratione sacramenti Baptismi, præsertim paruulorum.

BAPTISMI sacramentum Parochus, seu aliùs Sacerdos, qui animarum curam exercet, administraturus, primùm animaduertat, vbi plures præsertim fuerint Ecclesiæ baptismales, ne paruulos alienæ parochiæ, nisi in casu necessitatis, aut Episcopi vel proprij Parochi permissu, aut Superioris priuilegio, baptizet.

Deinde ex ijs, ad quos spectat, cognoscat, an infans domi baptizatus sit: si baptizatum eum fuisse responderint, diligenter inquirat, quæ verba adhibita fuerint in Baptismo; ac si certò compererit, debitam formam fuisse seruatam, nempe: EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, nullo modo iteret Baptismum, sed ea tantùm omissa suppleat, quæ ad Sacramenti solennitatem spectant: vt habetur infrà in Ordine supplendi omissa super baptizatum.

Si verò certò non compererit, aut aliàs dubium sit, an fuerit huiusmodi forma seruata, vel Baptismus rectè collatus (quod plerunque contingit, cùm imperitæ mulieres partus tempore, imminente periculo, baptizant) infans baptizetur sub conditione, & cum adiunctione horum verborum: SI BAPTIZATVS ES, NON TE REBAPTIZO; SED SI NONDVM BAPTIZATVS ES, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. vt & infrà suo loco ponitur.

Quòd si responsum fuerit, aut aliunde constet, infantem baptizatum non esse, Baptismus simpliciter præbeatur, secundum formam consuetam, absque vlla conditione, aut adiunctione verborum, vt suprà.

Verùm si ignoretur, aut ambigatur, vel certa indicia non appareant, an infans fuerit baptizatus (vt de expositis, & inuentis, de quorum Baptismo non constat, sæpè dubitari solet) sub dicta conditione, & adiunctione verborum baptizetur.

Sub eadem etiam conditione baptizandi sunt, qui antequàm ex vtero matris prorsus prodierint, in aliquo membro, non autem in capite, baptizati sunt: nam si caput infantis iam foras prodierit, & in eo sub debita forma fuerit baptizatus, non est ampliùs sub conditione baptizandus, sed preces, & alia solennia supplenda sunt. Scire enim debet Sacerdos, sibi non licere passim sub huiusmodi conditione, aut adiunctione verborum baptizare; ne fortè Baptismum, vbi non oportet, iterans, in irregularitatis notam incurrat.

Cùm humanum monstrum natum fuerit, antequàm dijudicetur, vtrùm vna, an plures personæ sint, nisi mortis periculum instet, non baptizetur.

Si vnica tantùm persona sit, seu si vnum tantùm caput habeat, etiam si alia eius membra geminata vel plura sint, tanquam vnus homo baptizetur.

Si verò duæ, pluresve personæ esse dignoscantur; aut duo, plurave corpora, seu capita, & pectora ita separata, & distincta habeat, vt duos, vel plures homines esse perspicuè, ac manifestè appareat; singuli simpliciter baptizentur.

Sed & tunc cùm duæ, pluresve personæ censentur, eo quòd duo plurave capita, aut pectora habeat, si propinqua mors imminere videatur, & periculum sit in mora, Sacerdos poterit eas in plurali numero baptizare, dicens; EGO VOS BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ETC.

Sin autem certum non est, plures esse; vtputa, quia non habet duo, vel plura capita, & pectora benè distincta, ex quibus discerni possit, plures inesse animas rationales; singulæ, quot in monstro existimari possunt, personæ baptizentur; prima quidem simpliciter, aliæ verò sub conditione.

At si monstrum, quod humanam speciem non præseferat, fortè natum fuerit, non videtur baptizandum; nisi peritiores antea consulantur: quod & in superiori-

bus, & similibus alijs dubijs casibus faciendum est.

Sciscitetur etiam Presbyter, quem, vel quos elegerint, qui baptizatum de sacro fonte suscipiant: nec nisi vnum tantùm, siue virum, siue mulierem, iuxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnum, & vnam, iuxta sacri Tridentini Concilij decretum, admittat; & hi saltem in ætate pubertatis existant; qui etiam Confirmationis sacramento consignati esse deberent, & scire orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & præcepta Decalogi, vt susceptos, sicut eis incumbit, rudimenta fidei docere queant.

In susceptores verò non admittantur Monachi, Sanctimoniales, & alij Regulares, quòd id eorum repugnet instituto, cùm derelicto seculo diuinæ contemplationi vacare debeant.

Sed nec Infideles, Hæretici, vel Schismatici, neque etiam publicè Excommunicati, aut alia censura Ecclesiastica ligati, aut homines facinorosi, & notoriè infames ad huiusmodi munus admittendi sunt.

Quocirca Sacerdos fideles sæpiùs in Domino admonebit, vt in deligendis compatribus, non tam nobilitatis, aut diuitiarum rationem habeant, quàm pietatis, & virtutum, quibus præditi sint, quos in patrinos delegerint filiorum; & vt ij tales sint, qui animarum potiùs, quàm corporum possint necessitatibus subuenire. Quòdq. non expedit, eos in patrinos adhiberi, qui non modò proprijs filijs rectè pièq. instituendis sedulam curam non impendunt, verùm etiam pernicioso vitæ exemplo malè agendi viam præmonstrant. Et quòd valde congrueret, in patrinos eligi viros pios, & timentes Deum, qui & proprios liberos rectè educauerint, ac exemplo innocentis vitæ, & Christianæ pietatis officijs alios instruere, & suo muneri satisfacere possint; quiq. saltem eo anno peccata sua Sacerdoti confessi fuerint, & sacram susceperint Eucharistiam.

Et cùm dilectio charitatis per Baptismum debeat propagari, non expedit, proximiores consanguineos in patrinos adhiberi.

Sed neque decet, in Baptismate virum & vxorem simul alicuius patrinos esse, seu eundem simul tenere.

Atque vt discretio sit inter spiritualem generationem, & carnalem, caueat baptizans, ne qua ignorantia, vel errore, fraude, malitiaue pater, aut mater propriam sobolem de sacro fonte suscipiat; licèt in necessitatis articulo, cùm alius non adest, qui hoc præstet, etiam propriũ filium, ne sine salutis Sacramento decedat, baptizare possit.

Doceat Presbyter, præter vnum, & vnam, vt suprà, admissos patrinos, qui in Baptismo tenuerint, vel de sacro fonte susceperint, quosuis alios, etiam si tetigerint, spiritualem non contrahere cognationem.

Quamuis autem à nonnullis asseratur, patrinos ad cognationem contrahendam, necessariò pro paruulis, quos in Baptismo suscipiunt, respondere debere; illud tamen verius, & sacris Canonibus magis consentaneum existimandum est, de necessitate tantùm esse, vt qui patrini esse volunt, de sacro fonte suscipiant, seu leuent baptizatum, vel eum teneant in Baptismo, non autem, vt & respondeant; tametsi pro veteri instituto, ac solemnitate, eos etiam respondere conueniat.

Admoneantur præterea reliqui, mulieres præsertim, & imperiti, neminem post Baptismum tangendo albam, vel infantem, etiam in locis inunctis, aut lauando manus, aut quid simile præter institutum, vel iuxta quorundam abusus faciendo, eiusmodi cognationem inire.

Ipse verò Presbyter caueat, ne albas, siue linteola, quæ imponuntur infantibus baptizatis, ad hoc asseruet, vt tradantur, vel transmittantur ijs, quos parentes baptizati sibi compatres, vel commatres fieri cupiunt; sed ea comburat in sacrario, vel diligenter abluta, in vsum tantùm Ecclesiæ conuertat, aut pro alijs pauperibus baptizandis in Ecclesia conseruet.

Moneat insuper eos, ad quos spectat, vt paruulos suos religiosè, & sine pompa ad Ecclesiam deferant.

Admoneat item de nomine imponendo infanti, vt turpe non ſit, non obſcœnum, non ridiculum, non brutorum animalium, nec quod ethnicorum, præcipuè autem impiorum, aut ſceleratorum hominum memoriam referat, ſed in Chriſto regenerandis conueniens: cùm Chriſtianos maximè deceat, paruulis ſuis Sanctorum nomina imponere.

Porrò animaduertat, ne in ipſa ſacri Baptiſmatis adminiſtratione interſint Hæretici, Iudæi, vel alij Infideles; ſed nec etiam Catechumeni; &, vt inquit ſanctus Dionyſius; Mihi nemo profanus obſtrepat, nullus, qui rudimentis cœleſtibus careat, pergat ad videndum. Neve, cùm hoc tam præcipuum Sacramentum adminiſtratur, ioci, riſus, petulantes actus, & immodeſti, clamoresve fiant: ſed & qui adſtant, omnes deuotè, & cum attentione interſint. De Eccleſ. hierar. cap. 2. in princ.

Ac ſi tempus ſuppetat, aut fuerit opportunum, aliquid de huiuſmodi Sacramento, illiusq. neceſſitate, ac effectu, breuiter dicat.

Ipſe etiam Presbyter prouideat ea, quæ ad ſe pertinent, vt hoc Sacramentum ritè, & rectè miniſtret: quid acturus ſit, attentiùs cogitet, & expendat; ac primùm ſeipſum probet, vt ſine conſcientia peccati mortalis purè & ſanctè huiuſmodi Sacramentum, ſicut & alia, adminiſtrare poſſit.

Non in aulis, nec in cubiculis, neque in alijs priuatis domibus, ſed in Eccleſia dumtaxat, in qua fons eſt ad id ſpecialiter deputatus, audeat baptizare; niſi talis neceſſitas inciderit, propter quam acceſſus ad ipſam Eccleſiam abſque periculo haberi nequeat; aut Regum, vel magnorum Principum, quibus poteſt in hoc caſu deferri, liberi extiterint, iuxta Concilij Viennenſis conſtitutionem; & tunc in eorum Cappellis, vel Oratorijs, ſi commodè poſſit, Baptiſmum miniſtrari decet. Clemen. vnica. de Baptiſmo.

Aqua verò Baptiſmi eo anno ſit benedicta in Sabbato ſancto Paſchæ, vel Sabbato Pentecoſtes, quæ in fonte mundo diligenter & nitidè conſeruetur: & hæc, vbi noua benedicenda eſt, proijciatur in Baptiſterij, vel in aliud Eccleſiæ ſacrarium.

Baptiſterium autem, vbi non extra Eccleſiam, in proprio loco, vel Oratorio, (vt in Cathedralibus præſertim, & principalibus Eccleſijs eſſe deceret) ſed intra Eccleſiam habetur; in ipſius Eccleſiæ ingreſſu, ad ſiniſtram ingredientium partem extructum, & collocatum exiſtat, ferroq. vel lapide, aut ſaltem cancellis ligneis circumſeptum.

Et vbi Baptiſmus fit per immerſionem, Baptiſterium humiliùs iaceat, ac latè patens cum ſuis gradibus extruatur; vt in eo, etiam adulti commodè immergi poſſint.

Sit præterea Baptiſterium vndique benè clauſum, ſera & claue munitum, & adeò contectum, vt nec puluis, neque ſordes intrò penetrent, ac decenter ornatum, eiusq. vas ſit marmoreum, vel ex alio ſolido lapide, qui aquam continere valeat; & vbi tale commodè haberi non poteſt, ſit ſaltem fictile, glutine vitreo, vel alio illitum, quod intra ipſum Baptiſterium calce, & cæmento, vel bitumine coaptatum, & benè firmatum ſit.

Ad hæc Sacerdos caueat, ne aqua, cùm Baptiſmus fit per infuſionem, ex capite baptizati defluat in fontem baptiſmalem, ſed in ſacrarium Baptiſterij prope fontem extructum; aut in aliqua pelui, ſeu vaſe ad hunc tantùm vſum deſtinato recepta proijciatur in prædictum, vel aliud Eccleſiæ ſacrarium; in quod ſimiliter ablutio manuum ſacerdotis poſt Baptiſmum immittatur.

In regionibus frigidis, & glacialibus, vbi præſertim hyeme aqua Baptiſmatis tota congelatur, curet, vt liqueſiat. Sin autem ex parte congelata, vel admodum frigida ſit, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & immiſcere aquæ baptiſmali in vaſculo, ſeu vrceolo ad eam fundendam parato, & ea poſtmodum paruulos baptizare.

Vbi autem infra annum aqua fontis baptiſmalis abſorpta, corruptave fuerit, aut alio quouis modo defecerit, Sacerdos aliam aquam in fontem priùs mundatum infundat, & ſuperpelliceo indutus, ac ſtola, præſentibus aliquibus Presbyteris, ſiue Clericis, qui haberi poterunt, eam benedicat, prout infrà traditur in Benedictione fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes.

Quia verò Sacerdos habere debet vascula, seu phialas, vel ampullas Olei sancti, quod & Catechumenorum dicitur, Chrismatis, & Olei infirmorum; illa propter periculum effractionis, sint argentea, vbi commodè fieri potest, vel saltem stannea, ac benè cooperta; & vt ab inuicem distinguantur, claram habeant inscriptionem etiam litteris maiusculis, eius, quod in vnoquoque vasculo continetur, vt, CHRISMA. OLEVM SANCTVM. OLEVM INFIRMORVM. Vascula autem huiusmodi in proprio, decenti, ac nitido loco (non tamen in tabernaculo sanctissimæ Eucharistiæ, in quo nihil præter eam reponi debet) sub claue, & tuta custodia asseruentur. Solicitè enim prouidere debet Sacerdos, vt tam Chrisma, Oleum Catechumenorum, & Oleum infirmorum, quàm aqua, seu fons Baptismalis, semper sub fida custodia, vectibus, & clauibus appositis, conseruentur; ne vlli ad ea temerè præsumenti pertingere liceat; neve sacrilegus quispiam ijs nefariè abuti possit.

Quapropter omnino caueat, ne vlli vnquam de Chrismate, vel Oleo sancto ad remedium, vel sub medicinæ, vel cuiuslibet rei prætextu dare præsumat: neve ab alijs, quàm à Sacerdotibus ea contingantur.

Ad quotidianum insuper Baptismi ministerium habeat idem Oleum sanctum, & Chrisma in minoribus vasculis, vel ampullis, etiam argenteis, vel saltem stanneis, distinctis. Vel, vt iam frequenter fieri consueuit, eadem in similibus vasculis, siue distinctis, siue simul iunctis habeat in gossipio, quod bambacium, seu cotonum vocant, infusa, vel, vbi gossipij copia non est, in stupa. Quæ quidem minora vascula cuiusque nomine inscripta sint, videlicet, OLEVM SANCTVM. CHRISMA. Et in ea ex alijs supradictis maioribus vasculis ipsum Oleum sanctum, vel Chrisma, quoties opus fuerit, infundatur. Atque hæc ipsa, vbi eis vtendum non est, in suo loco, vt præmittitur, pariter custodiantur.

Oleum verò, & Chrisma debēt esse eo anno feria quinta in Cœna Domini ab Episcopo consecrata, quæ Presbyter omni diligentia quamprimùm habere curet; & nouis obtentis, vetera in Ecclesia comburantur. Veteri enim Oleo sancto, vel Chrismate vti non debet in Baptismo; nisi antequàm nouum habeatur, necessitatis casus occurrat.

Cùm autem Oleum sanctum, vel Chrisma deficere videtur, & aliud benedictum, vnde refundatur, haberi non potest, adijciatur aliud oleum de oliuis non benedictum, sed in minori quantitate.

Caueat etiam, ne per incuriam Chrisma pro Oleo sancto, vel Oleum sanctū pro Chrismate adhibeat in vnctione: neve Chrismate inungat baptizatum in fronte (quod ad solum Episcopum pertinet in Sacramento Confirmationis) sed in vertice tantùm.

Preces, & orationes in tanto Sacramento ministrando, rectè, deuotè, & attentè, atque intelligibili voce proferantur; prout & suprà de generaliter obseruandis in Sacramentorum administratione dictum est.

Quoniam verò quædam speciales sunt orationes super mares, quædam speciales super fœminas dicendæ, ideo distinctè super alterutros, prout notatæ sunt, pronuntientur. Quæ autem communes sunt super mares, & fœminas, illas Sacerdos dicat indifferenter super vtrosque.

Tametsi de libro semper legere debet, formā tamen Baptismi etiam memoria teneat.

Aduertat autem in prolatione formæ, vt illam, sicut iacet, integram pronuntiet, non interrumpat, nec in ea alia verba interponat, neque aliquam dictionem omittat, immutet, detrahat, aut addat, vel transponat: sed neque diuinarum personarum nomina mutet, vel anteuertat.

Latinus Sacerdos forma Latinæ Ecclesiæ, non Græcorum, vtatur, etiam si ab eo Græcum aliquem baptizari contingat.

Ipsa verò Baptismi ablutio fiat vno, eodemq. tempore, ac contextu, dum verba formæ exprimuntur; ita vt cùm verba profert, simul & baptizandum ter in fontem immergat, vel aqua perfundat, iuxta diuersam consuetudinem Ecclesiarum, semel quidem in cuiusque personæ sanctæ Trinitatis inuocatione; nec inter verborum

prola-

prolationem, nimiam moram interponat; aut ad extraneos actus diuertat.

Sacerdos item ſtudioſè curet, vt quantùm fieri poteſt, in ſacramento Baptiſmi actualem intentionem habeat; quam ſi continuam habere non poſſit, ſaltem talem habeat in principio, ſucceſſiuè autem virtualem: & ſemper intendat facere, quod ſancta facere intendit Eccleſia.

Cùm ſal immittendum ori Catechumenorum ſpecialem habeat benedictionem, Sacerdos vti non debet ſale ad aquam benedicēdam diebus Dominicis exorcizato, ſed ſpecialiter benedicto ad vſum Catechumenorum. Ad diuerſos namque vſus hoc, atque illud ſal benedicitur.

Sed ſi eodem die plures, diuerſis tamen horis, fuerint catechizandi, poterit ſale exorcizato in catechiſmo priorum, vti etiam in catechiſmo ſequentium; niſi malit aliud ſal de integro benedicere.

Quod verò ſupereſt, non reddatur ijs, qui attulerunt; ſed ne conuertatur in prophanos vſus, in ſacrarium proijciatur.

Illud autem cùm in os infantium immittendum eſt, ne prouocentur ad fletus, confractum, ſeu contritum, leniter, & abſque vehementi impreſſione immittatur.

Caueat Sacerdos, ne pro Baptiſmi Sacramento adminiſtrando aliquid petat, aut exigat; ſed ſiquid voluntariè pro pio fidelium voto offeratur, accipere poteſt.

Nec nummi, in ipſa exhibitione Baptiſmi, proijciantur in peluim, ſeu concham; nec in candelis, aut cereis, qui infantibus baptizatis tradendi ſunt, infixi deferantur; neque alibi ponantur ad Sacerdotis baptizantis aut miniſtrorum quæſtum.

Vitentur etiam, quoad fieri poterit, conuiuia, quæ in Baptiſmo infantum alicubi indecenter fieri conſueuerunt; admoneanturq. parentes, ne pro gratijs, quas ob ſobolem ſuſceptam, & in Chriſto regeneratam, Deo agere tenentur, comeſſationibus, ludis, choreis, & alijs diſſolutionibus immenſam eius pietatem & maieſtatem offendant.

Nec patrini vel matrinæ permittantur infantibus, quos à ſacro fonte ſuſceperint, aut eorum parentibus quicquam, Baptiſmi tempore, largiri.

Cæterùm animaduertendum eſt, quòd vbicunque ponitur littera N. exprimi debet nomen eius, vel eorum, qui catechizantur, vel baptizantur, in genere, numero, & caſu competentibus.

Et cùm ſemel initio exorciſmi quæratur de nomine Catechumeni baptizandi, Quis, aut, Quo nomine vocaris? non opus eſt deinde in progreſſu orationum, & exorciſmorum, vbi notatur littera N. rurſus (niſi vbi ſpecialiter deſignatur) à patrinis, vel circumſtantibus requirere, quis, aut quo nomine vocetur, vel quid ſimile, ac ita precationum contextum interrumpere: ſed ad vitandam ſermonis incongruitatem, atque orationis interruptionem, quæ ex huiuſmodi interrogatione, & reſponſione contingunt, ſufficiat, vt eo loco abſque alia interrogatione Sacerdos à ſeipſo nomen baptizandi appoſitè, & congruenter exprimat.

Vbicunque præterea apponitur ✝, fieri oportet ſignum crucis.

Hæc autem, quæ de litera N. ac de ſigno crucis ✝ dicta ſunt, non modò in Baptiſmi, verùm etiam in aliorum Sacramentorum adminiſtratione, & in diuerſis alijs benedictionibus, ac exorciſmis obſeruentur.

Ordo Baptiſmi paruulorum.

CVM infans baptizandus defertur ad Eccleſiam, Parochus, ſiue alius Sacerdos, qui Baptiſmi ſacramentum miniſtraturus eſt, prouideat, vt afferantur, ſicut mos eſt, peluis ſeu bacile, & deſuper vas cum aqua; & mappula, ſiue mantile; necnon vaſculum cum ſale benedicendo; & goſſipium, vel ſtupa ad abſtergenda loca linita ſacro Oleo; & alba, ſeu linteolum candidum, infantis capiti imponendum poſt Baptiſmum.

Afferatur etiam cereus, ſeu candela, quæ deinde accenſa tradenda eſt paruulo baptizato; & vbi commodè haberi poteſt, ſit ex cera alba.

Sed & hæc parata ipſe etiam habeat, propter eos, qui non afferunt.

Paret etiam Oleum ſanctũ, & Chriſma in duobus minoribus vaſculis, vel ampullis diſtinctis; aut in ſimilibus vaſculis ſiue diſtinctis ſiue coniunctis, infuſa in goſſipio, vel ſtupa, vt ſuprà dictum eſt. Item & vaſculum, ſeu vrceolum mundum, vel ampullam ad aquã tantùm Baptiſmi fundendam paratum; ac peluim, in quam eadem aqua ex capite infantis defluens recipiatur, vt etiã ſuperiùs cauetur. Medullam quoque panis ad abſtergẽdos digitos inunctos, cùm manus lauabit. Inſuper & vas, in quo manus peracto Baptiſmo lauet, quod huic tantùm vſui deſeruiat.

Paret præterea & hunc librum Ritualem Sacramentorum, in quo perlegat, atque accuratè attendat ritum, & ordinem Baptiſmi paruulorum, ac cæremonias tum in Exorciſmo, & Catechiſmo, tum & in ipſo Baptiſmo adhibendas, atque ſeruandas.

His ita paratis, alijſq. omnibus diligenter perpenſis, quæ ad huiuſmodi Sacramenti adminiſtrationem ſpectant, Presbyter lauet manus, ſuperpelliceo ſe induat, & deſuper habeat ſtolam violacei coloris.

Adhibeat ſecum vnum, vel plures (ſi commodè poterit) Clericos, ſuperpelliceo indutos, ſibi opportunè miniſtrantes.

Tum mentem, & animum colligat, & aliquantulùm, ſi tempus ferat, ante altare humiliter oret, & pias aliquas preces ad Dominum præmittat.

Deinde accedat ad fores Eccleſiæ, & interroget, an infans ſit domi baptizatus; quinam ſuſceptores, ſeu in patrinum, vel matrinam adhibendi ſint; cauens, ne plures quàm vnum, vel vnam, vel ad ſummum, vnum, & vnam admittat, vt ſuprà traditur; iubeatq́. eos prope infantem aſſiſtere, & pro eo ad interrogationes reſpondere. Ipſoſque, ac alios, qui Baptiſmo interſunt, moneat, & hortetur, vt in adminiſtratione tanti Sacramenti attentè & deuotè ſe habeant, & pro eo, qui baptizatur, mente orent.

Sacerdos itaque ſtans in limine Eccleſiæ, & conuerſus ad infantem, qui foris ante ipſum ſuper dextro deferentis brachio teneatur, interroget, maſculus ſit, an fœmina. Quo cognito, procedat ad Catechiſmum, & Baptiſmum, vt ſequitur.

Sacer-

Sacerdos interrogat.

QVo nomine vocaris? Patrinus reſpondet. N. Sacerdos. N. Quid petis ab Eccleſia Dei? ℞. Fidem. Sacerdos. Fides quid tibi præſtat? ℞. Vitam æternam. Sacerdos. Si vis habere vitam æternam, ſerua mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.

Deinde ter leniter exufflet in faciem eius, ter dicens.

Exi ab eo immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Poſtea pollice faciat ſignum crucis in fronte, & in pectore infantis, dicens.

Accipe ſignum crucis tam in fronte ✝, quàm in corde ✝, ſummam ſcilicet fidei cœleſtium præceptorum; talis eſto moribus, vt templum Dei iam eſſe poſſis. Oremus. Oratio.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi; & hunc electum tuum N. crucis dominicæ, cuius impreſſione eum ſignamus, virtute cuſtodi; vt magnitudinis gloriæ rudimenta ſeruans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen. Oremus. Oratio.

DEus qui humani generis ita es conditor, vt ſis etiam reformator, propitiare populis adoptiuis, & nouo teſtamento ſobolem nouæ prolis aſcribe; vt filij promiſſionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Tunc imponit manum ſuper caput ipſius infantis, & dicit.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ: vt ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſeruiat, & proficiat de die in diem; vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptiſmi tui, percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Hic Sacerdos benedicat ſalem.

Benedictio Salis.

EXorcizo te creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✝, & in charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti ✝, & in virtute Spiritus ſancti ✝. Exorcizo te per Deum viuum ✝, per Deum verum ✝, per Deum ſanctum ✝, per Deum ✝, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per ſeruos ſuos conſecrari præcepit; vt in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare ſacramentum ad

effugan-

effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, vt hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠; vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos leuiter immittat modicum ſalis benedicti in os infantis dicens.

N. Accipe ſalem ſapientiæ: propitiatio tibi ſit in vitam æternã. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Oratio.

DEus patrum noſtrorum, Deus vniuerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti; quatenus ſit ſemper ſpiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſeruiens: perduc eum Domine, quæſumus, ad nouæ regenerationis lauacrum; vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Super Maſculum.

Super Maſculum tantùm. Oremus. Oratio.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & filios Iſrael de terra Aegypti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die, ac nocte; te quæſumus Domine, vt mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui ſimiliter cuſtodiat & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Sine oremus. Exorciſmus.

ERgo maledicte Diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero; da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto; & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemq́. baptiſmatis vocare dignatus eſt; [Hic pollice ſignet eum in fronte] & hoc ſignum ſanctæ crucis ✠, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus immortale præſidium omnium poſtulantium, liberatio ſupplicum, pax rogantium, vita credentium, reſurrectio mortuorum, te inuoco ſuper hunc famulum tuum N. qui baptiſmi tui donum petens, æternam conſequi gratiam ſpiritali regeneratione deſiderat: accipe eum Domine, qui dignatus es dicere, petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis: petenti itaque præmium porrige, & ianuam pande pulſanti; vt æternam cœleſtis lauacri benedictio-

dictionem conſecutus, promiſſa tui muneris regna percipiat. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas Deus in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Sine Oremus. Exorciſmus.

AVdi maledicte Satana, adiuratus per nomen æterni Dei,& Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti filij eius, cum tua victus inuidia, tremens, gemensq. diſcede; nihil tibi ſit commune cum ſeruo Dei N. iam cœleſtia cogitante, renuntiaturo tibi, ac ſeculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem aduenienti Spiritui ſancto, qui ex ſumma cœli arce deſcendens, proturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus, ideſt ſanctificatum Deo templum, & habitaculum perficiat; & ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberatus Dei ſeruus, gratias perenni Deo referat ſemper, & benedicat nomen eius ſanctum, in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Sine Oremus. Exorciſmus.

EXorcizo te immunde ſpiritus in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ſancti ✠; vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. ipſe enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus ſuper mare ambulauit,& Petro mergenti dexteram porrexit.

Exorciſmus.

Ergo maledicte Diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorē Deo viuo & vero; da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto; & recede ab hoc famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemq. baptiſmatis vocare dignatus eſt; [Hic pollice ſignet eum in fronte] & hoc ſignum ſanctæ crucis ✠, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Super Fœminam tantùm. Oremus. Oratio. Super Fœmellam.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum,Deus Archangelorū, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarū, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum,Deus Confeſſorum,Deus Virginum,Deus omnium benè viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœleſtium,terreſtrium,& infernorum; te inuoco Domine ſuper hanc famulam tuam N. vt eam cuſtodire, & perducere digneris ad gratiam baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Sine Oremus. Exorciſmus.

Ergo maledicte Diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero; da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto; & recede ab hac famula Dei N. quia iſtam ſibi Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam,& benedictionem,fontemq. baptiſmatis vocare dignatus eſt; [Hic pollice ſignet eam in fronte] & hoc ſignum ſanctæ crucis ✠, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Chriſtum Domi-

Dominum noſtrum, qui venturus eſt iudicare viuos,& mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus Abraham,Deus Iſaac,Deus Iacob,Deus qui tribus Iſrael de Aegyptiaca ſeruitute liberaſti,& per Moyſen famulum tuum de cuſtodia mandatorum tuorum in deſerto monuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti; te ſupplex deprecor Domine, vt liberes hanc famulam tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Ergo maledicte Diabole &c. totum, vt ſuprà. Exorciſmus.

Exorcizo te immunde ſpiritus per Patrem ✠, & Filium ✠, & Spiritum ſanctum ✠, vt exeas, & recedas ab hac famula Dei N. ipſe enim tibi imperat maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitauit.

Ergo maledicte Diabole &c. totum, vt ſuprà.

Tunc imponit manum ſuper caput infantis, & dicit.

Super Maſculum, & Fœminam. Oremus. Oratio.

AEternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam baptiſmi tui; teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam; vt aptus ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde legat ſequens Euangelium, dicens.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Sequētia ſancti Euang. ſecundū Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

Interim Sacerdos dextro pollice ſignet locum Euangelij, tum ſe ipſum, ac infantem; in fronte, ore, & pectore.

IN illo tempore: Oblati ſunt Ieſu paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. Ieſus verò ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum. Et cùm impoſuiſſet eis manus, abijt inde.

Tunc Sacerdos impoſita ſuper infantem extrema parte ſtolæ, introducit eum in Eccleſiam, dicens.

N. Ingredere in templum Dei, vt habeas partem cum Chriſto, in vitam æternam. ℟. Amen.

Cùm autem in Eccleſiam ingreſſi fuerint, patrinus, vel matrina ponat infantem ſupra pauimentum; & Sacerdos clara voce ſuper eum dicat ſymbolum Apoſtolorum, & orationem Dominicam, monens patrinum, & matrinam, vt & ipſi pariter cum eo dicant.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum: qui

conce-

conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos, & mortuos. Credo in Spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: vitam æternam. Amen.

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Postea eleuant infantem; & Sacerdos imponit manum super caput eius, & sine Oremus, dicit. Exorcismus.

NEc te latet Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem supplicij sempiterni, diem, qui venturus est velut clibanus ardens; in quo tibi, atque vniuersis angelis tuis æternus superueniet interitus. Proinde damnate, atque damnande, da honorem Deo viuo & vero; da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto; in cuius nomine, atque virtute præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemq. baptismatis, dono vocare dignatus est; vt fiat eius templum per aquam regenerationis, in remissionem omnium peccatorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Hic Sacerdos digito accipiat de saliua oris sui, & tangat aures, & nares infantis, dicens, primò ad aurem dextram:

Epheta, quod est adaperire; deinde ad nares: in odorem suauitatis. postea ad aurem sinistram: Tu autem effugare Diabole; appropinquabit enim iudicium Dei.

Deinde Sacerdos interrogat, & patrinus, seu matrina respondet, vt infrà.

Sacerdos. Quis vocaris? Respondet patrinus. N.
Sacerd. N. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.
Sacerd. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.
Sacerd. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Postea Sacerdos intingat pollicem in Oleo sancto Catechumenorum, & eo vngat infantem in pectore, & inter scapulas in modum crucis, dicens.

Ego te linio oleo salutis, in pectore ✝, & inter scapulas ✝, in Christo Iesu Domino nostro, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Tunc loca inuncta, & pollicem suum bambacio, vel stupa abstergat.

Deinde

Deinde procedunt ad fontem Baptiſmi; ad quem cùm peruenerint, Sacerdos curet, vt patrinus, vel matrina, ſi vnus, aut vna tantùm adhibetur, vel ſi vnus & vna ſimul in ſuſceptores admittuntur; vterque manibus teneat infantem, & pro eo reſpondeat.

Ipſe vero Sacerdos interrogat. Quo nomine vocaris? Patrinus reſpōdet. N.

Sacerdos interrogat. N. Credis in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Sacerdos interrogat. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum? ℟. Credo.

Sacer. interr. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam? ℟. Credo.

Rurſus Sacerdos interrogans nomen infantis, dicit. Quis vocaris? ℟. N.

Sacerd. N. Vis baptizari? ℟. Volo.

Tunc, patrino, vel matrina, vel vtroque infantē tenente, vt ſuprà, Sacerdos vaſculo, ſeu vrceolo accipit aquā baptiſmalē, & de ea ter fundat ſuper caput infantis in modū crucis, & ſimul verba proferēs, ſemel dicat.

N. EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠, fundat primò: ET FILII ✠, fundat ſecundò: ET SPIRITVS SANCTI ✠, fundat tertiò.

Vbi autem conſuetudo eſt baptizandi per merſionem, Sacerdos accipiat infantem, & aduertens ne lædatur, cautè immergat; & trina eum merſione baptizet, ſemel tantùm dicens.

N. EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, mergat primò: ET FILII, mergat ſecundò: ET SPIRITVS SANCTI. mergat tertiò.

Et mox patrinus, vel matrina, vel vterque infantem de ſacro fonte leuat, illum ſuſcipiens de manibus Sacerdotis.

Sed ſi dubitetur, an infans fuerit baptizatus, Sacerdos dicat.

N. SI BAPTIZATVS ES, NON TE REBAPTIZO; SED SI NONDVM BAPTIZATVS ES, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠, ET FILII ✠, ET SPIRITVS SANCTI ✠.

Deinde intingat pollicem dextrum in ſacro Chriſmate, & pollice intincto vngat infantem in vertice, ſeu ſummitate capitis in modum crucis, dicens.

DEus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto, quiq. dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, Hic inungit. ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠ in eodem Chriſto Ieſu Domino noſtro, in vitam æternam. ℟. Amen. ℣. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tum bambacio, vel ſtupa tergit pollicem, & imponit albam, ſeu candidum linteolum, loco veſtis albæ, capiti infantis, dicens.

ACcipe veſtem ſanctā, candidā, & immaculatā, quā perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitā æternā. ℟. Amen.

Idem

Idẽ verò linteolũ deferatur, quousque Chrismatis vnctio exiccetur, nisi eam tunc eodẽ linteolo, vel bambacio, aut stupa visum fuerit abstergi.

Postea det candelã accensam in dextra manu infantis, vel patrini, dicẽs.

Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilem; custodi baptismũ tuum; serua Dei mandata: vt cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei vnà cum omnibus Sanctis in aula cœlesti, habeasq. vitam æternam, & viuas in secula seculorum. ℟. Amen.

Postremò dicat. N. Vade in pace, & Dominus sit tecum. ℟. Amen.

Si fuerit fœmina, quæ baptizanda est, omnia dicantur vt supra, in genere fœminino, cum proprijs tamen orationibus, & exorcismis super fœminam tantùm.

Si fuerint plures, siue masculi, siue fœminæ in Catechismo, masculi statuantur ad dexteram, fœminæ autem ad sinistram: & omnia pariter dicantur, vt suprà, in proprio genere, & numero plurali. Verùm prima nominis interrogatio, exufflatio, crucis impressio seu signatio, tactus narium & aurium cum saliua, abrenuntiationis interrogatio, vnctio Olei Catechumenorum, interrogatio de fidè seu symbolo, & ipse Baptismus, inunctio Chrismatis, candidæ vestis impositio, atque accensæ candelæ traditio, singulariter super singulis, & primùm masculis, deinde fœminis, fieri debent.

PERACTO Baptismo Sacerdos in sacrario comburat gossipium, vel stupam, quibus pollex, & loca Oleo sancto & Chrismate inuncta absterſa sunt, ac postea etiam albas, siue linteola, nisi ea malit in eodem sacrario primùm diligenter ablui, & deinde in vsum, vel Ecclesiæ conuertere, vel aliorum pauperum baptizandorum reseruare; vt suprà in præmonitionibus cauetur.

Postea abstergat digitos cũ medulla panis, & solus lauet manus: & aqua ablutionis effundatur in sacrarium, reliqua aliò proijciatur.

Ablutis autem manibus, moneat parentes infantis, seu alios de eorum domo, vel saltem mulierem, quæ illum ad Ecclesiam detulit, vt parentes moneat, ne ipsi, nutrices, alijve puerum, donec fuerit ablactatus, propter oppressionis, seu suffocationis periculum, secum in eodem lecto habeant, sed in alio seorsum; & vt eum ab ignis, aquæ, & omni alio periculo, & casu custodiri curent; ne parricidij rei coram Deo inueniantur.

Doceat eosdem, & patrinum, ac matrinam ex decreto sacri Concilij Tridentini per huiusmodi susceptionem inter ipsos patrinum & matrinã, ac baptizatum, & illius patrem & matrem, necnon inter ipsum baptizantem, & baptizatum, baptizatiq. patrem ac matrem tantùm, spiritualem contractam esse cognationem, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum.

Admoneat quoque eosdem patrinum, & matrinam, ac baptizati parentes, quàm sincerè, quàm castè, & piè, mutuisq. charitatis officijs hæc cognatio spiritualis inter eos contracta colenda sit: nam & ipsum nomen,

men, quo compatres, atque commatres inuicem vocantur, venerationem habet.

Admoneat item patrinos de eorum officio, & vt ſe quaſi fideiuſſores pro eo quem ſuſceperunt, Deo teneri agnoſcant; & proinde curare debere, vt is piè, & honeſtè educetur; ſymbolum Apoſtolorum, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & præcepta Decalogi, & reliqua fidei rudimenta, quamprimùm per ætatem licebit, addiſcat; & in Chriſtiana pietate, & timore Domini rectè inſtituatur; atque Confirmationis ſacramentum ab Epiſcopo, cùm opportunum fuerit, ſuſcipiat: & quod alieno ore promiſit, iam ſtudeat corde credere, proprio ore confiteri, & opere adimplere.

De his etiam parentes poſtmodum admoneri debent, vt filios ſuos, quòd eos ipſi genuerint, quodq́. ipſis à Domino dati ſint, in orthodoxa fide, & vera pietate erudire ſummopere ſtudeant.

Admonendi prætereà ſunt parentes, ne liberos ſuos Hebræis, vel alijs infidelibus mulieribus lactandos, aut nutriendos tradant: ſicuti nec Chriſtianæ mulieres infantes Iudæorum, aliorumve infidelium lactandos, vel alendos ſuſcipere debent.

Monebit inſuper, vt puerpera, cùm primùm à partu valida domo egredi poterit, parochialem Eccleſiam adeat, vbi de more à Sacerdote accipiat benedictionem.

Tum verò Sacerdos, priuſquàm patrinus & matrina, & obſtetrix, ſeu qui infantem detulerunt, diſcedant ab Eccleſia, diem, & annum natiuitatis, & Baptiſmi, infantis nomen, necnon eius parentum, patrini, & matrinæ nomina, cognomina, ac patriam deſcribat in libro ad id parato, qui in ea Eccleſia diligenter conſeruetur, vt de huiuſmodi cognatione ſpirituali in Baptiſmo contracta, & de alijs, quæ ad ipſius curam pertinent, perpetuò conſtare poſſit.

In eundem etiam librum dies, & annus Baptiſmi, & nomen infantis, qui domi ob neceſſitatem baptizatus eſt, parentũ, & ſuſceptoris eius, ſiquis adhibitus fuerit, nomina, cognomina, & patria ſimiliter referantur.

Quòd ſi aliqua ratione, vel propter ſcandalum, aut diſcrimen, aut infamiã vitandam, ij, qui infantẽ quempiam, præſertim non iuſtis nuptijs procreatum, baptizandum obtulerunt, vel domi neceſſitate vrgente baptizatum eſſe aſſerunt, parentum nomen prodere noluerint, tunc ſaltem in eodem libro Presbyter notare debet, ex ignotis eum parentibus natum eſſe.

Huius autem ſcripturæ exemplum ſi, cùm ea opus fuerit, petatur, non niſi conſulto Ordinario loci, & tunc gratis edatur.

Et ad extremum Sacerdos, antequàm ſuperpelliceum deponat, claue, & ſera Baptiſmi fontem occludat; ſacrum Chriſma, & Oleum ſanctum ſuo loco reponat. Item & ampullam ad infundendam aquam, & alia vaſa ad hoc miniſterium deſtinata proprio itidem loco reponi curet.

De ijs, quæ Parochus frequenter docere debet populum, & obstetrices super Baptismi sacramento in casibus necessitatis.

PAROCHVS frequenter doceat populum, præsertim verò obstetrices, ac mulieres; 1 non ipsis mulieribus, sed 2 nec viris laicis, 3 neque etiam inferioris gradus clericis fas esse baptizare, casibus duntaxat necessitatis exceptis: & proinde obstetrices admoneat, ne vllo modo baptizare præsumant, præterquàm in articulo mortis, seu in necessitatis discrimine constitutos, cùm legitimi ministri, seu Sacerdotis copia haberi non potest, vel alius vir, qui id præstare sciat, præsens non fuerit, vt infrà dicetur: alioquin, si eiusmodi necessitate cessante, siue vir, siue mulier, siue etiam inferioris gradus clericus baptizare præsumpserit, quisquis is fuerit, 4 graue eum peccatum admittere.

Præcipuè autem doceat, 5 Baptisma omnium sacramentorum nouæ legis primum locum tenere, quòd spiritualis vitæ ianua sit; illudq. adeò necessarium esse, vt post Christi aduentum, sine ipso, re, vel voto suscepto, nemo saluus esse possit. Nam cùm per primum hominem mors introierit in vniuersos, nisi 6 quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto (vt Veritas inquit) non potest introire in regnum Dei.

Ex 7 omnibus præterea sacramentis Baptismum, sicut etiam Confirmationem, & Ordinem, 8 characterem, idest spirituale quoddam signum à cæteris distinctiuum imprimere in anima indelebile; ideoq. in eadem persona sine graui scelere, atque sacrilegio 9 reiterari non posse.

Materiam huius sacramenti esse 10 aquam verã, & naturalem, vt fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, paludum, cisternarum, & pluuialem, & sic quãcunque simplicem, & puram, quæ propriam aquæ speciem retineat; nec referre, frigida sit, 11 an calida; non autem esse aquam 12 artificialem, vt ex rosis, floribus, herbis, seu similibus rebus expressam, aut distillatam, neque alium quemuis liquorem.

Formam autem apud Latinam Ecclesiam hanc esse; 13 Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & vbi consuetudo est Ecclesiarum, addi posse, Amen. Illamq. licere pronuntiari Latina, materna, seu vulgari, aut quauis alia propria lingua, vt Græca, Illyrica, Armenica, Hebræa, Syriaca, Arabica, & cuiusuis idiomatis, dummodò integrè, & rectè proferatur. Ac tunc perfici hoc Sacramentum, cùm minister exprimit actum, qui per ipsum exercetur, cum distincta personarum sanctæ Trinitatis inuocatione. Et cauendum esse, dum aliquem baptizari contingit, ne quid ex eadem forma detrahant, seu minuant, aut immutent, aut ei addant, vt & superiùs traditum est.

Ministrum 14 verò esse Sacerdotem, cui ex officio competit baptizare, eumq. intentionem habere oportere baptizandi, seu saltem faciendi id, quod facere intendit Ecclesia. In casu autem necessitatis, ne quis sine Baptismo decedat, non solùm Sacerdotem, vel Diaconum, sed etiam laicum, vel mulierem, immo etiam 15 Paganum, & Hæreticum baptizare posse; dummodò formam seruet Ecclesiæ, siue Latina, siue propria lingua, vt proximè dictum est, & similiter facere intendat, quod facit Ecclesia. Sciantq. omnes, in huiusmodi necessitatis articulo, vnumquemque fidelem, etiam laicum, & mulierem, teneri ad baptizandum, prædicta forma seruata; & si id facere omittat, grauiter peccare; sed tunc maiori, qui præsens fuerit, deferendum esse, vt præsente Diacono clericus inferioris gradus non baptizet, nec clerico præsente laicus, nec viro præsente fœmina: nisi fortè ille Baptismi formam ignoret, & hæc ad id peragendum magis instructa sit.

Doceat 16 etiam, quòd quamuis fœtus in vtero matris totus prorsus existens nequaquàm baptizandus sit; si tamen mulier in partu periculosè laboret, 17 cumprimùm aliquod membrum infantis extra vterum apparuerit, motum vitalem habens, obstetrix, aliave mulier, vel etiam qui aderit, illud aqua perfundens, seu aspergens, nullo nomine imposito, baptizare debet, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, &

Filij, & Spiritus ſancti. [18] Quòd ſi in capite baptizatus fuerit, & debita forma ſeruata, habebitur pro ritè baptizato: & ſi ſuperuixerit, cætera quæ omiſſa ſunt, in Eccleſia à Sacerdote iuxta Ordinem ſupplebuntur. Si verò tunc obierit, in cœmeterio fidelium ſepelietur. Sin autem in aliquo alio membro baptizatus, ac poſtea natus ſuperſtes fuerit, denuo ſub conditione baptizabitur in Eccleſia, & reliqua, vt modò dictum eſt, pariter ſupplebuntur. Sed ſi ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex vtero, aut ex eo extrahatur, debet in cœmeterio ſepeliri.

Nec mediocriter paruulorum ſaluti conducit, parentes ſæpiùs admoneri, Dominum aſſiduè ab eis orãdum eſſe, vt eorum fœtus adhuc in vtero exiſtentes, in lucem cum incolumitate prodeant: vt ſaltem Baptiſmi gratiam, antequàm obeant, percipere mereantur, ne ſine ſalutis ſacramento intereant.

Præmoneat [19] etiam Parochus, ſi humanum monſtrum naſcatur, illud non antea baptizandum eſſe, quàm diſcernatur, vnáne, an plures perſonæ ſint, niſi neceſſitas vrgeat; tunc enim baptizetur, vt ſuperiùs notatum eſt.

Item præmoneat, vt ſiquando mulier in partu [20] nondum edita prole, vel quouis alio caſu prægnans deceſſerit, & propterea illius venter, vt fœtus, ſi adhuc viuit, ex vtero extrahatur, & baptizetur, excidendus ſit; id quidem diligenter & cautè fiat, vt fœtus ipſe ſine periculo viuus extrahi poſſit, ac tum demum, cùm [21] matrem certò mortuam eſſe conſtiterit; ne pro ſalute filij mater occidatur: quia ſecundùm Apoſtolum, non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Quòd ſi execto vtero fœtus extractus, antequàm baptizetur, mortuus deprehenditur, extra cœmeterium ſepeliendus eſt, vt infrà de officio ſepulturæ paruulorum.

Sæpè etiam fideles admoneri oportebit, paruulorum Baptiſma, propter periculum mortis, quod ex ipſa imbecillitate naturæ, vel alia cauſa poteſt contingere; cùm [22] eis non poſſit alio remedio ſubueniri, niſi per hoc ſacramẽtum, per quod eripiuntur à Diaboli dominatu, & ex filijs iræ in Dei filios adoptantur; non [23] eſſe per multos dies differendum, ſed quamprimùm fieri poteſt, eis in Eccleſia conferri debere: ita tamen, vt mortis imminẽte periculo, mox ſine vlla dilatione baptizentur, etiam per laicum, vel mulierem, in forma Eccleſiæ, ſi deſit Sacerdos; quemadmodum in caſu neceſſitatis fieri debere ſuprà cautum eſt.

Idemq. de adultis ex infidelitate venientibus ad Chriſtianam fidem, in mortis periculo conſtitutis obſeruandum eſſe, vt ad eos baptizandos confeſtim Sacerdos accerſatur; & eo deficiente, ab alijs eodem modo vt ſuprà, Baptiſmus ſimiliter præbeatur.

Commonefaciat præterea omnes, vt ſuos infantes domi in neceſſitatis caſu baptizatos, ſi ſuperuixerint, cumprimùm per valetudinem licebit, ad Eccleſiam deferant, ſeu deferri curent, vt ibi, an recta baptizandi forma ſeruata ſit, inquiratur; & ſi talem ſeruatam eſſe conſtiterit, à Sacerdote preces, vnctiones, & alia omiſſa ſuppleantur, iuxta Ordinem infrà traditum, ſupplendi ea, quæ prætermiſſa ſunt in Baptiſmo. Si autem recta forma ſeruata non ſit, baptizentur ſub forma debita, quemadmodum etiam ſuperiùs oſtenditur faciendum eſſe.

Doceat item, huius ſacramenti effectum, eſſe remiſſionem omnis culpæ, originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur; & propterea baptizatis, nullam pro peccatis præteritis iniungendam eſſe ſatisfactionem, ſed morientes antequàm culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cœlorum, & Dei viſionem peruenire.

Expedit etiam ſaluti naſcentium, vt hæc ipſa, & formam præſertim Baptiſmi, Sacerdos non ſolùm generaliter populo, verùm etiam priuatim, ac præcipuè obſtetricibus in Eccleſia planè oſtendat, atque tradat; & aliquoties in anno, an illæ eandem formam rectè teneant, ſolicitè, ac diligenter inquirat.

Admoneat inſuper fideles, vt caueant exponere proprios, aut alienos filios, niſi magna neceſſitate vrgente; & tunc non niſi baptizatos, ſi fieri poſſit, cum Baptiſmi, & nominis infantis ſchedula, ſeu nota collo appenſa, vel alligata; & in hoſpitalibus, vel

locis

locis ad id specialiter constitutis; non in compitis, aut vijs, vel vbi facilè perire possint, exponant. Hæc autem non passim, sed pro loco, & tempore, & personarum qualitate proponenda sunt.

Commoneantur etiam Administratores, seu Præfecti hospitalium huiusmodi, vt prædicta schedula, quæ collo expositi appensa reperta fuerit, ad futuram eius agnitionem conseruetur. Item, vt nomen expositi infantis, quod vel in eadem schedula appensa ascriptum est, vel in Baptismo impositum esse asseritur, retineatur. Itemque, vt quo modo expositus, quove testimonio munitus repertus sit, Parochus, vel Presbyter hospitalis, ad quem expositos non baptizatos pertinet baptizare, in libro baptizatorum notet.

1 *S. Clemens lib. 3. constit. SS. Apostol. cap. 9.*
2 *Idem S. Clemens eod. lib. 3. cap. 10.*
3 *Idem S. Clemens ibid. cap. 11.*
4 *Ex S. Thom. par. 3. q. 67. art. 5. in corp.*
5 *Eugen. IIII. in decr. vnion. Armen. §. Primum omnium. Tom. 4. Concil.*
6 *Ioan. 3. a*
7 *Idem Eugen. in eod. decr. Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. can. 9.*
8 *Innocen. III. cap. Maiores. §. vlt. de Baptis.*
9 *Idem Conc. Trid. ead. sess. 7. de Sacram. can. 9. & de Baptis. can. 11. & 13. S. Clem. lib. 6. constit. SS. Apost. cap. 15. Magist. & Theol. in 4. sent. dist. 6. S. Thom. in 3 par. q. 66. art. 9.*
10 *Eugen. IIII. in dicto decreto. Concil. Trid. sess. 7. de baptis. can. 2.*
11 *Innocen. IIII. in Bulla super ritib. [illegible] Eugen. IIII. in eod. decreto.*
12 *S. Thom. citata q. 66. artic. 4.*
13 *Matth. 28. Innoc. III. in Conc. gener. cap. 1. §. Sacramentum verò Baptismi, de summa Trinit. Eugen. IIII. in eod. decr. vnion. S. Thom. ead. q. 66. artic. 1.*
14 *Eugen. IIII. in eod. decr. vnionis. S. Thom. in 3. par. q. 67. artic. 12.*
15 *Eugen. IIII. in eod. decr. Concil. Trid. sess. 7. de Baptis. can. 4.*
16 *Ex S. August. contra Iulian. lib. 6. cap. 5. & 6. de consecr. dist. 4. cap. Si ad matris vterum. & cap. Si quid est.*
17 *Ex S. Thom. par. 3. q. 68. art. 11.*
18 *Duran. lib. 6. Rational. cap. 83. nu. 13. & iterum nu. 33.*
19 *Siluest. in verb. Baptismus. 3. §. 10.*
20 *S. Thom. in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. & in 3. par. summ. q. 68. art. 2. ad 3. Duran. lib. 6. Ration. cap. 83. nu. 33.*
21 *Petr. de Palude in 4. dist. 6. q. 1. art. 1.*
22 *Eugen. IIII. super vnione Iacobinorum in Concil. Florent. facta, ita dicit: Circa pueros verò propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cùm ipsis non possit alio remedio subueniri, nisi per Sacramentum Baptismi, per quod eripiuntur à diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur, admonet non esse per 40. aut 80. dies, seu aliud tempus, iuxta quorundam obseruantiam, sacrum Baptisma differendum, sed quamprimum fieri potest debet conferri: ita tamen quod mortis imminēte periculo mox sine vlla dilatione baptizentur etiam per laicum vel mulierem in forma Ecclesiæ si desit Sacerdos: quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur. Nam & idem Eugenius in Bulla vnionis Armenorum §. Primum omnium Sacramentorum idem habet: Minister huius Sacramenri est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo Paganus & hæreticus beptizare potest: dummodò formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*
Et S. Thom. par. 3. q. 88. art. 3.
23 *De quo S. Cyprian. lib. 3. epist. 8. ad Fidum de infantibus baptizan. etiam ante octauum diem; quam citat S. August. lib. 3. contra Pelagianos de peccatorum meritis & remiss. & de Baptismo paruulorum cap. 5. & alibi sæpe. Et de infante recèns nato baptizando S. Gregorius Papa lib. 12. Regesti in respons. ad Augustinum cap. 10. & refertur à Beda in historia gentis Anglorum lib. 1. cap. 27. Tom. 3. Et de infante etiam vnius diei baptizando Concil. Gerundense cap. 5. quod etiam citat Vualfridus Strabo de exordijs & increm. rerum Ecclesiast. cap. 26. col. 3.*

De obseruandis in generali solenniq. Baptismo, & circa adultos, atque infirmos baptizandos.

GENERALIS, solennisq. Baptismus, præsertim adultorum, qui benè valent, & incolumes in pacis securitate degunt, non nisi in 1 sabbato sancti Paschæ, & sabbato Pentecostes celebrari debet: solenniter enim baptizandis in Ecclesia Electis, hæc duo tantùm tempora, constat esse legitima, & eadem ab omnibus ex 2 Apostolica traditione obseruanda summi Romani Pontifices præceperunt.

Proinde venerabile Baptismi sacramentum, non in Natiuitate nec in 3 Epiphania Domini, nec in sanctorum Apostolorum, aut Martyrum festiuitatibus, neque vllo alio tempore extra sabbatum Paschæ & Pentecostes tradatur, præterquàm paruulis, & ijs qui in graui morbo, in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustijs, in timore naufragij, aut in quauis alia necessitate sunt constituti; quibus nunquàm hoc veræ salutis singulare præsidium denegetur, sed omni tempore mox succurratur, nulla vnquàm interdicta licentia, vt per Baptismum quolibet tempore tribuendum, periclitantibus subueniatur.

Sicut enim sancti Baptismi gratia adultis, sanisq. cum magna discretione prouidenda est; ita quibus mors imminet, sine vlla dilatione offerenda; ne, dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interueniente paululùm mora, inueniri non valeat, quod redimatur. Quare & grauidam mulierem cùm voluerit, oportet baptizari. Quinetiam enixa, vel hoc, quod genuerit, si mortis periculo vrgetur, vel ipsa, eadem hora qua gignit, vel hoc quod gignitur, eadem qua natum est, baptizari nullo modo prohibetur. Et ideo recèns natis, & ante octauum diem, immo & vnius diei infanti Baptismi sacramentum conferri potest.

Qua etiam ratione constitutum est, vt cùm Baptismi Sacramentum summè necessarium sit tam paruulis, quàm adultis, Baptismus ipse, ac etiam Confirmatio, non solùm pueris, sed & adultis, propter moræ periculum exhiberi possint licitè tempore interdicti.

Propterea vigilet Sacerdos, vt siqui ex Catechumenis dum instituuntur, fuerint mortis periculo præuenti, & in exitu vitæ constituti diuinam gratiam implorauerint, eorum Baptisma non differat, sed eis illico ministret.

Quod quidem generaliter soliciteq. curandum est, ne quorumuis etiam adultorum grauiter ægrotantium, venientium ad fidem, Baptismus nimiùm differatur; verùm quamprimùm eis exhibeatur, iuxta præscriptum Ordinem baptizandi infirmum.

Sed & ipse Sacerdos omnia alia, etiam diuina officia intermittere debet, vt ad infirmos, & ad eos, qui grauiter laborant, baptizandos accurrat.

Qui verò in ægritudine cõstituti Baptismum perceperunt, vbi conualuerint, fidei symbolum, atque alia sacra mysteria, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, præcepta Decalogi edoceantur; & in reliqua Christianæ vitæ doctrina rectè instituantur: vt agnoscant gratiam, quam acceperunt, & sciant qualem eos vitam ducere oporteat in futurum.

Quamuis autem sabbato sancti Paschæ & Pentecostes, generalis ac solennis Baptismi sacramentum celebretur, non tamen tunc illud omnibus ad fidem se venire asserentibus passim tradi conuenit, sed his duntaxat Electis, qui saltem ante quadraginta, vel eo ampliùs, dies, nomen dederint, & exorcismis, quotidianisq. orationibus, atque ieiunijs fuerint expiati: quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, vt expurgato fermento veteri, noua incipiat esse conspersio.

Verùm si circa seu post tempora Pentecostes, cùm aliud solenne Baptisma eo anno non est celebrandum, aliqui, & maximè Iudæi conuersi fuerint, qui molestè ferant, suum Baptisma vsque in sequens Pascha differri, & ad Baptismum festinare noscantur; ne longa dilatio eorum possit animos reuocare, cum ipsis dispensari potest, vt pœni-

tentia, & abſtinentia quadraginta dierum eis priùs indicta, aut die Dominico, aut celebriore feſtiuitate, quæ fortaſſis occurret, omnipotentis Dei miſericordia protegente, baptizentur.

Idemq. fiet, ſi temporum qualitas, clade aut calamitate aliqua imminente, poſtulet, aut impellat, vt deſideria eorum nulla dilatione protrahantur.

Cùm illud, quod circa baptizandos in vniuerſo mundo ſancta Eccleſia vniformiter agit (vt ſanctus Cœleſtinus Papa ait) non otioſo contemplemur intuitu, vt ſiue paruuli, ſiue adulti ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeant, quàm exorciſmis, & exufflationibus Clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur; vt tunc verè appareat quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo priùs alligetur fortis, & deinceps vaſa eius diripiantur in poſſeſſionem tranſlata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus: idcirco Catechumeni, ſeu Electi, antequàm baptizentur, ſecundùm Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & ieiunijs ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi.

Quamobrem caueat Sacerdos, ne ſine vllis ſpiritualium eruditionibus præparationũ, ita rudibus, & imperitis Baptiſmi Sacramentum tradere præſumat, vt circa ipſos renouandos nihil doctrina eccleſiaſtica, nihil in exorciſmis impoſitio manuum, nihil ipſa ieiunia, quibus vetus homo deſtruitur, operentur.

Hæc autem quò vtiliùs & fructuoſius circa adultos Catechumenos præſtare valeat, interdum illos, dum ſunt in catecheſi, vel inter tempora ſcrutiniorum, informare poterit de myſterijs fidei, ac de rebus pertinentibus ad ipſorum ædificationem & profectum, vt infrà de recipiendis & inſtruendis Catechumenis continetur; necnon de his quæ circa ipſos aguntur, veluti de exorciſmis, ſcrutinijs, catecheſi, & gradibus Catechumenorum.

Exorciſmus quidem Græcè, Latinè dicitur adiuratio, ſeu increpatio aduerſus Diabolum, vt eſt illud, Exi ab eo immunde ſpiritus, &c. & illud, Exorcizo te immũde ſpiritus, in nomine Patris, &c. Vnde exorcizare eſt adiurare, vel increpare. Exorcizatur enim malignus ſpiritus, vt exeat, & recedat ab illo plaſmate, quod iamdudum per peccatũ primi hominis poſſidebat; quia iuxta Apoſtolum, Non eſt conuentio Chriſti ad Belial, nec ſocietas lucis ad tenebras; egrediantur tenebræ, & lux vera Chriſtus ingrediatur. Quocircà doceat, non creaturam Dei in infantibus, ſeu Catechumenis exorcizari, aut exufflari, ſed illum, ſub quo ſunt omnes, qui ſub peccato naſcuntur, principem peccatorum; vt ei renuntient, atque eruti de poteſtate tenebrarum, in regnum Dei veri Domini, per Sacramentum Baptiſmatis transferantur.

Scrutinia a ſcrutando dicta, quantum ad Baptiſmum pertinet, maiores noſtri appellauerunt catechiſmos ſeu catechizationes, interrogationes, examina, & exorciſmos ad fidem venientium, & Catechumenorum; quòd ita ſcrutarentur, hoc eſt inquirerent, an ijdem Catechumeni, qui iuxta Apoſtolicam regulam prædictam & exorciſmis ſcrutandi, & ieiunijs ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuẽdi, Satanæ, & operibus, & pompis eius verè abrenuntiaſſent, & apti, idoneiq. eſſent ad Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiendum. Scrutinium itaque eſt de fide & Chriſtiana religione inquiſitio, quæ fit à Sacerdotibus & Clericis, circa eos, qui ad illam ſe venire profitentur; vt eius doctrina, & eccleſiaſtica diſciplina informentur; quatenus diligenter de ijs perquiſiti, & optimè edocti, de die in diem proficientes, idonei efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi, ad quem eſt quaſi iter, ſiue præparatio quædam. Fiunt autem ſcrutinia, vt in eis Catechumenorum corda Sacerdotes perſcrutentur, & ſæpiùs explorent, vtrùm in eadem doctrina fidei conſiſtant, quam pridem eos docuerunt; vel adhuc perſeuerent abrenuntiare maligno ſpiritui, operibus, & pompis eius; & an poſt abrenuntiationem, ſacra verba traditæ fidei, ac ſymbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendarint; & nequa radix amaritudinis in eis inſit, neve illis priùs ſancta dentur, quàm Chriſtiana fides radices in eorum mentibus defixerit.

Huiuſmodi verò ſcrutinia in Cathedralibus, & inſignibus Collegiatis, vel Parochialibus Eccleſijs, vbi frequens, ac numeroſus Clerus, & complures ſunt miniſtri, conuenit celebrari.

Catecheſis, ſiue Catechiſmus Græcè, dicitur inſtructio: inſtruitur enim veniens ad fidem, eccleſiaſtico miniſterio, per benedictionem imponentis manum, vt intelligat quis ipſe ſit, quisve futurus ſit, hoc eſt vt ex damnabili ſanctus, ex iniuſto iuſtus, & ad extremum ex Diaboli ſeruo filius Dei fiat.

Indè qui inſtruuntur, & à Sacerdote audiunt doctrinam fidei, Catechumeni dicuntur. Catechumeni autem duobus modis intelliguntur; vno generatim omnes credentes, ſeu credere volentes in Chriſtum, nondum tamen baptizati; altero verò ſpeciatim qui catechizantur; nondum tamen ad Baptiſmi gratiam feſtinant, ad differentiam Competentium, & iam inſtructorum.

Ad fidem enim venientium primus gradus eſt Catechumenorum, ſecundus Competentium, tertius nuper baptizatorum ſeu Neophytorum.

Licet autem apud priſcos ſanctos Patres, alij eſſent Audientes tantùm, & alij Catechumeni: hic tamen Audiētes inter eos, qui ad Chriſti fidem veniunt, iuxta aliquorum patrum ſententiam non connumerantur; quòd ſimpliciter tantùm audirent: non autem ad ipſam Chriſti fidem venire, aut in eum credere velle, ſicut cæteri Catechumeni faciunt, apertè profiterentur; atque ideo eiſdem Catechumenis loco & gradu longè inferiores eſſent.

Catechumeni ſunt, qui primùm de Iudaiſmo vel de gentilitate veniunt, animo, & voluntate in Chriſtum credendi. Et quia primum exhortationis præceptum eſt in lege Dei; Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt; indè is, cui per Sacerdotem, quaſi per Moyſen, Deus loquitur, Catechumenus, id eſt audiens, nominatur, ſcilicet vt vnum Deum agnoſcens, relinquat errores nefarios idolorum. Sed & de omni infidelitatis ſecta ad Chriſtum venientes, Catechumeni dicuntur. Catechumenus quippe Græcè, Latinè audiens, ſeu auditor dicitur, eò quod adhuc doctrinam fidei audit, quæ non libro aut ſcriptura, ſed verbo ei traditur, & ſolo auditu ſuſcipitur; needum tamen Baptiſmum percepit. Ad Chriſtum autem veniens ideo primum efficitur Catechumenus, vt ab eo per Chriſti gratiam ad fidei nouitatem vocato, Dominus cæcitatem cordis, & priſtinam conuerſationem expellat; ipſe verò audiens à Sacerdote eiuſdem fidei doctrinam, credat; credens verò Baptiſmi gratiam conſequi valeat.

Poſt Catechumenos, ſecundus Competentium gradus eſt: Competentes autem ſunt, qui iam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ, ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant, & illam petunt: vndè & à petendo Competentes dicuntur, quaſi ſimul petentes, quòd poſtquàm in fide inſtructi fuerint, ſimul Baptiſmū petant. Nam Catechūmeni tantùm audiunt, needum petunt; ſunt enim quaſi hoſpites, & vicini fidelium, foris audiunt myſteria, audiunt gratiam; ſed nondum fideles appellantur. Competentes verò iam petunt, iam accipiunt, iam catechizantur, ideſt imbuuntur inſtructione fidei, & Sacramentorum. Iſtis enim ſalutare ſymbolum traditur, quaſi commonitorium fidei & ſanctæ confeſſionis indicium, quo inſtructi agnoſcant, quales ad gratiam Chriſti exhibere ſe debeant.

Hi quoque Electi dicuntur, vel quaſi diuina voluntate ad fidem, & Baptiſmi gratiam vocati, vel quòd ad eam ſuſcipiendam electi ſint, qui in ſcrutinijs habitis idonei comperiuntur, vt ſuprà de ſcrutinijs dictum eſt.

Illuminandi item vocantur apud ſanctos aliquos Patres, præſertim Græcos, quòd per Baptiſmum, quem mox ſuſcepturi ſunt, luce diuinæ gratiæ illuſtrati, ac fidei Chriſtianæ myſterijs imbuti, pleniùs illuminabuntur.

Tertius gradus venientium ad fidem eſt eorum, qui iam baptizati ſunt, & Neophyti vocantur, quaſi noui fideles, ſeu nuper renati, ſiue recèns Chriſtiani effecti: Neophytus enim Græcè, Latinè noua planta interpretatur.

Baptiſmus ſeu Baptiſma Græcè dicitur hoc Sacramentum: quia ſacra tinctio ſeu intinctio,

tinctio,immerſio vel ablutio eſt; ſiue cœleſte lauacrum, quod per aquam exhibitum in nomine perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis, omnes originalis & aliorum peccatorum maculas & ſordes abluit ſeu lauat, tollit & emundat. Sed & alias ſ appellationes habet diuinum hoc munus ex multiplici eius vtilitate, & diuerſis effectibus, quos confert. Illud enim Patres poſt ſanctos Apoſtolos, vocant Donum, Gratiam, Baptiſmum, Vnctionem,Illuminationem, Immortalitatis indumentum, Regenerationis lauacrum, Sigillum,& demum excellentiſſimo quoque nomine: ac poſtremò, præter hæc omnia, lumen proprio & peculiari modo eſt Baptiſmi ſplendor, vt Nazianzenus ε tradit.

Catechumeni etſi in Eccleſiam ſemel, dum initiantur, ſunt admiſſi, & in ea verbum Dei audire,ac ſeorſum à fidelibus orare poſſunt: non tamen ibi publicis diuinis officijs,aut ſacris Miſſæ myſterijs intereſſe debent, niſi Miſſæ Catechumenorum, quæ idcirco ſic appellata protenditur ab Introitu,vſque ad Offertorium excluſiuè: tunc enim iuxta antiquum morem admoneri,& foras mitti conſueuerunt, ita clamante Diacono: CATECHVMENI foras exeunto. SIQVIS eſt Catechumenus, exeat foras. vel, SIQVIS Catechumenus remanſit, exeat foras: qua ratione nec ſacras ordinationes ipſis Catechumenis ſiue Audientibus præſentibus fieri debere ſtatutum eſt. Cæterùm nec ad publicam fidelium benedictionem, aut orationem Catechumeni conueniant,ſed in alio loco ſegregati orare iubeantur. In ſcrutinijs autem id,quod in illorum Ordine præſcribitur, obſeruetur.

Informandi quoque ſunt, vt vocati ad ſcrutinia, & catechiſmos, veniant; & ab Eccleſia iuſſi ſecedere, ſecedant; & iuſſi procedere, procedant; & admoniti ad ſe ſignandos, & ad orationem, ſeu benedictionem ſuſcipiendam, ſinguli ſeſe, vel eos patrini offerant ſingillatim.

Curent autem Presbyteri, & Clerici, ad quos pertinet, vt Catechumeni impuberes, vel adulti memoriæ mandent Symbolum, quod in tertio ſcrutinio eis traditum eſt, vt illud memoriter reddere poſſint in Sabbato ſancto.

Quòd verò in eodem ſcrutinio Presbyter interrogat, qua lingua Catechumeni confiteantur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,& Symbolum Græcè,& Latinè illis traditur; id indè factum eſt, tum quòd antiquitus in Romana Eccleſia venientes ad fidem duabus potiſſimùm linguis, nempe Græca,& Latina vterentur,velut quæ tunc in toto orbe Romano vigebant, & frequentiùs colebantur; tum propter earum linguarum dignitatem, quòd reliquis præſtantiores eſſent; tum denique propter myſticam illarum ſignificationem,quòd per Græcam ſapientia, per Latinam verò Romanorum potentia,quæ Chriſto ſubijciuntur, deſignarentur. Proinde Catechumeni, & infantes, qua lingua, Græcáne, an Latina Chriſtum Dominum confiterentur, interrogabantur, & vtraque eis tradebatur Symbolum ex præſcripto Ordinis Romani,qui integrè quoad id repoſitus eſt,non modò propter venerandæ antiquitatis memoriam,verùm etiam vt ſiquando aliqui ad fidem veniant, qui Chriſtum Græca lingua profiteantur, is quoque Ordo vſui eſſe poſſit. Ac ſi præſtò non ſit Acolythus, qui Græcam linguam calleat,adſit eiuſdem linguæ peritus interpres, qui pro Acolytho Symbolum ea lingua pronuntiet.

Præterea ſiqui ex his,qui ad fidem veniunt,nec Græcam,nec Latinam, neque vernaculam linguam intelligant,ſed Arabica, Turcica, Perſica, aliaue ſimili lingua vtantur, per peritos, & fideles interpretes Symbolum, non ſolùm vel Græcè, vel Latinè, ſed etiam propria eorum lingua edoceantur, & illud eis fideliter explicetur.

Ad id etiam operæpretium eſt,Symbolum Concilij Conſtantinopolitani,quo & ſancta Romana Eccleſia vtitur in Miſſa, deſcriptum,vel impreſſum habere,Illyrica,Armenica,Chaldæa,Aethiopica,Arabica, & alia eiuſmodi lingua; quòd Chriſtianis illarum nationum gẽtibus, & cunctis Orientalibus,hoc Symbolũ potiſſimùm ſit in vſu.

Infantes, qui offeruntur in primo vel ſequentibus ſcrutinijs, ſi lactentes ſint, quia propter tenellam eorum ætatem periculum mortis veriſimiliter timeri poteſt,Presbyter non differat eos baptizare vſque in Sabbatum ſanctum; ſed completo ſcrutinio

illos poterit, eo vel alio præſcripto aut placito die baptizare, proſequens reliqua, vt in ſeptimo ſcrutinio & Ordine Baptiſmi in ſabbato ſancto, vel etiam vt in Ordine Baptiſmi paruulorum. Qui autem firmioris ætatis ſunt, puta quadrimi, & ea ætate maiores, ſi nullum immineat periculum, poterunt reſeruari ad reliqua ſcrutinia, vſque in ſabbatum ſanctum Paſchæ, vel Pentecoſtes.

Qui verò recèns nati paruuli, vel lactentes reperiuntur eodem ſabbato Paſchæ, vel Pentecoſtes nondum baptizati, hi eo die deferantur ad Eccleſiam, vbi Presbyter eos catechizet, & exorcizet integrè, ſicut in prædicto Ordine Baptiſmi paruulorum, vſque ad vnctionem de oleo Catechumenorum inter pectus & ſcapulas incluſiuè; & poſt fontis benedictionem vnà cum alijs in præcedentibus ſcrutinijs catechizatis, ſiqui ſunt, baptizet: niſi priùs eis ſuperueniens aliqua neceſſitas poſtulet ſubueniri.

Sed & in Eccleſijs, vbi hic ſolennis per ſcrutinia Baptiſmus non celebratur, idem ſeruetur vtroque ſabbato, Paſchæ ſcilicet, & Pentecoſtes; vt omnes paruuli, qui baptizādi reperiūtur, eodem die priùs de more catechizati, prout in eodem Ordine Baptiſmi paruulorum continetur, & in número plurali, ſi plures fuerint, eiuſmodi neceſſitate ceſſante, poſt fontis benedictionem, ſimili modo ſolenniter baptizentur.

Adulti autem, qui graui morbo aut ægritudine detinentur, poterunt ſimiliter poſt ſcrutinium baptizari, obſeruatis reliquis, quæ vel in eodem ſeptimo ſcrutinio & Ordine baptizandi in ſabbato ſancto vt ſuprà, vel in Ordine Baptiſmi adultorum, continentur.

Animaduertat præterea Sacerdos, vt tam illa, quæ ſuprà in præmonitionibus ante Ordinem Baptiſmi paruulorū tradita ſunt, quàm etiam ſequentia diligenter attendat.

Caueat, ne quem inuitum vel coactum, Iudæum, Saracenum, Paganum, aliumve Infidelem baptizet; nec etiam amentem, vel furioſum, niſi talis à natiuitate fuerit, (nam de eo idem iudicium faciendum eſt, quod de pueris) aut niſi priùs Catechumenus extitiſſet, vel dum ſibi conſtaret, vel dilucida haberet interualla, ſacris myſterijs petijſſet initiari, vel ſuſcipiendi Baptiſmi propoſitum antea habuiſſet, aut deſiderium & voluntatem oſtendiſſet.

Idemq. dicendum eſt de dormiente, & de eo, qui veterno ſeu lethargo, aut phreneſi laborat; vt tantùm vigilans, & intelligens baptizetur: niſi periculum mortis immineat, & in eo priùs apparuerit voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum.

Muti quoque & ſurdi baptizari poſſunt, ſi ſigno demonſtrent ſe velle baptizari.

Similiter & ſubitò obmuteſcens, baptizari, veluti etiam pœnitentiam accipere, poteſt; ſi aut præteritæ voluntatis teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis nutu ſuo.

Adulti verò cùm baptizantur, non pro eis patrini, vt fit in Baptiſmo paruulorum, ſed ipſi per ſeſe reſpondeant Sacerdoti: niſi vel ægrotantes, qui iam loqui non poſſunt, aut muti, vel ſurdi ſint, quorum vice alius profitetur, & pro eis reſpondere debet.

Catechumeni energumeni qui à dæmonibus vexantur, diligenter exorcizandi, purgandiq. ſunt; vt ab illorum incurſu, & oppreſſione curentur, & prout neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, baptizentur.

Pro honeſtatis decore, in adultorum Baptiſmo vir ſuſcipiat virum, & mulier mulierē.

Deceret etiam eos, qui in patrinos Catechumenorum adultorum deliguntur, (ſi commodè fieri poteſt) illos, quos in Baptiſmo ſuſcipiunt, ætate præcedere.

Vbi Sacerdos Catechumenos adultos, vel infantum baptizandorum ſuſceptores iuxta Ordinem interrogat, & ij Latinam linguam non intelligunt, illud idem eis, vernacula, ſiue materna eorum lingua explicet atque declaret.

Cùm plures ſunt baptizandi, ſuper ſingulos, dum eos aqua perfundit, vel aſpergit, ſingulariter proferat formam, Ego te baptizo, &c. non autem in numero plurali, ſuper omnes dicens, Ego vos baptizo, &c. niſi omnes, vel aliqui ex eis in extremis laborarent, & ſi vlterior mora interponeretur, ſine Baptiſmo interire poſſent.

Pro huius veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quàm ipſos

ſos

fos adultos, qui sani sunt, conuenit esse ieiunos. Quare non post epulas aut prandia, sed antemeridianis horis (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

Sacerdos diligenter curet, vt informetur, & certior fiat de statu, & conditione venientium ad fidem, & eorum præsertim, qui exteri sunt, ab his qui de eis certam notitiam habere possunt, vel ab Ordinarijs locorum, ex quibus adueniunt, aut orti sunt, vel ab alijs, quoad fieri poterit. Atque animaduertat, nequis iam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quæstum vel aliam ob causam fraude, dolove iterum baptizari velit.

Quoties aliquem de genere Christianorum, qui Mahumetismum, vel aliam infidelitatis sectam fuerit professus; de partibus Infidelium, aut de terris Turcarũ, aliorumve Barbarorum tyrannidi subiectis, ad nos confugere, & Baptismum petere contigerit; si se ignorauerit esse baptizatum, aut ipse de Baptismo suo nihil affirmare, nec alius de eo attestari possit, solita primùm examinatione discutiendum, & longo tempore (nisi fortè supremus vitæ finis immineat) indagandum est, vtrùm nemo penitus sit, qui ea de re testimonium perhibere valeat: & cùm constiterit, eum sola inani suspicione prohiberi (quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur) ad Baptismi gratiam consequendam, cuius in se nullum scit esse vestigium, admittatur: verùm sub infrascripta conditione, SI BAPTIZATVS ES, NON TE REBAPTIZO, ETC. eum baptizari oportebit. Sed & hunc ipsum sub simili conditione ab Episcopo reconciliari necesse est; vt si antea forsan baptizatus erat, Ecclesiæ vnitati, à qua per apostasiam & perfidiam exciderat, per pœnitentiam modò restituatur. Id verò, in reuerentiam Baptismi iam sub conditione collati, ne ex hoc aliquis offendatur, priuatim fiat.

Idemq. & eadem ratione censendum est circa eos, de quibus, quòd earũ sint regionum, vbi rari sunt Sacerdotes, & rari Christi fideles, & vbi Infideles, aut impij Hæretici dominantur, vel aliquo alio casu nulla extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter Clericos, aut vicinos, quibus baptizati fuisse doceantur, quiq. nihil omnino de suo Baptismo, aut de ijs, quæ ad illius susceptionem recolendam pertineant, meminisse possunt; vt eis sacrum Baptisma conferatur, quod collatum esse nescitur; sed sub eadem, vt præfertur, conditione.

Si de impuberibus quoque vel infantibus, qui in partibus Infidelium, vel in locis Christiani nominis hostibus finitimis, & eorum aggressionibus, depopulationibus, rapinisve expositis, subtracti, aut à Barbaris, & Infidelibus, etiam cum matribus capti, & deinde redempti, aut aliàs è seruitute erepti sunt; an baptizati sint, ignorari aut dubitari contingat, nec inueniantur certi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione affirment, neque ipsi per ætatem possint de traditis sibi Sacramentis respondere; absque scrupulo quilibet illorum baptizari debet, sed sub eadem conditione.

Et generaliter omnes, de quibus probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, iuxta decretum fe.re. Alexandri Papæ III. baptizentur his verbis, seu sub hac conditione: SI BAPTIZATVS ES, NON TE REBAPTIZO, SED SI NONDVM BAPTIZATVS ES, EGO TE BAPTIZO, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Qui verò de regionibus, vbi diuersæ prauitatis sectæ vigent, & nefariæ hæreses grassantur, orti, se baptizatos quidem sciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauere, se nescire profitentur; à quocunque baptizati fuerint, dummodò in forma Ecclesiæ; hi rebaptizandi non sunt: & si hæresibus, vel erroribus non adhæserunt, aut consenserunt, suscipiendi sunt per manus impositionem Episcopi, hoc est per Sacramẽtum Confirmationis, si nondum illud acceperint. At si hæresibus adhæserunt, sedulò instruantur, & hæresum huiusmodi, atque errorum detestatione & abiuratione præcedente absoluendi, & vnitati Ecclesię reconciliandi iuxta formam traditam in Pontificali, ac deinde sacramento Confirmationis, si illud antè non perceperunt, à Pontifice

tifice

tifice consignandi sunt; vt virtutem Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, consequantur.

Et vbi Hæretici in Baptismo, sicut recentiores faciunt, præscriptas non adhibent preces, vel exorcismos, aut vnctiones; cùm ex ijs aliqui ad Catholicam redeunt Ecclesiam, postquàm reconciliati fuerint, & antequàm à Pontifice confirmentur, monendi, hortandiq. sunt, vt preces huiusmodi, & exorcismos; vel saltem Olei sancti & Chrismatis vnctiones, quæ in Baptismo adhiberi solent, super se à Parocho suppleri curent.

Hæretici autem ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma seruata non est, & qui ideo baptizandi sunt, inter Catechumenos admissi exorcizentur, catechizentur, & diu versentur in Ecclesijs, ac sacras scripturas audiant, & vbi de suorum errorum prauitate, deq. orthodoxa fide plenè instructi fuerint, baptizentur.

1 *S. Clemens Papa lib.5. constitut. SS. Apostolorum cap.20. dicit: Catechumeni in pernoctatione magni Sabbati ex ordinatione Apostolorum baptizandi erunt.*

S. Siricius Papa I. in epist. ad Himerium Tarraconen. Episcopum cap. 2. Sequitur de diuersis baptizandorum temporibus, prout vnicuique libitum fuerit, probabilis & emendanda confusio, quæ à nostris Consacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione auctoritatis alicuius; sed sola temeritate præsumitur, vt passim ac liberè natalitijs Christi seu apparitionis; necnon & Apostolorum seu Martyrum festiuitatibus, innumeræ, vt asseris, plebes Baptismi mysterium consequantur: cùm hoc sibi priuilegium apud nos & apud omnes Ecclesias Dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat: quibus solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi conuenit Sacramenta his dumtaxat Electis, qui ante 40. vel eo amplius dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisq. orationibus atque ieiunijs fuerint expiati: quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, vt expurgato fermento veteri, noua incipiat esse conspersio. Sicut sacram ergo Paschalem reuerentiam in nullo dicimus esse minuendam: ita infantibus, qui necdum loqui poterunt per ætatem; vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri vnda Baptismatis omni volumus celeritate succurri: ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens vnusquisque de seculo regnum perdat & vitam. Quicunque etiam discrimen naufragij, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cuiuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderint; & sibi vnico credulitatis auxilio poposcerint subueniri, eodem, quo poscunt, momento temporis, expetitæ regenerationis præmia consequantur. Hactenus &c.

Hoc autem patet, quia in Concilio Moguntiaco sub Carolo Magno cap. 4. & in altero Concilio seu Synodo etiam Moguntina sub Ludouico Rege cap.3. Tom. 3. Concil. eadem verba ex decreto S. Leonis in summa referuntur, duo tempora, idest Pascha & Pentecosten, ad baptizandum à Romano Pontifice legitimè præfixa esse.

S. Leo Papa I. epist. 4. cap. 1. & cap.4. & epist. 80. aliàs 78. cap. 1. ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos.

S. Gregorius lib.7. Regesti in epist. siue cap.24. ad Fantinum Defensorem.

Gelasius Papa in cap. Venerabilis. de consecr. dist.4. & cap. Baptizandi. ibidem.

Conc. Parisiense sub Ludouico & Lothario Impp. lib.1. cap.33. Tom.3. &

Conc. Vuormacien. sub Ludouico Rege cap.1. eod. Tomo.

Conc. Meldense cap.6. eod. Tomo.

Beda homil.12. inter æstiuales.

Alcuinus de Sabbato sancto pag.41.

Vualfridus cap. 26.

Raban. lib.2. de institut. cleric. cap.38.

Beleth de diuin. offic. cap.110. & 131.

Durand. lib.6. Rationalis cap.56. sub num.4. & cap.83. nu.3. & 4.

Eckius homil. 19.

2 *S. Clemens lib.5. constitut. Apostol. cap.20.*

S. Leo Papa I. in epist.4. ad vniuersos Episcopos per Siciliam constitutos cap. 3. 4. & 5. vbi ratione comprobat baptizandis in Ecclesia Electis hæc duo tempora scilicet Paschæ & Pentecostes esse legitima, & non alios dies; & admonentur Episcopi vt nullos alios dies huic obseruantiæ misceant. Et cap.6. hæc duo tantùm tempora, Pascha & Pentecosten dicit esse seruanda. Et transcribuntur à Gratiano de consecr. dist.4. cap. Propriè in morte. & cap. Duo tempora.

& in epist.80. aliter 78. ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum constitutos cap.1. ibi, quosdam ex vobis ita esse Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos.

Et decreta S. Leonis referunt Conc. Moguntiacum sub Carolo Magno cap.4. Tom.3. Concil. & Concil. seu Synodus Moguntina sub Ludouico Rege præsidente Rabano cap.3. Tomo etiam 3. Concil. Item cap.6. Non interdicta licentia qua in Baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subuenitur &c.

Concil. Gerunden. cap.4. Tom.2. Concil. dicit, de Catechumenis baptizandis statutum esse, vt in Paschæ solennitate vel Pentecostes propter celebritatem baptizentur: infirmos verò quocunque tempore. Habetur de consecr. dist.4. cap. de Catechumenis.

Concil. Vuormaciense sub Ludouico Rege cap. 1. Tomo 3. Concil. Sacrosancti autem Baptismi Sacramentum nonnisi in Paschali festiuitate & Pentecoste vnusquisque fidelium nouerit esse præbendum; exceptis his, quibus mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remedijs subueniri.

Concil. Parisiense sub Ludouico & Lothario Impp. cap.33. Tomo 3. Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet & Pentecoste, Baptismum: ita etiam traditio Sancti Spiritus per impositionem manuum fidelibus tradatur: exceptis videlicet, vt dictum est, infirmis, & morte periclitantibus, quibus sicut baptismatis gratia succurrendum; ita incunctanter donum Sancti Spiritus est tradendum.

Concil. Meldense cap. 6. Tom.3. Concil. Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet & Pentecoste, à ieiunis celebrari debet Baptismus: ita etiam traditionem Spiritus Sancti à ieiunis Pontificibus conuenit celebrari, de consecr. dist.5. Vt Episcopi.

Beda homil.12. inter æstiuales de tempore.

Alcuin. de diuin. offic. tit. De Sabbato sancto Paschæ, & habetur in libello Fragmentorum Caroli Magni in Sabbato sancto pag. 41.

Raban. lib.2. de institut. cleric. cap.38. De Sabbato sancto Paschæ. Quicunque, inquit, scire desiderat quanta auctoritate & ratione Baptismus istius temporis nobis commendatur, legat decreta Leonis Papæ, & inueniet.

Vualfridus de rebus Eccles. cap. 26. col. 3. Tempora autem baptizandi, ait, legitima Pascha & Pentecoste præfiguntur, secundum decreta Siricij, Leonis vel Gelasij Episcoporum. Et infrà assignat rationem cur Præsules Romani congruè hæc duo tempora sola præfixerunt baptizandis.

Io. Beleth de diuin. offic. cap.110. & 131.

Guliel. Duran. lib.6. Rationalis cap.56. sub nu.4. & cap.83. num.3. & 4.

Io. Eckius homil.19. de constitutis temporibus Baptismi. Tom.4. homiliarum.

Nec obstat S. Gregorij Papæ lib. 7. Regesti epistola siue cap. 24. ad Fantinum Defensorem, De Iudæis, qui conuerti volebant; vt si nollent expectare solennitatem Paschalem, statim baptizari permitteretur eis, vt citius conuerterentur, & non retardarentur venire ad fidem propter hoc & ex alijs rationibus: vt alias plenius à nobis dictum est, & etiam ex Eckio in homil. 19.

3 *S. Siricius Papa in epistola. S. Leo Papa epist.4. Iuo in decreto par.1. Vualfrid. cap. 26. Io. Beleth cap.110. Durand. lib.6. cap.16. De Epiphania, & cap.83. nu.4. Eckius homil.19.*

4 *S. Isidorus lib.6. Etymologiarum, cap. de offic. §. Baptismum Græcè. Rabanus Maurus de institut. cleric. lib.1. cap.25. de Baptismatis Sacramento, & cap. 28. De tinctione Baptismi, & vnctione chrismatis. & Burchard. in decret. lib.4. cap. 1. Auctor tractatus M.S. apud Bibliothecam Vatic. ex Palatio Aquisgrani, De Catholica Ecclesia & eius ministris, & baptismatis officio, cap. De Baptismo. Guliel. Duran. lib.6. Rational. cap.83. in princ.*

5 *S. Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum baptisma post princ.*

6 *Idem S. Gregorius ibidem.*

7 *Concil. Laodicen. can.4. Tom.1*

De

De Scrutinijs Catechumenorum, & solenni ordine baptizandi in Sabbato sancto Paschæ.

SOlennem, ac generalem Baptismum, qui Sabbato sancto in vigilia Paschæ celebratur, in Ecclesijs præsertim, vbi complures fuerint ex Iudæis, Paganis, aut alijs Infidelibus Catechumeni baptizandi, septem scrutinia, antiquo sanctæ Romanæ Ecclesiæ more, antecedere debent. Hæc autem incipiunt à tertia hebdomada Quadragesimæ, & terminantur eodem Sabbato sancto.

Primum scrutinium faciendum est feria quarta hebdomadæ tertiæ Quadragesimæ.

Secundum sabbato eiusdem hebdomadæ.

Tertium quod præcipuum, & maximum est inter ipsa septem scrutinia, & in apertione aurium vocatur, feria quarta hebdomadæ quartæ Quadragesimæ celebratur.

Quartum verò feria quarta sequentis hebdomadæ quintæ in Quadragesima post Dominicam de passione.

Quintum sabbato sequenti eiusdem hebdomadæ quintæ, quod est ante Dominicam in Ramis Palmarum.

Sextum autem quarta, vel alia feria præcedente sequentis sextæ, & vltimæ hebdomadæ Quadragesimæ ante Pascha.

Septimum denique eadem hebdomada in sabbato sancto celebratur.

Quòd autem aliqui septimum ponunt feria quarta vltimæ, seu maioris hebdomadæ, idcirco faciunt, quòd quartum ponunt sabbato hebdomadæ quartæ, quintum verò, & sextum prædictis ferijs sequentis hebdomadæ, & non connumerant inter scrutinia id, quod agitur sabbato sancto, sed totum referunt ad Baptismum. Verùm Ordo habet, & consuetudo obtinuit, vt hebdomada quarta, præter tertium, aliud scrutinium non fiat, & quod in ipso sabbato sancto fit circa Catechumenos ante Baptismum, scrutinium septimum censeatur, & sic eo die scrutinia compleantur. Similiter etiam, quòd alij quidam diuerso modo hebdomadibus, vel earum ferijs plura, vel pauciora scrutinia attribuant, id quidem extra Ordinem Romanum est, sed forsan iuxta aliquarum Ecclesiarum morem.

Hæ autem feriæ non ita præscribuntur, vt alijs ferijs huiusmodi scrutinia peragi nequeant, sed quòd in illis ea fieri varijs causis, atque mysticis significationibus rationabiliter ab Ecclesia fuerit obseruatum. Si verò Sacerdoti pro ratione personarum, ac pro loco, & tempore, commodius visum fuerit alijs ferijs illa celebrare, id arbitratu suo poterit, dummodò à tertia hebdomada Quadragesimæ incipiant, & terminentur in sabbato sancto, & tertium scrutinium, quod cæteris solennius

est, non in aliam feriam, nisi quid impedimento sit, transferatur, sed propter mysterium propria illi præscripta peragatur.

Vnumquodque verò scrutinium aliquo antè die Catechumenis, vt ad illud conueniant, per Presbyterum Ecclesiæ denuntiatur, qua in Ecclesia, quove die habendum sit.

Incipit Ordo Scrutiniorum ante Baptismum generalem, & solennem.

Denuntiatio primi scrutinij ad Electos, quod secunda feria tertiæ hebdomadæ in Quadragesima, qua est statio ad sanctum Marcum, vel etiam Dominica III. præcedente, nuntiatur.

SCrutinij diem, dilectissimi fratres, quo Electi nostri diuinitus instruantur, imminere cognoscites ideoq. solita deuotione, succedente sequenti quarta feria, circa horam tertiam, in hac vel illa Ecclesia conuenire dignemini, vt cœleste mysterium, quo Diabolus cum sua pompa destruitur, & ianua regni cœlestis aperitur, inculpabili, Domino iuuante, ministerio peragere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Primium Scrutinium.

FEria igitur quarta post tertiam Dominicam Quadragesimæ, qua die est Statio ad S. Sixtum, primum Catechumenorum scrutinium celebratur. Vt autem ad Ecclesiam venerint hora tertia Catechumeni, vel Infideles, qui diuinitus illuminati tunc ad Christi fidem, & Baptismum sponte se venire profitentur, pro foribus consistant, & adulti dent nomina sua, quæ ab Acolytho notario, siue à Cancellario Ecclesiæ scribantur in libro asseruando ad reliqua scrutinia, & Baptismum. Scribantur etiam nomina infantum, qui ad huiusmodi scrutinium deferuntur. Itemq. nomina eorum, qui ipsos Catechumenos, vel infantes suscepturi sunt, vel in primis eos in catechismo tenent.

Interim verò Sacerdos paratus planeta coloris violacei cum Diacono, & Subdiacono, qui planetis antè pectus plicatis induti sint, præcedentibus Ceroferarijs cum alijs Acolythis, & clericis, prodit è sacrario in Ecclesiam, & cum eis ante altare ad illius gradus procumbens, aliquantisper orat, ac deinde sedet in sede sibi parata, in loco decenti designato in media naui Ecclesiæ antè chorum, vel altare.

Tunc diuinum ministerium auspicaturus, dicit cum ministris aliquot psalmos, vel preces, quæ habentur ante Baptismum adultorum, vel alias arbitrio suo.

Deinde Diaconus clamat dicens.

Catechumeni procedant.

Et Acolythus vocet eos in Ecclesiam tam adultos, quàm infantes per

per nomina, vel ordinem, ſicut ſcripti ſunt, ita dicendo.

N.N. vir, vel mulier; ſeu ille N. puer, vel puella, ſeu virgo; vel ille infans, & ſic ſingulorum nomina recenſeat:

Et ſtatuantur mares ſeorſum ad dexteram celebrantis, fœminæ verò ſeorſum ad ſiniſtram partem.

Tunc Presbyter benedicit cinerem pro ijs, qui ſcrutinia ſunt habituri, & baptizari deſiderant.

Benedictio cineris.

EXorcizo te cinis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & Ieſu Chriſti filij eius ✠, & Spiritus ſancti ✠, qui te per ignem in fauillam conuerti præcepit; vt ſicut iuſſione Dei per ſanctum famulum eius Moyſen cinis vitulæ in populo aſperſus omnem congregationem Iſrael ſanctificauit, ita tu exorcizatus in nomine ſanctæ Trinitatis aſperſus in eis, qui ſcrutinia ſunt habituri, eos ſanctifices, vt Diabolus non lateat, ſed manifeſtetur, atque expellatur, vt puri, & ſinceri inueniantur. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

TE item petimus & rogamus omnipotens Pater, vt ſicut Niniuitarum populus ad prædicationem Ionæ Prophetæ miſericordiam tuam Domine exorantes, ſuorum veniam meruerunt conſequi peccatorum; ita & hi, qui ad tuam gratiam percipiendam venire deſiderant, amputatis carnalibus maculis per ſacri Baptiſmatis regenerationem, ſuorum finem conſtituant vitiorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde ſpargat cineres ſuper eos, qui ſcrutinia ſunt habituri.

Hæc cineris benedictio in ſequentibus ſcrutinijs poterit prætermitti, ſi cinis ipſe ſemel benedictus in eundem vſum fuerit reſeruatus.

Tunc in primis Presbyter nominatim, ſicut ſcripti ſunt, interrogat ſingulos Catechumenos, & infantes, & ſinguli reſpondent, adultus pro ſe, ſuſceptor verò pro infante.

N. Abrenuntias Satanæ? Reſpondet. Abrenuntio.
Et omnibus operibus eius? Reſpon. Abrenuntio.
Et omnibus pompis eius? Reſpon. Abrenuntio.

Deinde interrogat de Symbolo, dicens.

Credis in Deum Patrem omnipotētem creatorem cœli & terræ? ℟. Credo. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Poſtea exufflet ter in faciem cuiuſque Catechumeni, vel infantis, ter dicens.

Exi immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Et tunc primitus faciat Presbyter in singulorum frontibus crucem cum pollice, ita dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Postquàm eos signauerit, imponit manum super capita eorum, & deinde dicit. Oremus. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hos famulos tuos, quos ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eis expelle; disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerant alligati: aperi eis Domine ianuam pietatis tuæ; vt signo sapientiæ tuæ imbuti, omnium cupiditatum fœtoribus careant, & ad suauem odorem præceptorum tuorum læti tibi in Ecclesia tua deseruiant, & proficiant de die in diem; vt idonei efficiantur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Item super fœminas faciat similiter, eas signando, vt suprà; & deinde dicat eandem orationem in genere fœminino.

Postea benedicat Salem hoc modo.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in charitate Domini nostri Iesu Christi ✠, & in virtute Spiritus sancti ✠. Exorcizo te per Deum viuum ✠, per Deum verum ✠, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per seruos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noster, vt hæc creatura salis in nomine sanctæ Trinitatis efficiatur salutare sacramentum ad effugandum inimicum; quam tu Domine sanctificando sanctifices ✠, benedicendo benedicas ✠; vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Et mittat Presbyter in os singulorum de ipso sale, singulis dicendo.

Accipe salem sapientiæ propitiatus in vitam æternam.

Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Oratio.

Deus patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis, te supplices exoramus; vt hos famulos tuos respicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum salis gustantes, non diutiùs esurire permittas, quo minus cibo expleantur cœlesti; quatenus sint semper spiritu feruentes, spe gaudentes, tuo semper nomini seruientes: perduc eos ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Diaconus dicat.

Catechumeni recedant.

Deinde verò exeant foras de Ecclesia in eius porticum, vel vestibulum, aut alium locum designatum, & expectent donec reuocentur.

Tunc primùm incipiat Clerus antiphonam ad Introitum.

MISSA.

CVm sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris; & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum nouum. Psal.
Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius. ℣. Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.
Cum sanctificatus fuero, &c. Kyrie eleison, &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DA quæsumus Domine Electis nostris; vt sanctis edocti mysterijs, & renouentur fonte Baptismatis; & inter Ecclesiæ tuæ membra numerentur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Postea sedeat Presbyter in sede sua, & dicat Diaconus.

Catechumeni procedant.

Et vocentur Catechumeni, & infantes ab Acolytho per nomina, vel ordinem, vt scripti sunt: & statuantur mares in dextra, fœminæ in sinistra parte, vt priùs. Et postmodum ita à Diacono admoneantur.

Orate Electi, flectite genua.

Et postquàm orauerint, dicat.

Leuate, complete orationem vestram in vnum, & dicite, Amen.

Et respondeant omnes. Amen.

Item dicat Diaconus.

Signate illos. Accedite ad benedictionem.

Et signent illos in frontibus, eorum patrini vel matrinæ pollicibus suis, dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Tunc veniat Acolythus iterum faciens crucem in frontibus singulorum masculorum, ita dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Et imponat manum super eos; ac deinde excelsa voce, sine Oremus, dicat.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Aegypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte; te quæsumus Domine, vt mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui similiter custodiat & hos famulos tuos, & perducat eos ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ERgo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero; & da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto; & recede ab his famulis Dei: quia istos sibi Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis vocare dignatus est: & hoc signum sanctæ crucis, quod nos frontibus eorum damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas

deas violare. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.
℟. Amen.
Et idem Acolythus vertat se ad fœminas, & faciat crucem in frontibus earum, dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt suprà.
Et imponat manum super capita singularum, & dicat.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorũ, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarũ, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium benè viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; te inuoco Domine, vt has famulas tuas à dæmonum illusionibus custodire digneris, & perducere ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ERgo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero; da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto; & recede ab his famulabus Dei; quia istas sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemq. baptismatis vocare dignatus est: & hoc signum sanctæ crucis, quod nos frontibus earum damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.
℟. Amen.
Et annuntiat Diaconus dicens.

Orate Electi, flectite genua.
Et postquàm orauerint, dicit.

Leuate, complete orationem vestram in vnum, & dicite, Amen.
Et respondent omnes. Amen.
Item dicit Diaconus.

Signate illos. Accedite ad benedictionem.
Et signant eos patrini vel matrinæ, vt priùs, dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Et sequitur alius Acolythus, & super masculos facit crucem, sicut primus fecit; & imponit manum super eos, & dicit.

DEus immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum, te inuoco Domine super hos famulos tuos, qui Baptismi tui donum petentes, æternam consequi gratiam spiritali regeneratione desiderant: accipe eos Domine, qui dignatus es dicere; petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis: petentibus itaque præmiũ porrige, & ianuam pande pulsantibus; vt æternam cœlestis lauacri benedictionem consecuti, promissa tui muneris regna percipiant. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in secula seculorum.
℟. Amen.

AVdi maledicte Satana, adiuratus per nomen æterni Dei,& Saluatoris nostri Iesu Christi filij eius, cum tua victus inuidia, tremens, gemensq. discede: nihil tibi sit commune cum seruis Dei, iam cœlestia cogitantibus, renuntiaturis tibi, ac seculo tuo, & beata immortalitate victuris. Da igitur honorem aduenienti Spiritui sancto, qui ex summa cœli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgata pectora, atque sanctificata, Deo templum, & habitaculum perficiat; & ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberati serui Dei, gratias perenni Deo referant semper, & benedicant nomen eius sanctum, in secula seculorum. ℟. Amen.

Item super fœminas similiter faciens crucem vt suprà, imponit manum super eas, & dicit.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui Tribus Israel de Aegyptiaca seruitute liberasti,& per Moysen famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti,& Susannam de falso crimine liberasti; te supplex deprecor Domine, vt liberes has famulas tuas, & perducere eas digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ergo maledicte Diabole &c. vt suprà.

Item Diaconus dicit.

Orate Electi, & flectite genua.

Ac vbi orauerint, dicit, vt priùs.

Leuate, complete orationem vestram in vnum, & dicite. Amen.

Et omnes respondent, Amen.

Rursus Diaconus dicit.

Signate illos. Accedite ad benedictionem.

Et signant eos patrini vel matrinæ, vt superiùs, dicentes.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Deinde tertius Acolythus facit crucem in frontibus Catechumenorum marium, sicut anteriores fecerunt, & imponit manum super capita eorum, & dicit.

EXorcizo te immunde spiritus in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus sancti ✠; vt exeas, & recedas ab his famulis Dei: ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit,& Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte Diabole,&c. vt suprà.

Item facit super fœminas crucem, vt superiùs, & imponit manum super capita earum, ac dicit.

EXorcizo te immunde spiritus per Patrem ✠, & Filium ✠, & Spiritum sanctum ✠; vt exeas,& recedas ab his famulabus Dei: ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitauit.

Ergo maledicte Diabole, &c. vt suprà.

Et admonet Diaconus, sicut anteà.

Orate Electi, flectite genua.

Ac poſtquàm orauerint, dicit.

Leuate, complete orationem veſtram in vnum, & dicite, Amen.

Et reſpondeant omnes, Amen.

Item Diaconus dicit.

Signate illos. Accedite ad benedictionem.

Et patrini vel matrinæ ſignant eos, vt ſuprà, dicentes.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Tunc Presbyter accedit faciens crucem in ſingulorum frontibus ſicut priùs, dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Et imponit manum ſuper capita ipſorum, & dicit hanc orationem.

Oremus. Oratio.

AEternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, auctor luminis & veritatis, ſuper hos famulos tuos, vt digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eos, & ſanctifica; da eis ſcientiam veram, vt digni efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi tui: teneant firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam; vt apti ſint ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Item facit idipſum ſuper fœminas, ſcilicet eas ſignans in frontibus, & dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Et manum ſuper earum capita imponit, & eandem orationem ſimiliter dicit. Oremus. Oratio.

AEternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, auctor luminis & veritatis, ſuper has famulas tuas, vt digneris eas illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eas, & ſanctifica; da eis ſcientiam veram, vt dignæ efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi tui: teneant firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam; vt aptæ ſint ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Iſtis omnibus conſummatis, iterum admonentur à Diacono ita.

Orate Electi, flectite genua.

Et poſt paululum, dicit.

Leuate, complete orationem veſtram in vnum, & dicite; Amen.

Reſpondentibus autem, Amen. iterum dicit.

Signate illos. State cum diſciplina, & ſilentio, audientes attentè.

Et ſignant patrini, & matrinæ, vt ſuperiùs.

Indè reuertitur Sacerdos ad ſedem ſuam, & Subdiaconus inchoat lectionem Ezechielis Prophetæ.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

HAec dicit Dominus: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris; & ab vniuerſis idolis

vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris; & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum; dicit Dominus omnipotens.

Grad. Aspiciam vos, & crescere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. ℣. Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosq. eritis mihi populus meus.

Postea ita admonentur à Diacono.

Catechumeni recedant. Si quis Catechumenus est, recedat. Omnes Catechumeni recedant foràs.

Et egrediuntur de Ecclesia ipsi Electi expectantes pro foribus, vsque dum completa fuerint Missarum solennia.

Deinde legitur Euangelium.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore: Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Offertor. Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.

Et offeruntur oblationes pro ipsis à parentibus, vel ab his, qui eos suscepturi sunt.

Secreta.

MIseratio tua Deus, ad hæc percipienda mysteria famulos tuos N N. quæsumus, & prouehat competenter, & deuota conuersatione perducat. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Infra Canonem, in commemoratione pro viuis fit specialis commemoratio virorum, ac mulierum, qui ipsos Electos, adultos vel infantes suscepturi sunt.

MEmento Domine famulorum, famularumq. tuarum, qui Electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam Baptismi tui N N. Hic si opus fuerit, Sacerdos facit sibi à Diacono submissa voce recitari nomina susceptorum, & prosequitur N. & omnium circunstantium, &c. prout in Missali.

Infra actionem.

HAnc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis,

famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam,& beatum gratiæ tuæ donum eligere, atque vocare dignatus es.

Et ſubmiſſa voce Sacerdoti recitantur à Diacono nomina Electorum, ſicut ſcripti ſunt: poſtquàm verò recitata fuerint, Sacerdos dicit.

H os Domine fonte Baptiſmatis innouandos, Spiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem, poſcimus, præparari iubeas, diesq. noſtros in tua pace diſponas, &c.

Commun.

A ccedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent.

Interim communicent omnes,qui voluerint,præter ipſos Catechumenos, & infantes.

Poſt commun.

A Deſto Domine,quæſumus, noſtræ redemptionis effectibus,vt quos ſacramentis æternitatis inſtituis,eiſdem protegas dignanter aptandos. Per.

Super populum. O remus. H umiliate capita veſtra Deo.

Oratio.

S Vppliciter Domine ſacra familia munus tuæ miſerationis expectat: concede quæſumus, vt quod te iubente deſiderat, te largiente percipiat. Per.

Finitis verò Miſſarum ſolennijs, Catechumeni & infantes per Oſtiarium reuocantur in Eccleſiam, & annuntiat Presbyter, vt in ipſa hebdomada reuertantur ad Scrutinium ſecundum, ita dicendo.

Denuntiatio ſecundi Scrutinij.

D ie Sabbati aduenıente colligite vos temporiùs ad Eccleſiam iſtam, vel illam.

Finis primi Scrutinij.

Scrutinium ſecundum.

Sabbato poſt tertiam Dominicam Quadrageſimæ, qua die eſt ſtatio ad ſanctam Suſannam,ſecundum Catechumenorum Scrutinium celebratur.

Venientes autem omnes ad ipſum diem, ſicut denuntiatum fuit, faciunt Scrutinium, & Miſſam,per ordinem,ſicut in primo Scrutinio ſuperiùs ſcriptum eſt, præter orationes, quæ dicuntur vt infrà.

Ad Miſſam, quæ in ſecundo Scrutinio celebratur.

Oratio.

O Mnipotens ſempiterne Deus,Eccleſiam tuam ſpiritali fœcunditate multiplica; vt qui ſunt generatione terreni,fiant regeneratione cœleſtes. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

R Emedij ſempiterni munera Domine lætantes offerimus, ſuppliciter exorantes, vt eadem nos & dignè venerari, & pro ſaluandis congruenter exhibere perficias. Per.

Infra Canonem. **Memento Domine.** Et infra actionem. **Hanc igitur,** vt ſuprà.

Poſtcommun.

TV ſemper, quæſumus Domine, tuam attolle benignus familiam; tu diſpone correctam; tu propitius tuere ſubiectam; tu guberna perpetua bonitate ſaluandam. Per.

Super populum. O**remus.** H**umiliate capita veſtra Deo.**

Oratio.

TV famulis tuis quæſumus Domine, bonos mores placatus inſtitue; tu eis quod tibi placitum ſit dignanter infunde; vt & digni ſint, & tua valeant beneficia promereri. Per.

Introitum, Epiſtolam, Grad. Euang. Off. Comm. require ſuprà in primo ſcrutinio.

Finitis Miſſarum ſolennijs, Catechumeni per Oſtiarium reuocantur in Eccleſiam, & eis iterum annuntiat Presbyter tertium ſcrutinium futurum feria quarta, vel qua die voluerit, ſequentis hebdomadæ, quæ eſt ab initio Quadrageſimæ, quarta, ita dicendo.

Denuntiatio ſcrutinij tertij.

F**eria quarta** ſeu illa feria **veniente ſequentis hebdomadæ, colligite vos temporiùs ad Eccleſiam iſtam.** vel illam, quam eis denuntiauerit.

Finis Scrutinij ſecundi.

Scrutinium tertium.

Feria quarta hebdomadæ quartæ Quadrageſimæ, qua ſtatio eſt ad ſanctum Paulum, tertium agitur ſcrutinium, quod inter ſeptem ſcrutinia maximum eſt, & ea die tanguntur aures, & nares Catechumenorum digitis Presbyterorum: vnde, & eadem quarta feria veterum teſtimonio apud cultores Eccleſiæ in apertione aurium dicitur. Eadem die Catechumeni inſtruuntur de auctoribus, & initijs quatuor Euangeliorum. Eademq. die percipiunt orationem Dominicam, & Symbolum ad reddendum in Sabbato ſancto Paſchæ. Vt autem Catechumeni ad Eccleſiam venerint ipſa quarta feria, ſeu qua die eis denuntiatum fuerit, hora tertia, ſcribãtur per Acolythum notarium nomina infantium, qui tum primùm offeruntur, & eorum, qui ipſos ſuſcepturi ſunt, vt in primo ſcrutinio; & clamat Diaconus, dicens.

C**atechumeni procedant.**

Et vocantur ab Acolytho per nomina, vel ordinem, quo ſcripti ſunt, & ſtatuuntur mares ſeorſum ad dexteram, fœminæ ſeorſum ad ſiniſtram partem.

Et fit cineris benedictio, ſi non ſuperfuerit antea benedictus, & aſperſio, vt ſuprà in eodem ſcrutinio primo.

Quibus expletis, tangat Presbyter ſingulorum aures & nares de ſputo oris ſui, & dicat vnicuique, ad aurem dexteram.

E**pheta, quod eſt adaperire,** ad nares. **in odorem ſuauitatis:** deinde ad

aurem

aurem ſiniſtram. Tu autem effugare Diabole; appropinquabit enim iudicium Dei.

Tunc Presbyter nominatim interrogat ſingulos.

N. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.

Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.

Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Deinde dicat. Credis in Deum Patrem omnipotentem, &c.

Et proſequitur reliqua, vt in primo ſcrutinio, quoad Catechumeni mittantur foràs, ante Introitum Miſſæ.

Deinde incipit Clerus Introitum Miſſæ, quæ hebdomada quarta pro ſcrutinio tertio in aurium apertione celebratur.

Cùm ſanctificatus fuero in vobis. vt ſuprà in primo ſcrutinio.

Poſt Kyrie eleiſon dicitur. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

Concede Domine Electis noſtris, vt ſanctis edocti myſterijs, & renouentur fonte Baptiſmatis, & inter Eccleſiæ tuæ membra numerentur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Poſt hæc ſedet Presbyter in ſede ſua, & Diaconus clamat.

Catechumeni procedant.

Et vocantur Catechumeni, vel infantes ab Acolytho per nomina, vel ordinem, ſicut ſuperiùs; & fit ſcrutinium per omnia, ſicut duobus prioribus diebus factum eſt, vſque ad id, vbi dicitur: Signate illos. State cum diſciplina, & ſilentio.

Et tunc leguntur duæ lectiones in aurium apertionem.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

Haec dicit Dominus. Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite, & viuet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael: quia glorificauit te. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt; inuocate eum, dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.

Grad. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.

℣. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

Hic ſine Flectamus genua dicitur. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

Da quæſumus Domine Electis noſtris, dignè atque ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere; vt in priſtinam dignitatem, quam originali tranſgreſſione perdiderant, per tuam gratiam reformentur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

FRatres: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginē eius, qui creauit illum; vbi non est masculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber; sed omnia & in omnibus Christus. Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, siquis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia; docentes & cōmonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

Grad. Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum, populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi. ℣. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Indè verò procedunt quatuor Diaconi de secretario cum quatuor libris Euangeliorum, præcedentibus eos duobus candelabris cum thuribulo & incenso, & ponunt ipsa Euangelia super quatuor angulos altaris, Matthæi videlicet super posteriorem sinistrum angulum seu cornu, quod est Epistolæ; Marci super anteriorem angulum sinistrum; Lucæ super anteriorem dextrum angulum siue cornu, quod est Euangelij; Ioannis autem super posteriorem angulum dextrum.

Posteà verò cùm ipsa Euangelia legenda erunt, suo loco, Presbyter celebrans de more benedicit incensum, & imponit thuribulo: Diaconus dicit; Munda cor meum; petit benedictionem, & incensat librū Euangelij, quem in fine Subdiaconus, priusquàm referat in secretarium, celebranti porrigit osculandum; & Diaconus eundem celebrantem incensat.

Antequàm autem Diaconi legere incipiant, tractet Presbyter his verbis.

APerturi vobis filij charissimi Euangelia, id est gesta diuina, priùs per ordinem insinuare debemus, quid sit Euangelium, & vndè descendat, & cuius in eo verba ponantur, & quare quatuor sint, qui hæc gesta scripserunt, vel qui sint ipsi quatuor, qui diuino spiritu annuntiante à Propheta signati sunt; ne fortè sine hac ordinis ratione vel causa, stuporem in vestris mentibus relinquamus; & ne vobis qui ad hoc venistis, vt aures vobis aperiantur, incipiat sensus vester obtundi. Euangelium propriè dicitur bona annuntiatio, quæ vtique annuntiatio est Iesu Christi Domini nostri. Descendit autem Euangelium ab eo, quòd

annun-

annuntiet & oſtendat, quòd is, qui per Prophetas ſuos loquebatur, venit in carne, ſicut ſcriptum eſt: Qui loquebar, ecce adſum. In eo verò ponuntur verba eiuſdem Chriſti Domini noſtri, qui proprio nobis ore loqui dignatus eſt. Quatuor autem ſunt, qui hæc diuina geſta ſcripſerunt, quoniam quatuor ſunt partes orbis terræ, per cuius vniuerſitatem Chriſti Eccleſiam dilatari ipſo ſui numeri ſacramento quodammodo declararunt: ac veluti quatuor flumina de vno paradiſi fonte manantia, per totum mundum cœleſtis prædicationis fluenta miniſtrantes, gratiæ & fidei virorem infundunt. Hi autem per quatuor animalia apud Ezechielem figuraliter deſignantur. Explicantes nunc breuiter, qui ſint hi quatuor, qui per Prophetam ântè monſtrati ſunt; ſua quæque nomina ſingulis adſignemus indicijs. Ait enim Propheta Ezechiel: Et ſimilitudo vultus eorum, vt facies hominis, & facies leonis à dextris illius, & facies vituli, & facies aquilæ à ſiniſtris illius. Hos quatuor has figuras habentes, Euangeliſtas eſſe non dubium eſt. Sed nomina eorum, qui Euangelia ſcripſerunt, hæc ſunt; Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes.

His expletis annuntiat Diaconus, dicens.

State cum ſilentio, audientes intentè.

Et tunc accipiens vnus Diaconus deſuper angulo primo altaris ſiniſtro librum Euangelij, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum thuribulo, aſcendit ad legendum, & dicit.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Euangelij ſecundũ Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſon. Naaſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autẽ genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob.

Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim; & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim; & à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim. Chriſti autem generatio ſic erat. Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequàm conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium; & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Et poſtquàm Diaconus legerit, Subdiaconus ſuſcipit ab eo Euangelium ſuper linteum, & celebranti oſculandum porrigit, & portat in ſecretarium.

Et tractet iterum Presbyter his verbis.

Filij chariſſimi, ne diutiùs vos teneamus, exponemus vobis quam figuram, & quam rationem vnuſquiſque in ſe teneat. Matthæus in ſe figuram hominis habet, quia in initio ſuo nihil aliud agit, niſi natiuitatem Saluatoris pleno ordine humanæ generationis enarrat. Sic enim cœpit: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Videtis quia non immeritò huic, hominis adſignata eſt perſona; quando ab hominis natiuitate initium comprehendit. Et quia eum in ſua narratione deſcribit, qui cùm eſſet vnigenitus Dei filius, veraciter factus eſt homo, non immeritò, vt diximus, huic myſterio deſignata eſt Matthæi perſona.

Iterum annuntiat Diaconus, vt ſuprà.

State cum ſilentio, audientes intentè.

Et accipit alter Diaconus deſuper ſecūdo ſiniſtro angulo altaris alium librum Euangelij, antecedentibus ſimiliter duobus candelabris cum thuribulo, vt ſuprà, & legit, dicens.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Euangelij ſecundum Marcum. ℟. Gloria tibi Domine.

Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Hieroſolymitæ vniuerſi; & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua. Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli; & zona pellicea circa lumbos eius: & locuſtas, & mel ſylueſtre edebat. Et prædicabat dicens: Venit fortior me poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corri-

giam

giam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua; ille verò baptizabit vos Spiritusancto.

Postquàm legerit, suscipit Subdiaconus Euangelium, & à celebrante osculatum portat in secretarium.

Et prosequitur Presbyter his verbis.

MArcus Euangelista leonis gerit figuram, siue quia à leonis voce rugientis in solitudine incipit, dicens: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini; siue quia Christum in suo Euangelio annuntiat, qui vt leo per virtutem suæ fortitudinis surrexit, & regnat inuictus. Huius leonis multifaria inuenimus exempla; vt non vacet dictum illud: Iuda filius meus, catulus leonis: de germine mihi ascendisti: recubans dormiuit, vt leo, & sicut catulus leonis: quis excitabit eum?

Istis expletis dicit Diaconus, vt suprà.

State cum silentio, audientes intentè.

Et accipit Diaconus tertius desuper tertio angulo dextro altaris tertium librum, & præcedentibus duobus candelabris & thuribulo, vt suprà, legit, dicens.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Euangelij secundum Lucam. ℟. Gloria tibi Domine.

FVit in diebus Herodis Regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen illius Elisabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela: & non erat illis filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret, ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, & Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem; & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino; & vinum & siceram non bibet; & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ; & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum; & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ; vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.

Et suscipit Subdiaconus Euangelium, vt suprà.

Et tractat Presbyter his verbis.

LVcas Euangelista vituli speciem gestat. Hic enim Christi Euangelium locuturus, à sacerdotio Zachariæ, de quo & Elisabeth Ioannes Baptista in summa natus est senectute, sic cœpit: Fuit in diebus

Hero-

Herodis Regis Iudææ,Sacerdos quidam nomine Zacharias. Ad Sacerdotes autem vitulorum & aliarum victimarum immolatio pertinebat. Ideo etiam Lucas vitulo comparatur, quia Saluatorem nostrum euangelizat, qui in sacrificio nostræ redemptionis ad instar vituli est immolatus; cuius duo cornua, duo testamenta; & quatuor pedum vngulæ, quatuor Euangelia, quasi tenera firmitate nascentia, in se plenissimè continent.

Et iterum annuntiat Diaconus, vt suprà.

S tate cum silentio, audientes intentè.

Et accipit Diaconus quartus desuper quarto angulo dextro altaris quartum librum, & præcedentibus eodem modo candelabris & thuribulo, vt suprà, legit, dicens.

D ominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Euangeli secundum Ioannem. ℞. Gloria tibi Domine.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat,& mundus per ipsum factus est,& mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex volũtate viri,sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Et suscipit Subdiaconus Euangelium, vt suprà.

Et prosequitur Presbyter his verbis.

IOannes Euangelista habet similitudinem aquilæ, eo quòd nimis alta petierit; ait enim: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Et Dauid dicit de persona Christi,cuius diuinitatem Ioannes in suo Euangelio præ cæteris prædicat: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, idest Iesu Christi Domini nostri; qui resurgens à mortuis,ascendit ad cælos. Vndè iam vobis conceptis prægnans gloriatur Ecclesia, vos omni festiuitate votorum ad noua tendere Christianæ legis exordia; vt adueniente die venerabilis Paschæ, lauacro Baptismatis renascentes, sicut Sancti omnes mereamini fidele munus infantiæ à Christo Domino nostro percipere. Qui viuit, & regnat Deus in secula seculorũ. ℞. Amen.

Et dicit præfationem Symboli.

Præfatio Symboli ad Electos.

DIlectiſſimi nobis, accepturi Sacramenta Baptiſmatis, & in nouam creaturam ſancti Spiritus procreandi, fidem, qua credentes iuſtificandi eſtis, toto corde concipite; & animis veſtris vera conuerſione mutatis, ad Deum, qui mentium veſtrarum illuminator eſt, accedite, ſuſcipientes euangelici Symboli ſacramentum, à Domino inſpiratum, ab Apoſtolis inſtitutum; cuius pauca quidem verba ſunt, ſed magna myſteria. Sanctus etenim Spiritus, qui magiſtris Eccleſiæ iſta dictauit, tali eloquio, taliq. breuitate ſalutiferam condidit fidem, vt quod credendum vobis eſt, ſemperq. profitendum, nec intelligentiam poſſit latere, nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis Symbolum diſcite, & quod vobis, ſicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi poteſt, ſed paginis veſtri cordis adſcribite. Confeſſio itaque fidei, quam ſuſcepiſtis, hoc inchoatur exordio.

Qua præfatione expleta, annuntiat Diaconus.

State cum ſilentio & diſciplina, audientes intentè.

Et Presbyter tradit eis Symbolum Apoſtolorum, clara & lenta voce dicens.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus: Deſcendit ad inferos: Tertia die reſurrexit à mortuis: Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum: Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remiſſionem peccatorum: Carnis reſurrectionem: Vitam æternam. Amen.

Item annuntiat Diaconus.

State cum ſilentio & diſciplina, audientes intentè.

Et Presbyter iterum dicit.

Credo in Deum Patrem &c. *vt ſuprà.*

Item Diaconus annuntiat.

State cum ſilentio & diſciplina, audientes intentè.

Et Presbyter tertiò dicit.

Credo in Deum Patrem, &c. *vt ſuprà.*

Interim verò Catechumeni ſuſcipientes Symbolum, addiſcant, & memoriæ mandare ſtudeant.

Deinde procedit vnus ex Catechumenis maribus, qui Græca lingua Chriſtum confitentur, & Acolythus ponit ſuper caput eius manum dexteram.

Quòd ſi non ſint niſi infantes, accipit Acolythus vnum ex ipſis infantibus maſculum, & tenens in ſiniſtro brachio ponit manum dexteram ſuper caput eius, & interrogat eum Presbyter Græcè, dicens.

Ποίᾳ γλώττῃ ὁμολογοῦσι τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστὸν; id eſt, Qua lingua confitentur

fitentur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum?

Et reſpondet Acolythus, Ἑλληνικῇ, id eſt, Græca.

Iterum dicit Presbyter. Ἀνάγγελλε τὴν πίστιν αὐτῶν πῶς πιστεύωσιν, id eſt, Annuntia fidem ipſorum qualiter credant.

Et dicit Acolythus aliud Symbolum Græcè decantando his verbis.

Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ. Καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων. Φῶς ἐκ φωτὸς Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ. Γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν. Καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. Σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου. Καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα. Καὶ ἀναστάντα τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς. Καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καθεζόμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός. Καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κύριον, καὶ ζωοποιοῦν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. Καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν, καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. Ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν. Καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν.

Et dum hoc cantat, ſemper manum ſuper caput Catechumeni, ſeu infantis teneat.

Pueri verò & adulti, ſi iam didicerunt Symbolum, etiam ipſi pronuntiant.

Hoc expleto vertunt ſe ad fœminas, & procedit vna ex fœminis Catechumenis, & alter, vel idem Acolythus ponit manum ſuam dextram ſuper caput eius; vel ſi non ſint niſi infantes, idem Acolythus accipit vnam ex eis, & tenens in ſiniſtro brachio, ponit ſimiliter dexteram manum ſuper caput eius, & Presbyter eam interrogat, & Acolythus reſpondet, & cantat Symbolum, vt ſuprà.

Quòd ſi in ſcrutinio non adſint, qui Græca lingua confiteantur Dominum Ieſum Chriſtum, ſed Latina tantùm, prætermittatur præcedens Presbyteri interrogatio, quæ fit ad eos, qui Græca lingua Chriſtum confitentur, & Acolythi reſponſio, quæ etiam Græcè fit, & actio tam circa mares, quàm fœminas: verùm nihilominus idem Acolythus legat alta voce Symbolum Græcè.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν &c. vt ſuprà.

Quo facto, dicit Presbyter.

Filij chariſſimi, audiſtis Symbolum Græcum, audite & Latinum.

Deinde procedit vnus ex Catechumenis maribus, qui Latina lingua Chriſtum confitentur, & alter Acolythus ponit manum ſuper caput eius; vel ſi non ſint niſi infantes, accipit vnum ex ipſis infantibus maſculum, & tenens in ſiniſtro brachio, ponit manum dexteram ſuper caput ipſius, & interrogat eum Presbyter Latinè.

Qua

Qua lingua confitentur Dominum nostrum Iesum Christum?

Et respondeat Acolythus, Latina.

Iterum dicit Presbyter.

Annuntia fidem ipsorum, qualiter credant.

Et ponens manum Acolythus super caput Catechumeni, seu infantis, vt suprà, dicit idem Symbolum Latinè, decantando his verbis.

CRedo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine; & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq. procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

Et dum hoc cantatur, teneat semper manum super caput Catechumeni, seu infantis.

Hoc finito procedit vna ex fœminis Catechumenis, & alter Acolythus ponit manum suam dextram super caput eius, vel si non sint nisi infantes, accipit vnam ex eis fœmellam, & tenens in sinistro brachio, ponit similiter dexteram suam super caput illius, sicut suprà.

Et interrogat Presbyter sicut antea, & ipse Acolythus cantat idem Symbolum, sicut suprà scriptum est.

Hoc expleto Diaconus dicit.

Sstate cum silentio & disciplina, audientes intentè.

Et loquitur Presbyter his verbis.

HAec summa est fidei nostræ, dilectissimi nobis, hæc verba sunt Symboli, non sapientiæ humanæ sermone fucata, sed vera diuinitus ratione disposita. Quibus comprehendendis, atque seruandis nemo non idoneus, nemo non aptus. Hîc Dei Patris, & Filij vna æqualitas pronuntiatur, atque potestas. Hîc vnigenitus Dei, de Maria virgine, & Spiritu sancto secundum carnem natus ostenditur. Hîc eiusdem crucifixio, & sepultura, descensus ad inferos, ac die tertia resurrectio prædicatur. Hîc ascensio ipsius super cœlos, & consessio in dextera paternæ maiestatis agnoscitur, venturusq. ad iudicandos viuos & mortuos declaratur. Hîc Spiritus sanctus in eadem, qua Pater & Filius, deitate indiscretus accipitur. Hîc postremò Ecclesiæ vocatio, peccatorum remissio,

missio, & carnis resurrectio perdocetur. Vos itaque dilectissimi, ex vetere homine in nouum reformemini, & de carnalibus spirituales, de terrenis incipite esse cœlestes; secura & constanti fide credite, resurrectionem, quæ facta est in Christo, etiam in nobis omnibus esse complēdam, & hoc secuturum in toto corpore, quod præcessit in capite. Quoniam & ipsum, quod percepturi estis Baptismi Sacramentum, huius spei exprimit formam. Quædam enim ibi mors, & quædam resurrectio celebratur: vetus homo deponitur, & nouus sumitur: peccator aquas ingreditur, & iustificatus egreditur. Ille abijcitur, qui traxit ad mortem, & suscipitur ille, qui reduxit ad vitam, per cuius gratiam vobis confertur, vt Dei filij sitis, non carnis voluntate editi, sed sancti Spiritus virtute generati. Et ideò hæc breuissima plenitudo ita debet vestris cordibus inhærere, vt omni tempore præsidio huius confessionis vtamini. Inuicta est enim semper talium armorum potestas, & contra omnes vobis insidias Diaboli, tanquàm bonis Christi militibus profutura. Diabolus, qui hominem tentare non desistit, munitos vos hoc Symbolo semper inueniat, vt deuicto aduersario, cui renuntiastis, gratiam Dei incorruptam, & immaculatam vsque in finem, ipso quem confitemini protegente, seruetis; vt in quo peccatorum remissionem accipitis, in eo gloriam resurrectionis habeatis. Ergo dilectissimi, præfatum Symbolum fidei Catholicæ, quod in præsenti cognouistis, nunc euntes edocemini, nullo mutato sermone. Potens est enim Dei misericordia, quo & vos ad Baptismi fidem currentes perducat, & nos, qui vobis mysteria tradimus, vnà vobiscum ad regna cœlestia faciat peruenire. Per eūdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

His expletis, annuntiat Diaconus, dicens.

Statе cum silentio & reuerentia, audientes intentè.

Deinde subsequitur Sacerdos, hac præfatione Dominicæ orationis.

Præfatio Orationis Dominicæ ad Electos.

Dominus & Saluator noster Iesus Christus, inter cætera salutaria præcepta discipulis suis petentibus quemadmodum orare deberēt, non solùm formam orationis concessit, verùm etiam qua mente & puritate precarentur, ostendit; vt in præsenti sacra hæc lectio demonstrabit. Audiat nunc dilectio vestra, quemadmodum doceat discipulos suos orare Deum Patrem omnipotentem. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum. Cubiculum quod nominat, non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secreta illi soli patere commemorat, & clauso ostio Deum orare debere; id est vt à mala cogitatione pectus nostrum mystica fidei claue claudamus, ac labijs clausis incorrupta mente Deo loquamur. Deus enim noster, fidei non vocis auditor est. Claudatur ergo claue fidei pectus nostrum contra insidias Aduersarij, & soli Deo pateat, cuius templum esse cognoscitur; vt cùm habitat in cordibus nostris, ipse sit aduocatus in

precibus

precibus nostris. Ergo Dei sermo & Dei sapientia Christus Dominus noster hanc orationem nos docuit, vt ita oremus.

Et mox annuntiat Diaconus.

S tate cum silentio & disciplina, audientes intentè.

Et Sacerdos tradit eis orationē Dominicam clara & lenta voce, dicens.

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Item annuntiat Diaconus.

S tate cum silentio & disciplina, audientes intentè.

Et Presbyter iterum dicit.

P ater noster, qui es in cœlis, &c. vt suprà.

Item Diaconus annuntiat.

S tate cum silentio & disciplina, audientes intentè.

Et Presbyter tertiò dicit.

P ater noster, qui es in cœlis, &c. vt suprà.

Electi interea audientes, memoriæ mandare curent.

Et Presbyter eandem orationem Dominicam breuiter exponens, dicit.

P ater noster, qui es in cœlis.

HAec libertatis vox est, & plena fiducia. Ergo nobis his moribus est viuendum, vt filij Dei, & fratres Christi esse possimus. Nam & patrem suum Deum qua temeritate dicere præsumit, qui ab eius voluntate degenerat? vnde vos dilectissimi dignos exhibete adoptione diuina, quoniam scriptum est: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

S anctificetur nomen tuum.

N on quòd Deus nostris sanctificetur orationibus, qui semper est sanctus; sed petimus, vt nomen eius sanctificetur in nobis, vt qui in Baptismate eius sanctificamur, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.

A dueniat regnum tuum.

D eus nanque noster quando non regnat, maximè cuius regnum est immortale? Sed cum dicimus, Adueniat regnum tuum, regnum petimus aduenire à Deo nobis promissum, Christi sanguine, & passione quæsitum.

F iat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.

I d est, in eo fiat voluntas tua vt quod tu vis in cœlo, hoc nos in terra positi irreprehensibiliter faciamus.

P anem nostrum quotidianum da nobis hodie.

H ìc spiritalem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Quem quotidianum dicens, ita nos semper immunes præcipit esse peccati, vt digni simus cœlestibus alimentis.

E t dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

H oc pactum eſt, ſignificans non nos aliter peccatorum poſſe veniam promereri, niſi priùs alijs in nos delinquentibus veniam relaxemus, ſicut in Euangelio Dominus noſter dicit: Niſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec vobis Pater veſter dimittet peccata veſtra.

E t ne nos inducas in tentationem.

I d eſt, ne nos permittas induci ab eo, qui nos tentat, prauitatis auctore. Nam dicit ſcriptura: Deus enim intentator malorum eſt. Diabolus verò eſt tentator, ad quem euincendum Dominus dicit: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

S ed libera nos à malo.

H oc ideo ait, quia dixit Apoſtolus: Neſcimus quid nos oporteat orare. Vnde Deus omnipotens, ita à nobis orandus eſt, vt quicquid humana fragilitas cauere, & vitare non præualet, hoc ille, vt poſſimus, propitius nobis conferre dignetur Ieſus Chriſtus Dominus noſter, Qui viuit, & regnat cum Deo Patre, & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Iſtis expletis, admonentur à Diacono.

S tate cum ſilentio, audientes intentè.

Statimq. proſequitur Presbyter his verbis.

A Vdiſtis dilectiſſimi Dominicæ orationis ſancta myſteria: nunc euntes ea veſtris cordibus innouate, vt ad exorandam, ac percipiendam Dei miſericordiam, perfecti in Chriſto eſſe poſſitis. Potens eſt Dominus Deus noſter, vt & vos, qui ad fidem curritis, ad lauacrum regenerationis perducat, & nos, qui vobis myſterium fidei Catholicæ tradidimus, vnà vobiſcum ad cœleſtia regna faciat peruenire. Qui viuit, & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

His dictis, annuntiat Diaconus.

C atechumeni recedant. Si quis Catechumenus eſt, recedat. Omnes Catechumeni exeant foràs.

Tunc egrediuntur foràs Catechumeni; ſimiliter & parentes cum infantibus ſuis, & illi, qui eos ſuſcepturi ſunt. Hi verò egreſſi, foris relinquunt ipſos infantes in cuſtodia, & iterum ingrediuntur in Eccleſiam tam parentes eorundem infantum, quàm illi, qui ipſos & alios Catechumenos ſuſcepturi ſunt, cum oblationibus, quas pro eis ſunt oblaturi. Ipſi verò Catechumeni & infantes pro foribus expectant, donec conſummentur Miſſarum ſolennia.

Deinde legitur Euangelium.

R eſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, vt ſuprà in Miſſa primi Scrutinij.

Offert. Benedicite gentes Dominum Deum noſtrum, & obaudite voci laudis eius, qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit commoueri

ueri pedes meos. Benedictus Deus, qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me.

Et offeruntur oblationes pro ipsis Catechumenis, & infantibus.

Secreta.

EXaudi nos omnipotens Deus, vt famulos tuos, quos fidei Christianæ primitijs imbuisti, huius sacrificij tribuas operatione mundari. Per.

Infra actionem, vt suprà. Commun.

Primùm quærite regnum Dei, & omnia adijcientur vobis, dicit Dominus.

Interim verò communicant omnes, qui voluerint, præter ipsos Catechumenos, & infantes.

Postcommun.

COncurrat quæsumus Domine populus tuus, & toto tibi corde subiectus obtineat; vt ab omni perturbatione securus, & saluationis suæ gaudia promptus exerceat, & pro regenerandis benignus exoret. Per.

Super populum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Oratio.

DEus, qui cùm salutem hominum semper opereris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, vt paternæ protectionis auxilio, & regenerandos munias, & renatos. Per.

Deinde Catechumeni, & infantes per Ostiarium reuocantur in Ecclesiam, vt suprà.

Et iterum annuntiat Presbyter, quam diem voluerit in sequenti hebdomada, qua reuertantur ad Scrutinium, dicens.

Denuntiatio quarti Scrutinij.

Feria quarta, seu feria illa quam designat, sequentis hebdomadæ quintæ ad quartum Scrutinium reuertentes, ad istam, vel illam Ecclesiam maturiùs conuenite.

Finis Scrutinij tertij.

Scrutinium quartum.

Feria quarta hebdomadæ quintæ Quadragesimæ, seu post Dominicam passionis, qua die statio est ad sanctum Marcellum, vel alia eiusdem hebdomadæ feria designata, quartum de more Scrutinium celebratur.

Vt ergo venerint in Ecclesiam celebraturi ipsum Scrutinium, faciant per omnem ordinem, sicut illa duo priora ante aurium apertionem fecerunt.

Postea peractis Missarum solennibus, cum Catechumeni in Ecclesiam reuocantur, annuntiat Presbyter, qua die eiusdem hebdomadæ quintæ, & ad quam Ecclesiam voluerit, vt reuertantur ad Scrutinium quintum.

Denuntiatio Scrutinij quinti.

Sabbato ſequenti, ſeu illa feria, quam deſignat, præſentis hebdomadæ quintæ Quadrageſimæ, ad Scrutinium quintum venientes, ad hanc, vel illam Baſilicam vel Eccleſiam tempeſtiuiùs conuenite.

Finis Scrutinij quarti.

Scrutinium quintum.

Sabbato hebdomadæ quintæ Quadrageſimæ ante Dominicam in ramis Palmarum, quo ſtatio eſt ad ſanctum Ioannem ante portam Latinam, vel alia feria præcedente eiuſdem hebdomadæ, quæ denuntiata fuerit, quintum Scrutinium celebratur.

Et vt venerint, faciunt ipſum Scrutinium per omnem ordinem, ſicut antea in primo vel ſecundo Scrutinio fecerunt.

Hoc expleto, iterum annuntiat Electis Presbyter, ſicut ſuperiùs, vt reuertantur ad Scrutinium ſextum in ſequenti hebdomada ſexta, & vltima ante Paſcha, qua die, & apud quam Eccleſiam voluerit.

Denuntiatio Scrutinij ſexti.

Feria quarta, vel alia præcedente quam deſignabit, ſequentis maioris hebdomadæ ad ſextum Scrutinium faciendum in hanc, vel illam Eccleſiam maturiùs conuenite.

Finis Scrutinij quinti.

Scrutinium ſextum.

Feria quarta maioris hebdomadæ, qua ſtatio eſt ad ſanctam Mariam maiorem, vel alia indicta, ſextum Scrutinium celebratur.

Cùm Clerus, & Electi venerint ad Eccleſiam, agunt, & complent ipſum Scrutinium, ac Miſſam per omnia, ſicut ſuperiora Scrutinia fecerunt.

Ita tamen agendum eſt, vt à primo Scrutinio, quod incipit tertia hebdomada in Quadrageſima vſque in Sabbatum ſanctum in vigilia Paſchæ, ſeptem Scrutinia eſſe debeant, iuxta numerum ſeptem donorum Spiritus ſancti, vt dum ſeptenario numero implebuntur, detur Electis ſeptiformis gratia Spiritus ſancti.

Sacris demum Miſſarum myſterijs conſummatis, Catechumeni per Oſtiarium, vt in prioribus Scrutinijs, in Eccleſiam reuocantur.

Et Presbyter item annuntiat, vt ipſo Sabbato ſancto, hora tertia, vel alia competente, reuertantur ad Eccleſiam.

Denuntiatio ſeptimi Scrutinij.

Proximo Sabbato ſancto vigilia Paſchæ, in Baſilicam Lateranenſem, vel in iſtam, ſeu illam Eccleſiam, hora tertia, vel alia competente, quam deſignat, ad ſeptimum Scrutinium conuenite, & ad reddendum Symbolum, quod hactenus didiciſtis, & ad ſacrum regenerationis lauacrum Deo iuuante ſuſcipiendum; ad quod & vos cum omni ſtudio, humi-

humilitate, ieiunio, & orationis instantia præparate; vt per illud Christo consepulti, cum eodem in vitam resurgatis æternam. Amen.

Finis sexti Scrutinij.

Scrutinium septimum.

Sabbato sancto Paschæ, quo statio est ad Lateranensem Basilicam Saluatoris, septimum Scrutinium necessariò celebratur, quo cætera complentur, & Electi solenniter baptizantur.

Sabbati igitur die sancto ac solennissimo, primo mane ornetur Ecclesia omnibus ornamentis & vtensilibus suis.

Hora deinde tertia, vel alia designata, procedant ad Ecclesiam qui baptizandi sunt, cum patrinis & matrinis, & ordinentur ab Acolytho per ordinem sicut scripti sunt, masculi ad dexteram partem, fœminæ verò ad sinistram: & tunc qui possunt, reddunt (hoc est memoriter recitant) Symbolum, & orationem Dominicam, Latina vel Græca lingua, qua Christum confitentur, primùm mares, deinde fœminæ, siue pro ipsis patrini atque matrinæ, qui eos suscepturi sunt.

Et faciens crucem Sacerdos cum pollice in frontibus singulorum masculorum, dicit.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Posteà imposita manu super capita singulorum, dicit.

Nec te latet Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuersis angelis tuis æternus superueniet interitus. Proinde pro tua nequitia damnate atque damnande da honorem Deo viuo & vero, da honorẽ Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto paraclito, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi quicunque es spiritus immunde, vt exeas, & recedas ab his famulis Dei, quos hodie idem Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemq; Baptismatis dono vocare dignatus est; vt fiant eius templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde Presbyter digito tãgit singulorum nares & aures de sputo oris sui, & dicit vnicuique ad aurem dexteram.

Epheta, quod est adaperire, ad nares, in odorem suauitatis, ad aurem sinistram, Tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Posteà verò tangit eos in pectore & inter scapulas de Oleo sancto, crucem faciendo cum pollice, & vocatis nomine singulis, dicit.

N. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.

Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.

Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Et ego te linio oleo salutis ✠ ✠ in Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam. ℟. Amen.

Et bambacio aut stupa loca inũcta abstergit, ac vnctis omnibus Electis, tergit etiam pollicem suum, & manus lauat, & aqua ablutionis proijcitur in Sacrarium.

Hoc expleto, ambulans circa Electos imponit manum super capita eorum, decantando excelsa voce.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ: & in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotẽtis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos: credo in Spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem: vitam æternam. Amen.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Amen.

Deinde vertit se ad fœminas, & faciens similiter crucem cum pollice in frontibus singularum, dicit.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Posteà imposita manu super capita singularum, dicit.

Nec te latet Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuersis angelis tuis æternus superueniet interitus. Proinde pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto paraclito, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas, & recedas ab his famulabus Dei, quas hodie idem Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis dono vocare dignatus est; vt fiant eius templũ per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Et explet reliqua circa eas, vt suprà circa mares, tangendo earum aures, & nares, & interrogando, & vngendo, atque manus imponendo, dum Symbolum & orationem Dominicam decantat super eas.

Si de Electis sunt aliqui corpore ægrotantes, dicatur oratio sequens.

Oremus

Oremus.

MEdelam tuam deprecor Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui ſubuenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas; te ergo Domine ſupplices exoramus; vt hunc famulum tuum N. (vel hos famulos tuos) eruas ab hac valetudine, vt non præualeat inimicus vſque ad animam, ſed ſicut in Iob tentationibus, terminum ei pone, ne idem inimicus de anima iſta (vel animabus iſtis) ſine redemptione Baptiſmatis incipiat triumphare: differ Domine exitum mortis, & ſpatium vitæ extende, releua atque perduc eum (vel eos) ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Poſteà dicitur eis ab Archidiacono.

Orate Electi, flectite genua.

Et poſt paululum dicit.

Leuate, complete orationem veſtram in vnum, & dicite. Amen.

Et reſpondent omnes. Amen.

Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis.

Catechumeni recedant. Siquis Catechumenus eſt, recedat. Omnes Catechumeni exeant foràs.

Item dicat Diaconus.

Filij chariſſimi reuertimini in loca veſtra, expectantes horam, qua poſſit circa vos Dei gratia Baptiſmum operari.

Hic finitur Scrutinium ſeptimum.

Ordo in eodem Sabbato ſancto.

Cùm hoc Sabbato Paſchæ, ſolennis Baptiſmus à Pontifice fuerit celebrādus, ſacræ etiam ordinationes poſt Baptiſmum infra Miſſarum ſolennia ab eodem interdum fieri ſolent; de quibus nihil in præſentiarum dicendum eſt. Verùm ſi propter varias diuini officij occupationes eo die occurrentes, non ſine magno incommodo, & eorum qui interſunt tædio Pontifex id præſtare valeat: præuenire poterit, & illas præcedentibus temporibus, vel Sabbato ante Dominicam paſſionis commodiùs celebrare.

Poſt Scrutinium, vel dum illud agitur, benedicitur nouus ignis, & incenſum, vt in Miſſali; & dum illa benedicuntur, Pontifex dicta Nona calciatur caligis, & ſandalijs violaceis, dicendo Pſal. **Quàm dilecta tabernacula tua Domine**, cum reliquis pſalmis & precibus, de more; & calciatus induitur omni ornatu ſuo eiuſdem coloris violacei, & pallio, ſi eo vtatur: ſimiliter Diaconus & Subdiaconus accipiunt Planetas plicatas, & Sacerdos aſſiſtens Pluuiale eiuſdem coloris: & egreditur de Secretario cum Diaconis aſſiſtētibus itidem indutis Planetis plicatis, præcedentibus eum dictis Sacerdote aſſiſtente, Diacono, & Subdiacono cum Euangelio, Clero, & alio Subdiacono etiam parato vt ſuprà, cum cruce, proceſſionaliter cum ſilentio, ipſum ſequentibus alijs Cap-

 pellanis

pellanis ac miniſtris; & procedit ad altare, & facta reuerentia, aſcendit ad ornatam ſedem ſuam: & Diaconus benedicturus Cereum accipit Dalmaticam albi coloris, & præcedentibus Thuriferario, & Acolytho deferente in vaſe quinque magna grana Incenſi benedicti Cereo inſigenda, & Subdiacono cum cruce, & miniſtris per ordinem, defert lumen in arundine in Eccleſiam, & benedicit Cereum. Quo benedicto, Diaconus, ſi eſt idem qui miniſtrat in altari, deponit Dalmaticam, & reſumit Planetam plicatam; & leguntur lectiones ſine titulo, & fit reliquum officium, prout in Miſſali.

Interim autem dum lectiones leguntur, vnus Sacerdotum Canonicorum, ſeu alij Presbyteri idonei, quibus hoc munus iniunctum fuerit, cum ſuis Clericis in competenti loco catechizent infantes, qui eo die offeruntur, nec in aliquo ex præcedentibus Scrutinijs ſunt catechizati, faciantq. ſicut in Ordine Baptiſmi paruulorum, vſque ad vnctionem in pectore & inter ſcapulas cum Oleo Catechumenorum, incluſiuè, & ita eos præparent ad Baptiſmum.

Et pars ſcholæ Cantorum, ſeu ſeptem Subdiaconi, ſi adſint non impediti, induti tunicis violaceis, vno eorum crucem deferente, & præcedentibus Acolythis & alijs Clericis, reuerenter deſcendunt ad fontes, expectantes ibi parati Pontificem & iuſſi faciunt litaniam ſeptenam, quinam, & ternam: vel ſaltem faciant ſeptenam.

De ordine litaniæ ſeptenæ, quinæ, & ternæ.

Litanias autem, quæ ex veteri inſtituto, & Ordine Romano in Baptiſterij conſecratione, & ſolenni Baptiſmo fieri conſueuerunt, tres præcipuas fuiſſe conſtat.

Vnam quidem, quæ olim ante omnia mane vel in Eccleſia, vel vt deinde ſeruatum eſt, ad fontes dicebatur per Subdiaconos ſeu Cantores, dum legebantur in Eccleſia lectiones: & hæc ter fiebat, ſemel ſeptena, iterum quina, tertiò terna ſeu trina.

Secũdam, quæ in proceſſione Pontificis cum Clero & populo ad fontes agebatur, & hæc quina erat.

Tertiam verò, quæ dum confirmabantur baptizati, & poſt reditum à fontibus, in Eccleſia fiebat; & hæc ſeptena, quina, & terna ſimiliter erat. Et ita eo die litaniæ ſepties ſeu ſeptem numero diuiſæ atque diſtinctæ agebantur, ad impetrandam Neophytis ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam.

Septena autem dicitur, non quòd ſepteno ordine proceſſionis fieret, ſeu in ſeptem diuerſas turmas, aut partes diſtributa eſſet, prout olim illa dicta fuit, quæ vij. Kal. Maij à ſancto Gregorio Papa inſtituta, poſteà litaniæ maioris nomen accepit, quam & quidam ideò ſeptiformem dictã eſſe teſtantur: ſed quòd ſepties Kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon, dicantur, & ſepties quæ ſequuntur repetantur, in hunc modum.

Stat

Stat Primicerius in dextro choro, & cum ipſo dicit.

Kyrie eleiſon.

Secundicerius cum ſiniſtro choro reſpondet.

Kyrie eleiſon.

Primicer. Kyrie eleiſon.

Secundic. Kyrie eleiſon. Et ſic dicitur quater.

Primicer. cum dextro choro.

Chriſte eleiſon.

Secundic. cum ſiniſtro choro.

Chriſte eleiſon.

Primicer. Chriſte eleiſon. Et ſic dicitur ter, & in totum ſepties repetuntur.

Secundicerius cum ſuo choro dicit.

Chriſte audi nos.

Primicerius cum ſuo choro reſpondet.

Chriſte audi nos.

Secundic. Chriſte audi nos.

Primicer. Chriſte audi nos.

Secundic. Chriſte audi nos.

Primicer. Chriſte audi nos.

Secundic. Chriſte audi nos. Et ſic ſepties.

Primicerius cum dextro choro dicit.

Chriſte exaudi nos.

Secundicerius cum ſiniſtro choro ſimiliter reſpondet.

Chriſte exaudi nos.

Primicer. Chriſte exaudi nos.

Secundic. Chriſte exaudi nos.

Primicer. Chriſte exaudi nos.

Secundic. Chriſte exaudi nos.

Primicer. Chriſte exaudi nos.

Secundicerius cum ſuo choro dicit.

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Primicer. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Secundic. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Primicer. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Secundic. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Primicer. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Secundic. Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.

Et ita reliqua per ordinem vterque chorus alternatim proſequitur, ſepties ſingula repetendo.

Quina litania ſimiliter dicta eſt, quòd Kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon, quinquies dicerentur, & ſingula, quæ ſequuntur, quinquies repeterentur, hoc ordine.

Primi-

Primicerius cum dextro choro dicit.

Kyrie eleiſon.

Secundicerius cum ſiniſtro choro reſpondet.

Kyrie eleiſon.
Primicer. Kyrie eleiſon.
Secundic. Chriſte eleiſon.
Primicer. Chriſte eleiſon. Et ſic quinquies.

Secundic. Chriſte audi nos.
Primicer. Chriſte audi nos.
Secundic. Chriſte audi nos.
Primicer. Chriſte audi nos.
Secundic. Chriſte audi nos.

Primicer. Chriſte exaudi nos.
Secundic. Chriſte exaudi nos.
Primicer. Chriſte exaudi nos.
Secundic. Chriſte exaudi nos.
Primicer. Chriſte exaudi nos.

Et eodem modo alia quæ ſequuntur per ordinem vterque chorus alternatim quinquies repetit.

Trina quoque ſeu terna litania eadem ratione dicta eſt, quòd Kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon, ter duntaxat dicantur, ſingula verò ſequentia ter repetantur, videlicet.

Primicerius cum dextro choro dicit.

Kyrie eleiſon.

Secundicerius cum ſiniſtro choro reſpondet.

Kyrie eleiſon.
Primicer. Chriſte eleiſon. Et ſic ter.

Secundic. Chriſte audi nos.
Primicer. Chriſte audi nos.
Secundic. Chriſte audi nos.

Primicer. Chriſte exaudi nos.
Secundic. Chriſte exaudi nos.
Primicer. Chriſte exaudi nos.

Et ſimiliter vterque chorus alternatim cætera proſequens ter idem repetit.

Ne autem vetuſtæ Eccleſiarum conſuetudini derogaretur, eædem litaniæ poſitæ ſunt: verùm ſi propter officij prolixitatem, aut tarditatem horæ, aut aliud impedimentum, omnes ſeptem fieri commode nequeant, tres ſaltem litaniæ non omittantur, & fiant primò ſeptena, ſecundò quina, tertiò terna.

In

In quibus verò Eccleſijs fuerit Clerus numeroſus, nihil prohibet quo minus id quod repetendum eſt ab alterutro choro, toties à diuerſis choris repetatur: nam & inde facilior canendi modus, & ſuauior concentus efficietur.

Vel iuxta quarundam Eccleſiarum morem, litania ſeptena dicitur à quinque Clericis ſingillatim (incipitur autẽ ſemper à ſenioribus, & deſcenditur ad iuniores) deinde à dextro choro, poſteà à ſiniſtro idem repetente. Litania verò quina à tribus clericis ſingillatim, dehinc à dextro, tum à ſiniſtro choro ſimiliter repetente. Litaniam autem ternam Primicerius & Secundicerius, ſeu duo præfecti vtriuſque chori ſimul dicunt, idem repetente choro dextro, & poſteà ſiniſtro.

Sed & hæc eadem terna fieri poteſt, ſi alij quiuis duo Cantores eam incipientes præcinant, ac deinde ſimiliter chorus dexter idem reſpondeat, & ſiniſter idipſum repetens ſubſequatur; prout infrà dicitur faciendum in litania ante Miſſam.

Litania ſeptena.

Kyrie eleiſon. quater.
Chriſte eleiſon. ter.
Chriſte audi nos. ſepties, & ita ſequentia omnia ſepties repetãtur.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix ora.
Sancta virgo virginum ora.
Sancte Michael ora.
Sancte Ioannes Baptiſta ora.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Ioannes ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Stephane ora.
Sancte Line ora.
Sancte Clete ora.
Sancte Clemens ora.
Sancte Ignati ora.
Sancte Fabiane ora.
Sancte Sebaſtiane ora.

Sancte Siluester ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Ambrosi ora.
Sancte Augustine ora.
Sancte Hieronyme ora.
Sancte Hilari ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Antoni ora.
Sancta Maria Magdalena ora.
Sancta Thecla ora.
Sancta Felicitas ora.
Sancta Perpetua ora.

Litania quina.

Kyrie eleison. ter.
Christe eleison. bis.
Christe audi nos. quinquies, & sic sequentia omnia.
Christe exaudi nos.
Saluator mundi, adiuua nos.
Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.
Sancta Mater Iesu ora pro nobis.
Sancte Gabriel ora.
Sancte Præcursor Domini ora.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Philippe ora.
Sancte Bartholomæe ora.
Sancte Matthæe ora.
Sancte Simon ora.
Sancte Thadæe ora.
Sancte Dionysi ora.
Sancte Xiste ora.
Sancte Corneli ora.
Sancte Cypriane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Vincenti ora.
Sancte Athanasi ora.
Sancte Gregori Nazianzene ora.
Sancte Basili ora.
Sancte Ioannes Chrysostome ora.
Sancte Nicolae ora.
Sancte Benedicte ora.
Sancte Bernarde ora.

Sancta Agatha ora.
Sancta Lucia ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Cæcilia ora.
Sancta Margarita ora.

Litania terna.

Kyrie eleison. bis.
Christe eleison. semel.
Christe audi nos. ter, & eodem modo sequentia omnia.
Christe exaudi nos.
Redemptor mundi, miserere nobis.
Sancte Sanctorum Deus, miserere nobis.
Sancta Regina cœlorum ora pro nobis.
Sancte Raphael ora.
Omnes sancti Angeli & Archangeli orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines orate.
Sancte Abraham ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ orate.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Matthia ora.
Sancte Barnaba ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce ora.
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ orate.
Omnes sancti Discipuli Domini orate.
Omnes sancti Innocentes orate.
Sancte Chrysogone ora.
Sancti Ioannes & Paule orate.
Sancti Cosma & Damiane orate.
Sancti Geruasi & Protasi orate.
Omnes sancti Martyres orate.
Sancte Leo ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores orate.
Omnes sancti Doctores orate.
Sancte Dominice ora.
Sancte Francisce ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ orate.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ orate.
Sancta Catharina ora.
Sancta Anastasia ora.
Sancta Clara ora.

Omnes

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis.

Si tempus detur, in fine litaniæ septenæ, quinæ, & ternæ Subdiaconi seu Cantores prosequuntur vt infrà, vel omnia, vel aliqua ex eis.

Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo ∴ libera nos Domine.
Ab omni peccato libera.
Ab ira tua libera.
A peste, fame, & bello libera.
A subitanea & improuisa morte libera.
A fulgure & tempestate libera.
A Paganorum & Infidelium iugo libera.
A cunctis malis imminentibus libera.
Ab insidijs Diaboli libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate libera.
Ab immundis cogitationibus libera.
A spiritu fornicationis libera.
A cæcitate cordis libera.
A pœnis inferni libera.
A morte perpetua libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ libera.
Per aduentum tuum libera.
Per natiuitatem tuam libera.
Per baptismum & sanctum ieiunium tuum libera.
Per crucem & passionem tuam libera.
Per mortem & sepulturam tuam libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam libera.
Per admirabilem ascensionem tuam libera.
Per aduentum Spiritus sancti paracliti libera.
In die Iudicij libera.
In hora mortis succurre nobis Domine.
Peccatores ∴ te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas te rogamus.
Vt nobis indulgeas, te rog.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rog.
Vt initium, & perseuerantiam boni operis nobis donare digneris, te rog.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere & conseruare digneris, te rog.
Vt sanctæ Ecclesiæ fidem augere & propagare digneris, te rog.
Vt Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris, te rog.
Vt Electos tuos in sancto proposito conseruare & confirmare digneris, te rog.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.

Vt Re-

V t Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rog.
V t cuncto populo Christiano pacem & vnitatem largiri digneris. te rog.
V t nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare digneris, te rog.
V t mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rog.
V t omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.
V t animas nostras parentum, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rog.
V t fructus terræ dare & conseruare digneris, te rog.
V t omnibus fidelibus defunctis requiem æternā donare digneris, te rog.
V t obsequium seruitutis nostræ rationabile facias, te rog.
V t nos exaudire digneris, te rog.
F ili Dei te rog.
P astor bone te rog.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
A gnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
C hriste audi nos.
Christe exaudi nos.

Ordo processionis ad fontes, & eorum solennis per Pontificem benedictionis.

FInitis lectionibus vigiliarum Paschæ per ordinem, cum canticis, seu tractibus ad ipsum diem pertinentibus, orationibus, & reliquo officio, statim veniunt duo Acolythi, habentes in manibus ampullas seu vascula argentea cum Chrismate, & Oleo sancto Catechumenorum velo serico cooperta, & stantes in dextro cornu altaris, inde procedunt obuiam Pontifici pergenti ad fontes. Subdiaconus autem tenet in manu sinistra super planetam, siue super velum aut mappam, vas aureum, vel saltem argenteum inauratum, quod debet esse patens, instar crateris cum rostro, in quod deinde mittat Chrisma, & Oleum sanctum de prædictis ampullis seu vasculis, & ex eo Pontifex effundat in fontem, vt infrà in ipsius fontis benedictione continetur.

Deinde procedit Pontifex benedicendo cum omni decore, & ordine Sacerdotum, & sustentatus à duobus Diaconis assistentibus descendit ad benedicendos fontes, præcedentibus Assistente, Diacono, Subdiacono, ac alijs de Clero iuxta morem, item Subdiacono cum cruce, & Acolytho cum Cereo Paschali ardente, & aliis Acolythis, seu Ceroferarijs cum candelabris, & cereis similiter ardentibus à Cereo benedicto illuminatis, & alijs etiam Acolythis cum thuribulo, & thymiamatibus, cæterisque rebus necessarijs ad benedictionem fontium, &

reliqua

reliqua Cantorum schola, prosequente eum populo. Et Cantores cantant tractum.

S icut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? ℣. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus?

Insuper Subdiacones induti tunicis violaceis, seu Cantores, & reliqui Clerici faciunt litaniam quinam. Et prosequuntur sequentes litaniæ preces & consuetos versus appositos post litaniam ternam. Et interim, cùm Pontifex ad Baptisterium peruenerit, procumbit supra faldistorium paratum ante altare seu cappellam Baptisterij, vel vbi altare aut cappella huiusmodi non existit, ante crucem, quæ coram eo tenetur à Subdiacono genuflexo, mitram retinens per totam litaniam: & alij omnes genuflectunt. Ac dicto ℣. Vt obsequium seruitutis nostræ rationabile facias. surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, baculum sinistra manu tenens, & conuertens se ad fontes, & eos signans, dicit sequentes versus. primò.

V t fontem istum, ad regenerandam tibi nouam prolem, benedicere ✠, digneris. Te rog. secundò.

V t fontem istum, ad regenerandam tibi nouam prolem, benedicere ✠, & sanctificare ✠ digneris. Te rog. tertiò.

V t fontem istum, ad regenerandam tibi nouam prolem, benedicere ✠, sanctificare ✠, & consecrare ✠, digneris. Te rog.

Et iterum procumbit super faldistorium, & Cantores prosequuntur litaniam, Vt nos exaudire digneris, &c. Atque vt ventum fuerit ad Agnus Dei, tandiu illud cantant, donec Pontifex, vel eius mandato Diaconus, vel Clericus cæremoniarum eis innuat, vt sileant.

Expleta autem litania ante fontem, vel ea, cùm tempus non suppetit, ex parte omissa, surgit Pontifex, & surgentibus reliquis omnibus, antequam aggrediatur benedictionem, stans iuxta fontem, deponit mitram, & dicit hanc orationem.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus. Oratio.

O Mnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad deuotionem populi renascentis, qui sicut ceruus, aquarum tuarum expetit fontem, & concede propitius, vt fidei ipsius sitis, Baptismatis mysterio animam corpusq; sanctificet. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. ℟. Amen.

Posteà Pontifex, accepta mitra, benedicturus fontem, ascendit gradus, & astantibus hincinde ministris cum luminaribus, & Cereo, & omni Clero & populo in circuitu fontis, procedit ad benedictionem, & depositis mitra & chirothecis, factoq; silentio, dicit.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O remus

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysterijs, adesto sacramentis, & ad recreandos nouos populos, quos tibi fons Baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte; vt quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Tunc eleuans vocem in modum præfationis, prosequitur.

PEr omnia secula seculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum & iustum est. Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte pater, omnipotens æterne Deus, qui inuisibili potentia Sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, & licèt nos tantis mysterijs exequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad preces nostras aures tuæ pietatis inclinas. Deus, cuius spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, vt iam tunc virtutem sanctificationis, aquarum natura conciperet. Deus, qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluuij effusione signasti; vt vnius eiusdemq. elementi mysterio, & finis esset vitijs, & origo virtutibus: respice Domine in faciem Ecclesiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas ciuitatem tuam, fontemq; Baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innouandis, vt tuæ maiestatis imperio sumat Vnigeniti tui gratiam de Spiritu sancto.

Hîc Pontifex manu aquam diuidit in modum crucis, dicens.

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana sui numinis admistione fœcundet; vt sanctificatione concepta ab immaculato diuini fontis vtero, in nouam renata creaturam progenies cœlestis emergat. Et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in vnam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, iubente te Domine, omnis spiritus immundus abscedat; procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hîc loci habeat contrariæ virtutis admistio; non insidiando circumuolet, non latendo surrepat, non inficiendo corrumpat.

Hîc aquam manu tangit.

Sit hæc sancta & innocens creatura, libera ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons viuus, aqua regenerans, vnda purificans; vt omnes hoc lauacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur.

Hîc facit cruces supra fontem, dicens.

Vnde benedico te creatura aquæ, per Deum viuum ✠, per Deum ve-

rum ✠, per Deum ſanctum ✠, per Deum ✠, qui te in principio verbo ſeparauit ab arida, cuius ſpiritus ſuper te ferebatur.
Hîc manu aquam diuidit, & de ea extra fontis marginem effundit verſus quatuor mundi partes, dicens.
Qui te de paradiſi fonte manare fecit, & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit. Qui te in deſerto amaram, ſuauitate indita fecit eſſe potabilem, & ſitienti populo de petra produxit.
Hîc iterum facit crucem ſupra fontem.
Benedico ✠ te & per Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, qui te in Cana Galilææ ſigno admirabili ſua potentia conuertit in vinum. Qui pedibus ſuper te ambulauit, & à Ioanne in Iordane in te baptizatus eſt. Qui te vnà cum ſanguine de latere ſuo produxit, & diſcipulis ſuis iuſſit, vt credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.
Hîc mutat vocem, & proſequitur in modum lectionis.
Hæc nobis præcepta ſeruantibus tu Deus omnipotens clemens adeſto: tu benignus adſpira.
Hîc halat ter in aquam in modum crucis, dicens.
Tu has ſimplices aquas tuo ore benedicito, vt præter naturalem emundationem, quam lauandis poſſunt adhibere corporibus, ſint etiam purificandis mentibus efficaces.
Hîc Pontifex Cereum in aquam paululùm immergit, & reſumens tonum præfationis dicit.
Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus ſancti.
Deinde extractum Cereum de aqua, iterum profundiùs immergit, aliquantò altiùs repetens.
Deſcendat in hanc, &c. vt ſuprà.
Poſteà Cereum rurſum de aqua ſublatum, tertiò immergens vſque ad fundum altiori adhuc voce repetit.
Deſcendat in hanc, &c. vt ſuprà.
Et deinde ſufflat ter in aquam ſecundum hanc figuram Ψ & dicit.
Totamq. huius aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu.
Hîc tollit Cereum de aqua, & proſequitur.
Hîc omnium peccatorum maculæ deleantur, hîc natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem ſui reformata principij, cunctis vetuſtatis ſqualloribus emundetur; vt omnis homo ſacramentum hoc regenerationis ingreſſus, in veræ innocentiæ nouam infantiam renaſcatur.
Sequentia dicit legendo.
Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.
Deinde per ipſum Pontificem, vel aliquem ex aſſiſtentibus Sacerdotibus, ſpargitur de ipſa aqua benedicta ſuper populum. Et interim vnus ex miniſtris Eccleſiæ accipit in vaſe aliquo de eadem aqua ad ſpargendum

dum eo die in domibus, & alijs locis, atque ad aspergendum Clerum & populum in crastino die sancto Paschæ ante Missam, & det omnibus de populo, qui voluerint, in vasculis suis, similiter ad spargendum in eorum domibus, vineis, agris, & arboribus, ac fructibus.

His peractis, Subdiaconus accipit ab Acolytho ampullam Olei Catechumenorum, & de ea fundit Oleum in vas aureum, vel argenteum deauratum, quod sinistra manu tenet vt suprà, & dat illud Diacono, & Diaconus Pontifici, eius manu priùs osculata; Pontifex verò de eo effundit Oleum sanctum in aquam in modum crucis, lenta & intelligibili voce dicens.

Sanctificetur, & fœcundetur fons iste Oleo salutis ✠, renascentibus ex eo in vitam æternam. ℟. Amen.

Et reddit vas Diacono, & is, illius manu osculata, accipit & dat Subdiacono. Subdiaconus autem ab altero Acolytho accipit ampullam Chrismatis, & de ea fundit in idem vas, & dat Diacono, & Diaconus dat, vt suprà, Pontifici. Pontifex verò de eo effundit Chrisma in aquam similiter in modum crucis, eadem voce qua suprà, dicens.

Infusio Chrismatis Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti paracliti, fiat ✠ in nomine sanctæ Trinitatis. ℟. Amen.

Et reddit Diacono, & is Subdiacono, vt suprà.

Posteà idem Subdiaconus rursus ab vtroque Acolytho accipit ampullas, primùm Chrismatis, deinde Olei sancti, & de vtrisque ampullis infundit in vas aureum vel argenteum prædictum, & dat Diacono, & Diaconus Pontifici, vt suprà.

Pontifex verò de eodem vase Chrisma & Oleum sanctum iam simul infusa, intra fontem super ipsam aquam in modum crucis effundit, eadem voce dicens.

Commistio Chrismatis sanctificationis, & Olei vnctionis, & aquæ Baptismatis pariter fiat ✠ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

Tunc cum eodem vase aureo seu argenteo miscet ipsum Chrisma & Oleum cum aqua, & vbi illud reddiderit Diacono, spargit manu sua per totum fontem.

Et mox Acolythi & Ministri afferunt in pelui argentea seu bacili vas cum aqua, & medullam panis, & candidam mappam ad abstergendas manus, vel etiam abluendas, prout libuerit, & Pontifex abstergit, vel lauat manus.

Ordo Baptismi solennis.

Benedictione completa, secedit Pontifex paululùm in Secretarium iuxta fontes, & deposita planeta, & pallio, si eo vtatur, cùm Baptismus fit per infusionem, accipit pluuiale violacei coloris, & mitram, & regreditur ad fontes, ac ibi sedet in sede sibi parata, & vocantur Electi,

ſeu infantes per nomina, & baptizat vnum, duos, vel quot ipſi placuerit, aut certè tres, duos mares, & vnam fœminam.

Præſentatis itaque ei his tribus, puta Ioanne, Petro, & Maria, interrogat Pontifex ſingulos.

Quis vocaris? Reſpondet adultus per ſeipſum; pro infante verò patrinus, vel matrina. Ioannes, ſeu N.

Et Pontifex inculcat dicens. Ioannes, Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Interrogat. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Et iterum interrogat, & dicit. Ioannes, ſeu N. Vis baptizari? ℟. Volo.

Tunc patrinus vel matrina Electum adultum ſtantem detecto & inclinato capite, ac laxatis veſtibus vſque ad humeros, admota manu tenet ſeu tangit; infantem verò capite, & ſuperiore parte corporis nudatum, ambabus manibus ſuſtinet: & Diaconus in vaſculum ſeu vrceum argenteum vel cryſtallinum de fonte accipit aquam baptiſmalem, & dat Pontifici, èius manu priùs oſculata. Pontifex autem de ea ter fundens ſuper caput Electi, ſeu infantis in modum crucis, baptizet eum, ac ſimul ſanctam Trinitatem ſemel inuocando, dicat.

ET EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✝, fundat primò. ET FILII ✝, fundat ſecundò. ET SPIRITVS SANCTI ✝, fundat tertiò.

Aqua verò ex capite baptizati, ſi non defluit in Sacrarium Baptiſterij, recipiatur in ſubiecta aliqua pelui ad id conſtituta, ex qua deinde proijciatur in prædictum vel aliud Sacrarium.

Simili modo ſucceſſiuè baptizet Petrum, & Mariam, vel alios, quot ei placuerit baptizare, primùm mares, deinde fœminas.

His verò baptizatis, Pontifex reddit vaſculum ſeu vrceum Diacono, & is oſculata manu, accipit, & dat Acolytho, qui ex eo reſiduam aquam effundat in fontem. Pontifex autem deductus à Diaconibus aſſiſtentibus, Diacono & Subdiacono, Sacerdote aſſiſtente, & miniſtris, eodem pluuiali ſuperindutus, vadit ad Chriſmarium, ad ſedem ibi paratā pro confirmandis baptizatis; Sacerdotibus Canonicis, vel alijs Presbyteris ad id deſignatis, baptizantibus reliquos Electos, ſeu infantes.

Sacerdos autem ibi paratus cum ſacro Chriſmate in minori vaſculo, quod teneat Acolythus, baptizatos ſtatim perungat in vertice, tenentibus, ſeu tangentibus eos patrinis aut matrinis, vt ſuprà, faciens cum pollice in Chriſmate intincto, ſignum crucis, & dicat orationem, vt infrà.

Et poſtquàm ſacro Chriſmate inuncti fuerint in vertice, maiores deducuntur, infantes verò portantur à patrinis vel matrinis ante Pontificem

cem ſedentem in ſede ſua, qui dat ſingulis veſtem càndidam, vt infrà, & ipſi veſtes nouas & albas, & ſaltem candidam, quam acceperunt, deſuper induuntur.

SI verò Baptiſmus fit per merſionem, quando Pontifex ſecedit in Secretarium, & deponit planetam & pallium, vt ſuprà, Acolythi parent eum cum brachialibus de panno cerato, vel ſicut conſuetudo eſt. Ita verò paratus, cum manto, ſeu cappa ad ſcapulas, Cappellano caudam ſubleuante, regreditur ad fontes, & vocantur Electi, ſeu infantes per nomina, & Pontifex pro more Eccleſiæ ingreſſus, aut aſtans in loco iuxta fontem aptato, ex quo commodè baptizare poſſit, præſentatis ſibi ſaltem tribus ex eis, vt ſuprà, ſingillatim interrogat ſingulos.

Quis vocaris? ℟. Ille, vel Illa, ſeu N.

Item interrogat. N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Et iterum interrogat, dicens. N. Vis baptizari? ℟. Volo.

Tunc baptizet ſub trina merſione, ſanctam Trinitatem ſemel tantùm inuocando ſic.

ET EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, & mergat ſemel. ET FILII, & mergat ſecundò. ET SPIRITVS SANCTI. & mergat tertiò.

Et adultum quidem, vel maiorem infante, accipiat per brachia prope humeros, & ſuperiore parte corporis nudatum, reliqua honeſtè contectum, ter mergendo illum vel caput eius in aquam, & toties eleuando, baptizet, vt ſuprà.

Infantem verò accipiat in manibus ſuis, ac leniter, cauteq. eum vel eius capitis partem ter ſimiliter mergat in aquam, & ter eleuet, vt ſuprà.

Et eodem modo ſucceſſiuè interroget, & baptizet ſecundum, & tertium, vel etiam alios, ſi plures voluerit baptizare, primùm mares, deinde fœminas.

Et reddit illos, ſi ſunt infantes, patrinis vel matrinis, qui de eius manu parati cum linteis in manibus ſuſcipiunt eos in vlnas ſuas, & offerunt vni Presbyterorum, ibi adſtanti cum Chriſmate; maiores autem infantibus, ſiue adultos, mox vt de ſacro fonte ſurrexerint, patrini vel matrinæ de manu Pontificis ſimiliter cum linteis ſuſcipiunt, ſeu leuant, & idem Presbyter Chriſmate perungit in vertice, vt infrà.

Et vbi Baptiſmus fit per totius corporis merſionem, cùm à patrinis ſuſcipiuntur, vt ſuprà, infantes quidem ita ab eis teneantur, vt pedes adhuc in aqua habeant, dum ſacro Chriſmate liniuntur; maiores verò ſimiliter antequàm pedes de aqua prorſus educant, Chriſmate inunigantur.

gantur: Inuncti autem, ſiue infantes, ſiue maiores, ab eiſdem ſuſceptoribus de aqua penitus leuantur, & prædictis linteis conteguntur.

Vbi verò Pontifex illos baptizauerit, expanſo manto ſuper Dalmaticam egreditur de fonte, lauat, & tergit manus; & deductus, vt ſuprà, vadit ad Chriſmarium ad ſedem ſibi paratam; & ſedeat in ea, vt cùm veſtiti fuerint qui baptizati ſunt, confirmet eos.

Deinde Presbyteri, aut Diaconi, qui iuſſi fuerint, ſeu ad id conſtituti, calciati induunt ſe veſtibus mundis vel candidis, & ingrediuntur fontem, aut circa eius marginem conſiſtunt, in loco, vnde facilè poſſint mergendo baptizare, pro conſuetudine Eccleſiarum. Et baptizantur primò maſculi, deinde fœminæ, ſub præcedente interrogatione, in hunc modum.

Quiſque Presbyter, vel Diaconus interrogat ſingulos, quos vult baptizare.

Quis vocaris? Reſpondet, Ille, vel Illa.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

℟. Credo.

Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Vis baptizari? ℟. Volo.

Tunc baptizet eum ſub trina merſione, ſanctam Trinitatem ſemel tantùm inuocans, ita dicendo.

ET EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, & mergat ſemel, ET FILII, & mergat iterum, ET SPIRITVS SANCTI, & mergat tertiò.

Accipit autem, vt præmittitur, adultum, vel maiorem infante per brachia prope humeros, infantem verò in ſuis manibus, & ter mergendo, ac toties eleuando, baptizet, vt ſuprà.

Interim patrini & matrinæ, qui eos ſuſcepturi ſunt, parati ſint cum linteis in manibus. Vt autem illi ſurrexerint à fonte, ſi infantes fuerint, eos ſuſcipiunt cum linteis à Presbyteris & Diaconibus, qui eos baptizauerunt, & leuantes ipſos manibus ſuis offerunt Presbytero ibi parato cum Chriſmate: ſi verò ſunt adulti, ſiue maiores infantibus, à patrinis vel matrinis ſimiliter cum linteis ſuſcipiuntur de eorundem Presbyterorum vel Diaconorum manu, & ante dictum Presbyterum conſiſtunt, à quo de Chriſmate liniantur in vertice. Et cùm Baptiſmus fit per totius corporis merſionem, tam infantes quàm adulti, pedes adhuc in aqua habentes, Chriſmate liniantur in vertice, ſicut anteà dictum eſt.

Ipſe verò Presbyter indutus ſuperpelliceo & ſtola, ſtans iuxta fontem, Acolytho tenente vaſculum ſacri Chriſmatis, vt ſuprà, mox vt aliquis

eſt baptizatus, intingat pollicem dextrum in Chriſmate, & eodem pollice intincto perungens faciat crucem in eius vertice, ita dicendo.

Deus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto; quiq. dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum: ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠ in eodem Chriſto Domino noſtro in vitam æternam. ℟. Amen. ℣. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Cumq. Chriſmate inuncti fuerint, patrini vel matrinæ ipſos linteis contegunt; ac infantes quidem portant, maiores autem ducunt ante Pontificem ſedentem in ſede ſua; & is dat ſingulis Chriſmale, quo caput, & locus vnctionis tegatur, & ſtolam ſeu veſtem candidam, dicens.

Accipe veſtem candidam, ſanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Et recedentes ſtatim eiſdem linteis abſterguntur, & veſtiuntur veſtibus nouis & albis, & ſaltem exteriore candida, quam acceperunt; infantes quidem, vbi commodum fuerit; maiores autem & adulti, propter honeſtatem, in aliquo ſacello, vel ſemoto loco, aut papilione ibi ad id parato, non ſimul, ſed ſeorſum, vel ſingillatim vnus poſt alium.

Hoc loco, hodie & Sabbato Pentecoſtes, ſolenniter baptizatis non datur candela ſiue cereus accenſus; ſed ipſorum cerei, propter myſteriũ, paulò pòſt accenduntur in Eccleſia cum cæteris illius luminaribus, dum circa finem nouiſſimæ litaniæ ante Miſſam dicitur Agnus Dei.

Et Acolythus notarius, ſeu Cancellarius Eccleſiæ, qui priùs Catechumenorum ſiue Competentium nomina deſcripſerat, modò eorundem iam baptizatorum, & parentum ipſorum, ac ſuſceptorum nomina & cognomina ſcribat in libro ad id ordinato, vt ſuprà in fine Ordinis Baptiſmi paruulorum dictum eſt.

Si dubium fuerit de aliquo ex his, qui in hoc Baptiſmo ſolenni baptizantur, an priùs baptizatus fuerit, baptizetur per infuſionem vel merſionem, vt alij, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, ſed ſub conditione, vt dictum eſt ſuprà in eodem Ordine Baptiſmi paruulorum, videlicet.

Ioannes ſeu N. SI BAPTIZATVS ES, NON TE REBAPTIZO; SED SI NONDVM BAPTIZATVS ES, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Expleto Baptiſmo, Presbyteri vel Diaconi, qui baptizauerunt, manus lauant, & tergunt.

Presbyter quoque, qui baptizatos Chriſmate liniuit in vertice, medulla panis pollicem tergit, & manus lauat; & aqua ablutionis proijcitur in Sacrarium.

Ordo sacræ Confirmationis post solenne Baptisma.

DEinde verò Neophyti, albis vt suprà induti, disponuntur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu, mares seorsum à fœminis; & veniunt alij patrini vel matrinæ designati, & ad id parati, qui eos in Sacramento Confirmationis teneant; & infantes quidem tenentur ab eis in brachijs dextris, maiores verò ponunt dextrum pedem super pedem dextrum sui patrini, vel matrinæ. Quibus ita per ordinem ante Pontificem dispositis, Archidiaconus, siue Diaconus qui ministrat, accipit pannum lineum, seu mappam mundam supra scapulas & brachia, & à Subdiacono, cui suggerit Acolythus, accipit vasculum Chrismatis, & tenet ante Pontificem.

Et interim schola Cantorum iussa facit ad fontem ante altare litaniam quinam, aut si vacat, primò septenam, deinde aliquo interuallo facto, quinam. Inchoantur autem & dicuntur eo ordine, qui suprà explicatur.

Pontifex verò deposita mitra surgit, & stans versa facie ad confirmandos, iunctis ante pectus manibus, dicit.

SPiritus sanctus superueniat in vos, & virtus Altissimi sine peccato custodiat vos. ℟. Amen.

Tunc veniens ad confirmandos eleuat manum, & imponit supra capita singulorum, & dat orationem super eos cum inuocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti, dicens.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos & famulas tuas ex aqua, & Spiritu sancto, quiq. dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cœlis. ℟. Amen. Spiritum sapientiæ & intellectus. ℟. Amen. Spiritum consilij & fortitudinis. ℟. Amen. Spiritum scientiæ & pietatis. ℟. Amen. Adimple eos spiritu timoris tui. ℟. Amen. Et consigna eos signo crucis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Si confirmandi sunt omnes masculi, dicatur oratio in genere tantùm masculino; si omnes fœminæ, in genere fœminino; si verò vnus est confirmandus, dicatur in numero singulari, & genere suo.

Expleta oratione, Pontifex accipit mitram, & sedet in prædicta sede seu faldistorio, si tamen sedens commodè confirmare potest: sin autem, stans, per ordinem circuit confirmandos, & vno ex Diaconibus interrogante nomina singulorum, intincto pollice dextræ manus in

Chriſmate, faciat crucem in frontibus ſingulorum,& ſimul verba proferens, ita dicat.

Ioannes, vel Maria, vel N. CONSIGNO TE SIGNO CRVCIS ✠ ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALVTIS ✠: IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. ℟. Amen.

Et dum dicit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, producit manu ſignum crucis ante faciem illius. Deinde dat ei leuiter alapam ſuper genam dicens.

Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Miniſtri autem & Acolythi, qui aſtant, apponunt parum bambacij, ſeu cotoni in loco vnctionis, & Chriſmale quod habet in capite propter vnctionem Chriſmatis in vertice, extendunt ſuper frontem, & ligant; vel vbi huiuſmodi Chriſmale non datur,ſuperponunt faſciolam mundam, vel candidum linteolum, & circunligant nodo in occipitio facto; quod quidem Chriſmale vel linteolum confirmatus ſic deferat per tres,aut aliquot dies,iuxta conſuetudinem locorum, donec vnctio fuerit exiccata; quæ tamen per ſeptem dies ſeruari debet, vt caput,vel frons non lauetur.

Omnibus ita confirmatis, Pontifex ſedet, & medulla panis pollicem tergit, & manus lauat ſuper peluim, & aqua ablutionis cum pane effunditur in Sacrarium; ipſe verò ſurgens dicit hos verſus.

Ecce ſic benedicetur omnis homo,qui timet Dominum.

Benedicat vobis Dominus ex Sion,vt videatis bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ.

Cuſtodiat vos Dominus in timore ſuo ſanctiſſimo, qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Et depoſita mitra proſequitur dicens.

Pax vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, & per eos, eorumq. ſucceſſores cæteris fidelibus tradendum eſſe voluiſti: reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum,& præſta,vt eorum corda, quorum frontes ſacro Chriſmate deliniuimus, & ſigno crucis conſignauimus, idem Spiritus ſanctus adueniens, templum gloriæ ſuæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Tunc pronuntiet Diaconus.

Humiliate vos ad benedictionem. ℟. Deo gratias.

Et omnes confirmati adulti, & infantum confirmatorum parentes, vel patrini,aut qui eos tenent, genuflectunt. Et Pontifex accepta mitra & baculo,vel ſine eis coram cruce; quam Subdiaconus ante ipſum tenet, ſi ea vtatur,det ſolennẽ benedictionẽ ſuper confirmatos, dicens.

Bene-

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui cuncta creauit ex nihilo,& vobis in Baptiſmate per Spiritum ſanctum remiſſionem omnium tribuit peccatorum. ℟. Amen.

Quiq́. eundem Spiritum ſanctum in igneis linguis Diſcipulis dedit,ipſius illuſtratione corda veſtra perluſtret, atque in ſuum amorem iugiter accendat. ℟. Amen.

Quatenus eius dono à cunctis vitijs emundati,ipſiusq́. opitulatione ab omnibus aduerſitatibus defenſi, templum eius effici mereamini. ℟. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & eodem Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis,Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ſancti ✠, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Aut ſi maluerit, omiſſa ſuperiore benedictione, dicat tantùm ſequentem breuiorem.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater ✠, & Filius ✠, & Spiritus ſanctus ✠. ℟. Amen.

Et Acolythus notarius, ſeu Cancellarius Eccleſiæ deſcribat nomina & cognomina eorundem confirmatorum, ac patrinorum & matrinarum,qui eos in Sacramento Confirmationis tenuerunt, vt ſuprà in Baptiſmo dictum eſt.

Expleta Confirmatione, ſi vacaret,Pontifex cum mitra ſedens,eos,qui tam in Baptiſmi,quàm in Confirmationis Sacramento patrini vel matrinæ fuerunt, breuiter admonere deberet, vt ſuos filiolos ſpirituales, quemadmodum tenentur,in Chriſtiana doctrina & pietate inſtituant, ac virtutibus,bonis moribus & exemplis informent,moneantq́. fugere mala, facere autem bona; & curent,vt qui adulti ſunt, aut vſum rationis habent, memoria retineant & ſæpiùs recitent Symbolum Apoſtolorum, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam,& præcepta Decalogi; atque eos doceant alia fidei rudimenta, quæ nondum plenè aſſecuti ſunt, aut didicerunt: curent item, vt qui paruuli ſunt, ea cùm primùm poterunt addiſcant; & eorundem denique omnium ſpiritualium filiorum ſedulam curam gerant.

Verùm quia per reliqui eiuſdem diei officij, quod inſtat, proſecutionem celebrationemq́ue,fortaſſe hæc admonere non licebit,poterit Pontifex hoc differre in alium diem ſequentis hebdomadæ, quo de ea re ſermonem in Eccleſia habendum eſſe, tunc præmonebit, ſeu faciet annuntiari.

His ita peractis, Cantores incipiunt Reſponſorium.

Cantemus Domino,glorioſè enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare. Adiutor & protector factus eſt mihi Dominus in ſalutem. ℣. Dominus quaſi vir pugnator,omnipotens nomen eius. Adiutor, &c.

Et illud cantando redeunt in chorum, & omnes reuertuntur cum pro-

cessione eo ordine, quo venerunt, Neophytis cum candelis seu cereis nondum accensis, quos manibus gestant, subsequentibus Pontificem & Clerum.

Pontifex autem cùm ministris regreditur ad Secretarium, & ibi depositis prioribus ornamentis aliquantulùm quiescit; & calciatur caligis & sandalijs albi coloris, & induitur solennioribus vestimentis Missalibus eiusdem coloris, & pallio, si eo vtatur, & accipit mitram pretiosam, Assistens etiam, & Diaconus, & Subdiaconus accipiunt similia paramenta alba, & præparant se ad Missam.

Tunc clerici & ministri adornant altare paramento albi coloris & omni ornatu suo, & parant quæque necessaria.

Interim verò duo Cantores genuflexi in medio chori siue coram altari habentes ante se librum positum supra scabellum, iussi incipiunt litaniam tertiam, prout habetur in Missali, quæ erit pro Introitu eo die, & eam faciant ternam, vtroque choro idem separatim respondente, primùm dextro, deinde sinistro. Et cùm dixerint, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Magister Scholæ Cantorum, seu alius Cantor dicit excelsa voce.

Accendite.

Tunc primùm illuminantur omnes cerei Neophytorum, quos manibus tenent, quosq. accensos habere debent vsque ad finem Missæ, & accenduntur omnia luminaria Ecclesiæ, & ante & supra altare, de igne iam benedicto.

Post Christe audi nos, Christe exaudi nos, Cantores solenniter ad Missam incipiunt.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Et ter singula repetunt, & adeò morosè, vt ministri procedere queant. Ipsi autem ministri ita debent esse præparati ad ostium Secretarij, vt cùm dictum fuerit, Accendite, absque mora procedant ad altare

Et accẽsis omnibus luminaribus, procedit Pontifex de Secretario cum omni ornatu & decore, cum suis Assistentibus, præcedentibus eum Sacerdote assistente, Diacono, & Subdiacono cum libro Euangeliorum, & intus manipulo, necnon baculo pastorali, vel cruce si ea vtatur, & Acolythis cum thuribulo & nauicula incensi, & cereis seu faculis ardentibus, & ministris, ritu solenni. Et accedit ad altare & facit more solito confessionem in loco consueto. Deinde ascendens osculatur altare & librum Euangelij, & ipsum altare incensat. Quo incensato, vadit ad sedem suam, & finitis à Clero Kyrie eleison, deuotissimè ac solenniter incipit,

Gloria in excelsis Deo.

Et tunc signa, & campanæ, & organa pulsantur, & totum classicum sonat.

Ac deinceps prosequitur Missam, prout habetur in Missali, vsque in finem.

Vbi

Vbi autem Pontifex, & miniſtri, aliją. de clero communicauerint, in primis Neophyti adulti, qui pro ætate & vſu rationis idonei iudicati fuerint, bini accedunt ad altare, primùm mares, deinde fœminæ; & genuflexi, magna humilitate & deuotione ſacram accipiunt Euchariſtiam, oſculata priùs manu Pontificis, qui dum illis eam miniſtrat, ſingulis ita dicit.

Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.

℟. Amen.

Et recedentes, de manu Diaconi purificationem ſumunt, & reuertuntur in locum ſuum, vbi conſiſtunt vſque ad Pontificis benedictionem.

Illud autem prouidendum eſt, vt qui communicaturi ſunt Neophyti, nullum anteà cibum accipiant, ſed iuxta præceptum Eccleſiæ ieiuni ſint ieiunio naturali.

Ita & ſequenti die ſancti Paſchæ, & per totam hebdomadam omnibus diebus vſque ad Sabbatum in Albis incluſiuè, ad Eccleſiam veniant, & Miſſarum ſolennijs interſint, & cereos ardentes in manibus habeant, dum illa celebrantur; & pro ſeipſis, vel pro paruulis parentes eorum, qui poſſunt, oblationes faciant; & adulti, qui capaces ſunt, præuia, ſi opus ſit, ſacramentali Confeſſione peccatorum, quæ pro humana conuerſatione quotidie contrahuntur, deuotè communicent.

Tunc finitis omnibus, & data per Pontificem benedictione, indulgentiæ ab eo conceſſæ annuntiantur populo per Aſſiſtentem; & ipſe, depoſitis paramentis in loco conſueto, cum pace & gaudio redit in palatium ſuum; & Neophyti gratias agentes Deo reducuntur domum à ſuis præfectis, vel patrinis.

Si eo die Pontifex ipſe non faciet officium, id faciat vnus ex dignioribus Sacerdotibus, ſeu Canonicis Eccleſiæ, ad quem ſpectat; & fiat in reliquis, vt in Miſſali, & Pontificali, de officio Sabbati ſancti.

In Eccleſijs autem parochialibus habentibus fontes baptiſmales, ſi Baptiſmus eo die non celebratur, fontes tamen benedicantur more conſueto; & ante infuſionem Chriſmatis & Olei Catechumenorum accipiatur de aqua ad aſpergendum populum & domos fidelium, ac deinde fiat infuſio, vt ſuprà in benedictione fontium dictum eſt, & habetur in Miſſali.

Verùm ſi nouum Oleum Catechumenorum, & nouum Chriſma præcedente feria quinta in Cœna Domini conſecrata, aut propter diſtantiam loci, aut propter aliud impedimentum, nondum opportunè haberi potuerunt, Presbyter in fontem benedictum non infundat Oleum, aut Chriſma vetus, ſed differat eiuſmodi infuſionem, donec nouum habeatur.

De Proceſsione poſt Veſperas in die ſancto Paſchæ, & ſex ſequentibus diebus in Albis.

DIe ſancto Paſchæ in Eccleſia Cathedrali, & alia, vbi fuerint fontes baptiſmales, cantatis Veſperis ordinatur Proceſſio ad fontes, & præcedentibus Thuriferarijs, Acolythis cum luminaribus, & Cereo paſchali accenſo, ac Subdiacono cum cruce, ſchola Cantorum & Clerus procedentes iuxta ordinem ſuum, deſcendunt ad fontes cantando Antiphonam.

In die reſurrectionis meæ, dicit Dominus, Alleluia, congregabo gentes, & colligam regna, & effundam ſuper vos aquam mundam, Alleluia, alleluia.

Et Neophyti, qui adſunt, ſequuntur Clerum in Proceſſione.

Antiphona verò finita canunt Pſal. Laudate pueri Dominum, totum cum Gloria Patri, Sicut erat. Et repetitur Antiphona, In die reſurrectionis meæ.

Et interim Sacerdos hebdomadarius, impoſito de more incenſo in thuribulo, incenſat fontes circumquaque.

Poſt repetitionem verò Antiphonæ, duo Cantores dicunt.

℣. Apud te Domine eſt fons vitæ, Alleluia. ℞. Et in lumine tuo videbimus lumen, Alleluia. Et Sacerdos ſine Dominus vobiſcum, dicit.

Oremus. Oratio.

PRæſta quæſumus, omnipotens Deus, vt qui reſurrectionis Dominicæ ſolennia colimus, ereptionis noſtræ ſuſcipere lætitiam mereamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

Deinde cantant Antiphonam.

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluia, & omnes ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt, & dicent, Alleluia, alleluia.

Qua finita incipiunt Pſal. In exitu Iſrael de Aegypto. Et inde illum canentes vadunt ad oratorium vel altare ſanctæ Crucis, ſi ibi ſit, vel ad aliud venerabile oratorium aut altare, & cantant totum Pſal. & in fine Gloria Patri, Sicut erat. & repetitur Antiphona, Vidi aquam egredientem, &c.

Et interim Sacerdos imponit incenſum in thuribulo, & incenſat Crucem illius oratorij. Antiphona autem repetita, duo Cantores dicunt: Verſ. Dicite in nationibus, Alleluia. ℞. Quia Dominus regnauit à ligno, Alleluia. Et idem Sacerdos dicit.

Oremus. Oratio.

PRæſta quæſumus, omnipotens Deus, vt qui gratiam Dominicæ reſurrectionis agnouimus, ipſi per amorem ſancti Spiritus à morte animæ reſurgamus. Per eundem Chriſtum Dominũ noſtrum. ℞. Amen.

Et canentes Antiphonam, Reſurrexit Dominus à mortuis, ſicut dixerat, exultemus & lætemur omnes, quoniam ipſe regnat in æternum, Alle-

Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. redeunt in Sacrariũ, & ibi se exuunt sacris vestibus & paramentis.

In Ecclesijs verò, vbi est consuetudo, reuertantur in chorum, & ibi dicto Pater noster, secretò, Sacerdos dicit.

℣. Dominus det nobis suam pacem. ℟. Et vitam æternam. Amen.

Et cantatur Antiphona.

R egina cœli lætare, Alleluia: Quia quem meruisti portare, Alleluia, Resurrexit sicut dixit, Alleluia: Ora pro nobis Deum, Alleluia.

℣. Gaude & lætare virgo Maria, Alleluia. ℟. Quia surrexit Dominus verè, Alleluia.

O remus. Oratio.

D Eus, qui per resurrectionem filij tui Domini nostri Iesu Christi, familiam tuam lætificare dignatus es, præsta quæsumus, vt per eius genitricem virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Diuinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Et ita eodem ordine, Antiphonis & orationibus tantùm mutatis, fit per sex sequentes dies infra octauam, post Vesperas; quibus in eiusmodi processione cantantur duæ Antiphonæ, vt infrà assignatæ sunt, cum eisdem Psalmis. Laudate pueri Dominum, & In exitu Israel de Aegypto. & ℣℣. vt suprà.

Et à Sacerdote, qui facit officium, dicuntur infrascriptæ orationes ad fontes, & ad Crucis, vel aliud oratorium siue altare, prout specialiter singulis assignantur diebus.

Feria II. in Albis.

Ad fontes Antiphona.

S edit Angelus ad sepulchrum Domini, stola claritatis coopertus: videntes eum mulieres nimio terrore perterritæ substiterunt à longè: tunc locutus est Angelus, & dixit eis: Nolite metuere, dico vobis, quia ille, quem quæritis mortuum, iam viuit, & vita hominum cum eo surrexit, Alleluia. ℣. Apud te Domine est fons vitæ, Alleluia. ℟. Et in lumine tuo videbimus lumen, Alleluia.

Oremus. Oratio.

C Oncede quæsumus omnipotens Deus, vt festa paschalia, quæ venerando colimus, etiam viuendo teneamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad Crucem Antiphona.

L apidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, Alleluia.

℣. Dicite in nationibus, Alleluia. ℟. Quia Dominus regnauit à ligno, Alleluia.

O remus. Oratio.

D Eus, qui populum tuum de hostis callidi seruitute liberasti, preces eius misericorditer respice, & aduersantes ei tua virtute prosterne.

Per

Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Feria III. in Albis.

Ad fontes Antiphona.

Maria Magdalene & altera Maria cùm veniſſent ad monumentum, Angeli ſplendentes apparuerunt dicentes: Quem quæritis viuentem cum mortuis, non eſt hîc; venite, & videte locum, vbi iacuit, Alleluia.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt per hæc paſchalia feſta, quæ colimus, deuoti in tua ſemper laude viuamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Ad Crucem Antiphona.

Venite omnes, adoremus eum, qui de morte reſurrexit: quia per crucem venit gaudium in orbem terræ, Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio.

DEus, qui conſpicis familiam tuam omni humana virtute deſtitui, paſchali interueniente feſtiuitate, tui eam brachij protectione cuſtodi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Feria IIII. in Albis.

Ad fontes Antiphona.

Citò euntes dicite diſcipulis eius & Petro: ſurrexit Chriſtus, qui creauit omnia, & miſertus eſt humano generi, Alleluia.

Oratio.

DEus, qui nos per paſchalia feſta lætificas, concede propitius; vt ea quæ deuotè agimus, te adiuuante fideliter teneamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Ad Crucem Antiphona.

Crucifixus ſurrexit à mortuis, & redemit nos, Alleluia, alleluia.

Oratio.

TRibue quæſumus omnipotens Deus, vt illuc tendat Chriſtianæ deuotionis affectus, vbi tecum eſt in noſtra ſubſtantia Ieſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter. Qui tecum viuit & regnat, in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Feria V. in Albis.

Ad fontes Antiphona.

Dicant nunc Iudæi, quomodo milites cuſtodientes ſepulchrum perdiderunt Regem ad lapidis poſitionem? quare non ſeruabant petram iuſtitiæ? aut ſepultum reddant, aut reſurgentem adorent nobiſcum, dicentes, Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus, vt Eccleſia tua & ſuorum firmitate membrorum, & noua ſemper fœcunditate lætetur. Per Chriſtum.

Ad Crucem Antiphona.

Crucifixum in carne laudemus, & ſepultum propter nos glorificemus, reſurgentem de morte venite adoremus, Alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio.

Oratio.

MVltiplica, quæsumus Domine, fidem populi tui; vt cuius per te sumpsit initium, per te consequatur augmentum. Per Christum.

Feria VI. in Albis.

Ad fontes Antiphona.

Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur: quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quòd autem viuit, viuit Deo, Alleluia, alleluia.

Oratio.

ADesto, quæsumus Domine, familiæ tuæ, & dignanter impende; vt quibus fidei gratiam contulisti, & coronam largiaris æternam. Per Christum.

Ad Crucem Antiphona.

Crucem sanctam subijt, qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, Alleluia.

Oratio.

DEus, qui omnes in Christo renatos, genus regium & sacerdotale fecisti, da nobis, & velle & posse, quæ præcipis; vt populo ad æternitatem vocato vna sit fides mentium, & pietas actionum. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sabbato in Albis.

Ad fontes Antiphona.

Respondens autem Angelus dixit mulieribus: nolite timere: scio enim, quòd Iesum quæritis: iam surrexit, venite & videte, Alleluia, alleluia.

Oratio.

DEus, qui multiplicas Ecclesiam tuã in sobole renascentium, fac eam gaudere propitius de suorum profectibus filiorum. Per Christum.

Alia Oratio.

DEus qui renatis Baptismate mortem adimis, & vitam tribuis sempiternam: concede quæsumus, vt quorum nunc regenerationis sacræ diem celebramus octauum; ita corpora eorum animasq. custodias, vt gratiam se catholicæ fidei percepisse, pietatis tuæ defensione cognoscant. Per Christum.

Ad Crucem Antiphona.

De resurrectione tua Christe cœli & terra lætantur; crux tua fulget per totum mundum, & claritas tua replet orbem terrarum, Alleluia.

Oratio.

PRæsta nobis, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt in resurrectione Domini nostri Iesu Christi percipiamus veraciter portionem. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In Ecclesia verò, vbi consuetudo viget, vt eodem die sancto Paschæ, vel etiam alijs sequentibus diebus infra octauam, ante Vesperas circum eam processio fiat, Clerus Ecclesiæ & schola Cantorum eius, tem poriùs conueniunt ad illam; & Sacerdos hebdomadarius seu qui fac t officium,

ficium, & ministri parant se in Sacrario,& accipiunt pluuialia albi coloris; & præcedentibus Thuriferarijs & Ceroferarijs ac Subdiacono cum cruce, atque Cantoribus, Clericis, & Presbyteris,iuxta ordinem suum foràs procedunt, & Cantores incipiunt aliquam Antiphonam iuxta morem, vel Kyrie eleison. Et cantantes veniunt in chorum & vsque ad altare, ante quod consistunt: Presbyteri autem, & Clerici singuli statuuntur in locis suis. Finita verò Antiphona, seu Kyrie eleison, schola secedit in locum suum: & omnibus stantibus, Sacerdos, qui facit officium, secretò dicit, Pater noster, & Aue Maria, & solenniter intonat ad Vesperas, Deus in adiutorium meum intende, &c. Et cantantur Vesperæ more solito, prout in Breuiario & codicibus chori continetur: & ijs finitis,descendunt ad fontes eodem ordine,quo de Sacrario processerunt; & cantant Antiphonas,& Psalmos cum suis orationibus, vt suprà.

De Agnis cereis à Neophytis accipiendis.

SAbbato autem in Albis, quo à Beatissimo Domino nostro Papa, primo & septimo quoque sui Pontificatus anno, Agni cerei (quos dicimus Agnusdei)consecrati distribuuntur in Cappella in Missa post Cōmunionem, qui sunt in Vrbe Neophyti mares, si videbitur opportunum, deducantur in eandem Cappellam à suis Patrinis vel Præfectis, vt & ipsi Agnos cereos huiusmodi accipere possint.

Moneantur autem à Sacerdote, qui eis præest, vt eosdem Agnos de collo pendentes vel alio modo gestent; tum in memoriam immaculati agni Christi, cuius pretioso sanguine redempti sunt; tum quòd ipsi mundati & sanctificati, velut agni nouelli per eos repræsentantur; tum etiam ad varios casus & pericula vitanda: quodq. eos etiam domi retinere, aut eis vti poterunt,sicut & cæteri fideles, ad aquarum inundationes coercendas, incendia restinguenda, & alijs imminentibus malis occurrendum.

Ordo ad deponendas Albas.

NEophyti, qui Sabbato sancto in vigilia Paschæ albas vestes in Baptismo susceperunt, per sequentes septem dies,qui baptismales vocantur, & eodem Sabbato comprehenso, dicuntur octo dies Neophytorum,illas deferunt: & octauo die,hoc est Sabbato sequenti in Ecclesia deponunt.

Sabbato itaque in Albis hora Vesperarum Neophyti veniant in Ecclesiam, in qua baptizati sunt, & humiliter atque deuotè Vesperis, quæ cantantur,intersint. & illis finitis processionem,quæ fit ad fontes,cum accensis cereis subsequantur; postrema autem oratione completa ad altare Crucis vel aliud oratorium, vt suprà de eadem processione ad

fontes, antequàm Sacerdos cum ministris in Sacrarium reuertatur. Neophyti cereos ardentes, quos illis diebus in Missarum solennijs, & tunc in processione gestauerunt, ei offerunt. Ipse autem eos commoneat de Baptismo custodiendo, speciatim verò vt meminerint, se per Baptismum consepultos esse cum Christo, & veterem hominem exuisse, & resurgentes nouum qui secundum Deum creatus est induisse, & quòd quamuis deponant Albas exteriùs, innocentiam tamen, & vitæ puritatem per eas significatas, interiùs retinere & conseruare debeant, recepturi stolam gloriæ post hanc vitam, & vestem immortalitatis in futura omnium resurrectione cum Sanctis: aut habeatur super his sermo conueniens, sumpto etiam argumento à lectione Epistolæ beati Petri Apostoli, **Deponentes omnem malitiam.** quæ eodem Sabbato in Albis legitur in Missa; vel Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Colossenses, **Si consurrexistis cum Christo.** quæ legitur in Missa Sabbato sancto Paschæ; vel etiam iuxta sermonem beati Augustini, **Paschalis solennitas hodierna festiuitate concluditur, &c.** qui in Dominica in Albis depositis, seu octauis Paschæ legitur in officio; vel iuxta alium sermonem eiusdem super dictis verbis Beati Petri, **Deposita ergo omni malitia & omni dolo.** incipientem, **Omnium quidem aures & mentes** &c. qui est xx. in libro L. homiliarum: vel etiam alium **Ne moras faciamus** &c. de monitis baptizatorum, qui est xij. in libro de diuersis. & iuxta alios similes sermones sanctorum Patrum quos ad Neophytos habuerunt.

Interim verò paratur, & affertur vas patens cum aqua benedicenda ad abluendas albas, & cum aspersorio.

Afferuntur etiam aliæ vestes, quas Neophyti depositis Albis sunt induendi.

Tum Diacono, vel Clerico cæremoniarum innuente Neophyti procedunt, & reuerenter detecto capite stant sub gradibus altaris ante Sacerdotem.

Infantes verò, qui per ætatem nondum vestibus induuntur, sed candida linteola, siue Albæ, aut Chrismalia eorum capitibus imposita sunt, si à parentibus, nutricibus, aut patrinis ad Ecclesiam deferantur, in eorum brachijs tenentur; & Sacerdos primùm benedicit aquam dicens.

Benedictio aquæ ad abluendas Albas.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte pater, omnipotens æterne Deus, creator generis humani; nos qui per te redempti, & per gratiam pietatis tuæ in fonte aquæ Baptismi renati sumus, dignare quæsumus, huic creaturæ tuæ per signum crucis ✠ salubritatem infundere: vt sicut per fontem Baptismi abluti sumus; ita super hanc aquam, quam post fontem sacrum ad abluendas Albas offerimus, veniat Spiritus sanctus tuus, qui in fonte Baptismi, & in confessione nominis tui peccata extinxit. Per

Dominum

Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Deinde ſuper Neophytis orat, dicens.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. ℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat. Pſal.

LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

VIſita Domine populum tuum in ſalutari tuo, & paſchalibus gaudijs illuſtratum clementer intende: conſerua etiam in Neophytis, quod operatus es ad ſalutem, vt alba mundorum corporum indumenta, viſibili tantùm habitu mutata deponant, & inuiſibilem Chriſti candorem de ſuis mentibus non amittant; ſed per gratiam tuam apprehendant bonorum operum meritis, quod paſchalibus ſuſcipere myſterijs præcepiſti. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrũ. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos exuit adultos Neophytos exterioribus veſtibus albis, & tollit Albas ſeu Chriſmalia de capitibus paruulorum; ad ſingulos ita dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Et accepto aſperſorio, de aqua tunc benedicta aſpergat depoſitas Albas in ſignum ablutionis.

Aqua verò prædicta datur ad huiuſmodi Albas depoſitas abluendas.

Albæ autem paruulorum, & Chriſmalia aut comburantur in Sacrario, aut abluta reſeruentur in ſimilem vel alium ſacri miniſterij vſum.

Quòd ſi vel omnes mares, vel omnes fœminæ ſint, dictæ preces dicantur in genere ſuo.

Si verò vnus tantùm fuerit Neophytus, ſiue mas ſiue fœmina, dicantur in numero ſingulari, & genere ſuo; ſic & oratio, videlicet.

VIſita Domine populum tuum in ſalutari tuo, & paſchalibus gaudijs illuſtratum clementer intende: conſerua etiam in Neophyto, quod operatus es ad ſalutem, vt album mundi corporis indumentum, viſibili tantùm habitu mutatum deponat, & inuiſibilem Chriſti candorem de ſua mente non amittat; ſed per gratiam tuam apprehendat bonorum operum meritis, quod paſchalibus ſuſcipere myſterijs præcepiſti. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

De Ordine Baptiſmi ſolennis in Sabbato Pentecoſtes, & de Scrutinijs ipſum præcedentibus.

SVpraſcriptus Ordo Baptiſmi ſolennis in Sabbato ſancto Paſchæ traditus, omnimodis ſeruandus eſt Sabbato in vigilia Pentecoſtes, cùm Baptiſmus ſolenniter celebratur, tam quoad proceſſionem ad fontes, & eorum benedictionem, & litanias, quàm quoad Baptiſmum ipſum, Confirmationem, & alia quæ ſequuntur: excepta tamen oratione; Omnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius, &c. quæ dicitur antequàm fontium benedictio incipiatur, cuius loco dicenda eſt infraſcripta, vt in Miſſali.

Oratio.

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt qui ſolennitatem doni Spiritus ſancti colimus, cœleſtibus deſiderijs accenſi, fontem vitæ ſitiamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Eodem Sabbato Pentecoſtes, in fontium benedictione adhibendus eſt idem Cereus paſchalis, qui benedictus eſt in Sabbato ſancto Paſchæ.

Scrutinia verò Catechumenorum tempore paſchali inſtar Scrutiniorum Quadrageſimæ ita inſtituantur.

Feria ſecunda poſt tertiam Dominicam Paſchæ, vel etiam Dominica ipſa fiat denuntiatio primi Scrutinij in feriam quartam ſequentem.

Feria autem quarta poſt eandem tertiam Dominicam primum Scrutinium celebretur, & denuntietur ſecundum pro Sabbato ſequenti, aut alio die eiuſdem hebdomadæ.

Sabbato vel alio die eiuſdem hebdomadæ tertiæ, ſecundum peragatur; & denũtietur tertium in quartam feriã ſequentis hebdomadæ quartæ.

Feria autem quarta poſt quartam Dominicam Paſchæ erit tertium, & maximum; & denuntiabitur quartum in feriam quartam, vel aliam ſequentis hebdomadæ quintæ.

Feria verò quarta hebdomadæ quintæ poſt Paſcha, quæ eſt tertia & vltima dies Rogationum, & vigilia Aſcenſionis Domini, vel alio conſtituto die eiuſdem hebdomadæ, erit quartum Scrutinium; & denuntiabitur quintum pro Sabbato ſequenti, vel alio die ipſiuſmet hebdomadæ quintæ.

Sabbato itaque, vel alio deſignato die eiuſdem hebdomadæ quintæ, erit quintum; & denuntiabitur ſextum pro feria quarta, vel alio die ſequentis hebdomadæ vltimæ ante Pentecoſten.

Feria verò quarta poſt Dominicam infra octauam Aſcenſionis Domini, vel alio deſtinato die, erit ſextum Scrutinium; & denuntiabitur, vt veniant ad ſeptimum in Sabbato Pentecoſtes.

Sabbato autem in vigilia Pentecoſtes ſeptimum Scrutinium, & Baptiſ-

mus pariter celebrentur eodem ordine; quo in Sabbato ſancto Paſchæ factum eſt.

Verùm in propria Miſſa Scrutiniorum eo tempore celebranda, in fine Introitus adduntur duo **Alleluia**, & in fine Offertorij & Communionis vnum **Alleluia**. Graduale autem omittitur, ſed dicitur eius vltimus ℣. & ante illum ſemel **Alleluia**. Omittitur etiam oratio ſuper populum, ac in Miſſa tertij Scrutinii ante primam orationem non dicitur **Flectamus genua**.

Ad hæc Diaconus, & Subdiaconus in huius temporis Scrutinijs miniſtrantes, nō Planetis plicatis, ſed Dalmatica & Tunica violaceis vtētur.

Neophyti præterea, qui Sabbato in vigilia Pentecoſtes albas veſtes in Baptiſmo acceperunt, per ſequentes ſeptem dies ſimiliter illas geſtant, & octauo die, hoc eſt Sabbato ſequenti, poſt Veſperas eius diei in Eccleſia deponunt, vt fit Sabbato in Albis à baptizatis in Sabbato ſancto Paſchæ; & ſeruatur in omnibus Ordo ad deponendas albas, qui ſuprà traditur; niſi quòd in oratione. **Viſita Domine populum tuum, &c.** vbi dicitur: **& paſchalibus gaudijs illuſtratum.** dicendum eſt: **& Spiritus ſancti gaudijs illuſtratum.** & infrà vbi dicitur: **paſchalibus ſuſcipere myſterijs præcepiſti.** dicendum eſt: **ſacris Pentecoſtes myſterijs ſuſcipere præcepiſti.**

De anniuerſario Baptiſmi die celebrando.

PArochus, vel is qui Neophytis præeſt, eos hortetur, vt quotannis anniuerſarium ſuæ regenerationis diem, quo Chriſto Domino renati ſunt ad æternam vitam, deuotè celebrantes, ad Eccleſiam conueniant, gratias acturi Deo de Baptiſmo, quem eo die ſuſceperunt, peccata ſua Sacerdoti confiteantur; ac oblationes & pia vota perſoluant, ſacris Miſſarum myſterijs interſint, ſanctiſſimamq. percipiant Euchariſtiam, & aliqua à Sacerdote ad Chriſtianæ vitæ informationem audientes, cum benedictione ad propria dimittantur.

Qui verò in Paſcha baptizati ſunt, ſequenti anno, primo die poſt octauas Paſchæ, anniuerſarium ſui Baptiſmi diem, quem veteres annotinum Paſcha dicebant, religioſè celebrent; & Miſſarum ſolennia ex præſcripto vt infrà, faciant celebrari.

M I S S A

In Paſcha annotino pro baptizatis.

Introitus.

REſurrexi, & adhuc tecū ſum, Alleluia: poſuiſti ſuper me manum tuam, Alleluia: mirabilis facta eſt ſcientia tua, Alleluia, alleluia. Pſal. Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. ℣. Gloria Patri. Reſurrexi. Kyrie eleiſon. Gloria in excelſis Deo.

Oratio.

DEus, qui renatis fonte Baptiſmatis delictorum indulgentiam tribuiſti: præſta miſericors; vt recolentibus huius natiuitatis inſignia, plenam adoptionem largiaris. Per Dominum.

Lectio libri Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli.

POſt hæc vidi, & ecce oſtium apertum in cœlo; & vox prima, quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri citò. Poſt hæc ſtatim fui in ſpiritu; & ecce ſedes poſita erat in cœlo,& ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis,& ſardinis; & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Et in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor, & ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura,& voces,& tonitrua; & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo; & in medio ſedis,& in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis antè & retrò; & animal primũ ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti. Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas, & in circuitu & intus plena ſunt oculis,& requiem non habebant die ac nocte,dicentia; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat,& qui eſt, & qui venturus eſt. Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſecula ſeculorum, procidebant vigintiquatuor ſeniores ante ſedẽtem in throno, & adorabant viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

Alleluia, alleluia. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Alleluia. ℣. Dicant nunc qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos, Alleluia.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore. Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei. Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus, & dixit ei. Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnũ Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire,& renaſci? Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.

Non

Non mireris quia dixi tibi oportet vos naſci denuo: ſpiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat; ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis: Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis; vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Dicitur Credo in vnum Deum, &c.

Offertorium.

Erit vobis hæc dies memorialis, Alleluia: & diem feſtum celebrabitis ſolennem Domino, Alleluia, alleluia.

Secreta.

Clementiam tuam Domine ſupplices exoramus; vt paſchalis muneris Sacramentum, quod fide recolimus, & ſpe deſideramus intenta, perpetua dilectione capiamus. Per Dominum noſtrum.

Communio.

Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, Alleluia: quæ ſurſum ſunt ſapite, Alleluia.

Poſtcommun.

Tua nos, quæſumus Domine, quæ ſumpſimus, ſancta purificent; & operationis ſuæ remedio perficiant eſſe purgatos. Per Dominum.

Qui autem in Pentecoſte Baptiſmum ſuſceperunt, anno ſequenti ſimiliter prima die poſt octauas Pentecoſtes, & feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis anniuerſarium Baptiſmi ſui diem recolentes celebrent, & dicatur Miſſa, quæ ſequitur.

MISSA

In anniuerſario pro baptizatis in Pentecoſte.

Introitus.

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Pſal. Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius; & fugiant qui oderunt eum à facie eius. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, in cuius prouidentia nec præteritorum momenta deficiunt, nec vlla eſt expectatio futurorum: tribue permanentem peractæ, quam recolimus, ſolennitatis effectum; vt quod recordatione percurrimus, ſemper in opere teneamus. Per Dominum.

Lectio.

Poſt hæc vidi, & ecce oſtium apertum, &c. vt ſuprà.

Grad. Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eorum: populus quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi. ℣. Verbo Domini cœli firmati ſunt,& ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, Alleluia,alleluia. ℣. Veni ſancte Spiritus: reple tuorum corda fidelium;& tui amoris in eis ignem accende: Alleluia.

Euangelium.

Erat homo ex Phariſæis, &c. vt ſuprà.

Credo in vnum Deum.

Offertorium.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis; à templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem, tibi offerent reges munera.

Secreta.

POpulus tuus, quæſumus Domine,renouata ſemper exultet animi iuuentute: & qui anteà peccatorum veterno in morbi venerat ſenium, nunc lætetur in priſtinam ſe gloriam reſtitutum. Per Dominum.

Communio.

Erit vobis hæc dies memorialis, & diem feſtum celebrabitis ſolennem Domino, Alleluia.

Poſtcommun.

COeleſti lumine, quæſumus Domine ſemper & vbique nos præueni; vt myſterium, cuius nos participes eſſe voluiſti, & puro cernamus intuitu,& digno percipiamus affectu. Per Dominum.

Sed ſi qui extra prædicta duo tempora,vel Dominico, vel alio feſto die baptizati ſunt, anniuerſarium huiuſmodi officium, recurrente anno, eodem die peragant; & Miſſa de Dominica, vel feſto celebretur cum ſequentibus orationibus pro commemoratione.

Quòd ſi annua dies extra Dominicam, vel feſtum aduenjat, celebretur Miſſa votiua de ſancta Trinitate, vel de Spiritu ſancto, vt in Miſſali, cum eadem commemoratione, vt infrà.

In anniuerſario pro baptizatis extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes.

Oratio.

GAudeat Domine plebs fidelis, & cùm propriæ recolit ſaluationis exordia; eius promoueatur augmentis. Per Dominum.

Secreta.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui humanam naturam ſupra primæ originis reparas dignitatem:reſpice pietatis tuæ ineffabile Sacramentum; & quos regenerationis myſterio innouare dignatus es, in his dona tuæ gratiæ perpetua protectione conſerua. Per Dominum.

Poſtcommun.

DEus qui credentes in te fonte Baptiſmatis innouaſti, hanc renatis in Chriſto concede cuſtodiam; vt ſacris muniti myſterijs, nullo

erroris

erroris incurſu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per eundem.

Pro ijs verò, qui ſequentibus annis natalem Baptiſmi ſui diem celebrabunt, ſimiliter dici poterit in Miſſa diei pro commemoratione præcedens oratio, Gaudeat Domine plebs fidelis. cum ſua Secreta, & Poſtcommun.

Ordo Baptiſmi adultorum, extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes.

IN Catechiſmo & Baptiſmo adultorum, ſiue marium ſiue fœminarum, extra Sabbatum ſanctum Paſchæ & Pentecoſtes, ſequens ordo ſeruetur.

IN primis Sacerdos obſeruatis & paratis his, quæ ſuprà De obſeruandis in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi, & in Ordine Baptiſmi paruulorum obſeruanda & paranda dicuntur, indutus ſuperpelliceo & ſtola, vel etiam pluuiali violacei coloris, cum ſuis clericis accedit ad gradus altaris, & procumbens pias mente ad Deum preces effundit, vt tantum Sacramentum dignè valeat miniſtrare; & ad implorandum diuinum auxilium, ſurgens, ſe ſignat, & dicit.

DEus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri. Sicut erat.

Poſtea incipiat proſequentibus clericis Antiphonam.

Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, dicit Dominus. Pſal. VIII.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum. dicitur totus cum Gloria Patri. Sicut erat. Pſal. XXVIII.

Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. totus. Gloria Patri. Sicut erat. Pſal. XLI.

Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum. etiam totus. Gloria Patri. Sicut erat. Et repetitur Antiphona.

Effundam ſuper vos aquam mundam, &c. Qua repetita dicitur,

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem: quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis.

Oratio.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus; & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu.

Oratio.

DA, quæſumus Domine, Electo noſtro; vt ſanctis edoctus myſterijs, & renouetur fonte Baptiſmatis, & inter Eccleſiæ tuæ membra numeretur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si plures fuerint baptizandi, hæc tertia oratio dicatur in numero plurali.

Deinde Sacerdos procedit ad fores Eccleſiæ, & ſtat in limine, Catechizandus verò extra limen. Et ſi ſunt plures, mares & fœminæ, illi ad dextrã Sacerdotis, hæ verò ad ſiniſtram ſtatuantur, & Sacerdos interrogat.

QVo nomine vocaris? Catechumenus reſpondet. N.

Sacerdos. N. Quid petis ab Eccleſia Dei? ℟. Fidem.

Sacerdos. Fides quid tibi præſtat? ℟. Vitam æternam.

Sacerdos. Si vis habere vitam æternam, ſerua mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ. Fides autem eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate venereris, neque confundendo perſonas, neque ſubſtantiam ſeparando. Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti; ſed horum trium vna eſt ſubſtantia, & non niſi vna diuinitas.

Exeat ergo de te ſpiritus malignus, & ingrediatur Spiritus bonus, per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculũ per ignem. ℟. Amen.

Poſtea Sacerdos interrogat, dicens.

N. Quid vis fieri? ℟. Chriſtianus.

Et rurſus interrogat. N. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.

Interrog. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.

Interrog. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo fidei, dicens.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Tunc Sacerdos exufflat ter in faciem eius, toties dicens.

Exi ab eo ſpiritus immunde, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Hic in modum crucis halet in faciem ipſius, & dicat ei.

N. Accipe Spiritum bonum per iſtam inſufflationem, & Dei benedictionem ✠. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde

Deinde facit crucem cum pollice in fronte eius, dicendo.

N. Signum Saluatoris Domini nostri Iesu Christi in fronte tua ✠ pono.

Et in pectore similiter facit crucem, dicendo.

N. Signum Saluatoris Domini nostri Iesu Christi in pectore tuo ✠ pono.

Item in fronte, & in pectore, dicens.

N. Accipe signum crucis tam in fronte ✠, quàm in corde ✠, summam scilicet fidei cœlestium præceptorum. Talis esto moribus, vt templum Dei iam esse possis: ingressusq. Ecclesiam Dei, euasisse te laqueos mortis, lætus agnosce; horresce idola; respue simulacra; cole Deum patrem omnipotentem, & Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Hic aduertendum est, quòd dicta verba, horresce idola, respue simulacra, dicuntur Catechumeno, qui venit de gentilitatis errore, seu de Ethnicis, & Idololatris. Catechumeno verò Iudæo, siue ex Hebræis venienti, loco horum verborum, dicatur: horresce Iudaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem. Saraceno autem, vel Turcæ, aut Persæ, siue alij ex Mahumetanis ad fidem venienti Catechumeno, loco eorundem verborum, dicatur: horresce Mahumeticam perfidiam, respue prauam sectam infidelitatis.

At hæretico ad Catholicam Ecclesiam venienti, qui quoniam in eius Baptismo debita forma seruata non est, baptizari debet, dicatur: horresce hæreticam prauitatem, respue nefarias sectas impiorum. vel exprimatur proprio nomine hæresis siue secta de qua Catechumenus venit.

Si plures sunt Electi, omnia supradicta dicuntur singillatim super singulis. Oremus. Oratio.

TE deprecor Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, vt huic famulo tuo N. qui in huius seculi nocte vagatur incertus ac dubius, viam veritatis & agnitionis tuæ iubeas demonstrari, quatenus reseratis oculis cordis sui, te vnum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Spiritu sancto recognoscat; atque huius confessionis fructum, & hîc, & in futuro seculo percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ante sequentem, ac alios Exorcismos non dicitur, Oremus. sed absolutè incipitur.

Exorcismus.

EXorcizo te omnis spiritus immunde in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in nomine Iesu Christi filij eius, Domini & iudicis nostri ✠, & in virtute Spiritus sancti ✠; vt discedas ab hoc plasmate Dei N. quem Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, vt fiat templum Dei viui, & Spiritus sanctus habitet in eo. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

Oremus. Oratio.

DEus, qui perdita reparas, & reparata conſeruas; Deus, qui infidelitatis crimine ſublato, & ſerpentis charactere deleto, ſignari hominem nominis tui titulo præcepiſti: ſuſcipe quæſumus hunc famulum tuum, atque eum inter plebis tuæ numerum commiſce. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DOmine Deus, cœli & terræ, maris & omnium elementorum creator, qui aſpectu tuo illuminas vniuerſam terram, illumina vultum tuum ſuper hunc famulum tuum N. Catechumenum, quem hodierna die ad templum ſanctum tuum vocare dignatus es; infunde in eum ſcientiam pietatis tuæ; accipe hunc Domine, & aperi ei ianuam iuſtitiæ tuæ; da illi miſericordiam tuam, pietatiſq. munus largire; & per lauacrum regenerationis perduc eum ad gratiam ſpiritualem, vt nobiſcum pariter tibi Deo Patri omnipotenti laudes & gratias referat: Induc eum Domine in viam veritatis, & doce eum iuſtificationes tuas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde ſignet illum ſigno crucis cum pollice in fronte, dicens.

N. Signo tibi frontem ✠, vt ſuſcipias crucem Domini.

In auribus. Signo tibi aures ✠, vt audias diuina præcepta.

In oculis. Signo tibi oculos ✠, vt videas claritatem Dei.

In naribus. Signo tibi nares ✠, vt odorem ſuauitatis Chriſti ſentias.

In ore. Signo tibi os ✠, vt loquaris verba vitæ.

In pectore. Signo tibi pectus ✠, vt credas in Deum.

In ſcapulis. Signo tibi ſcapulas ✠, vt ſuſcipias iugum ſeruitutis eius.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit ſignum crucis, & dicit Signo te totum in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ſancti ✠, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Si ſunt plures Electi, præcedentes orationes, & Exorciſmus dicantur in numero plurali, & genere ſuo. Signationes autem fiant, & illarum verba dicantur ſingulariter ſingulis.

Oremus. Oratio.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc Electum tuum N. crucis Dominicæ, cuius impreſſione eum ſignamus, virtute cuſtodi; vt magnitudinis gloriæ rudimenta ſeruans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus, qui humani generis ita es conditor, vt ſis etiam reformator, propitiare populis adoptiuis, & nouo teſtamento ſobolem nouæ prolis aſcribe; vt filij promiſſionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc imponit manum super caput Electi, & dicit.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem cæcitatem cordis ab eo expelle; disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem; vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sunt, hæc, & præcedens oratio, Preces nostras. dicantur in numero plurali.

Deinde Sacerdos benedicit sal.

Benedictio salis ad dandum Catechumeno.

Exorcizo te creatura salis, &c. vt in Ordine Baptismi paruulorum, & in primo Scrutinio. vel dicat sequentem benedictionem.

Alia benedictio salis.

BEnedic omnipotens Deus hanc creaturam salis tua benedictione cœlesti ✠, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in virtute Spiritus sancti tui, ad effugandum inimicum; quam tu Domine sanctificando sanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠; fiatq. omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Tunc pollice & indice accipit de ipso sale, & immittit in os Catechumeni, dicens.

N. Accipe sal sapientiæ, propitiatio tibi sit in vitam æternam. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Oratio.

DEus patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis, te supplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, & hoc primum pabulum salis gustantem, non diutiùs esurire permittas, quo minus cibo expleatur cœlesti: quatenus sit semper spiritu feruens, spe gaudens, tuo semper nomini seruiens. Perduc eum Domine, quæsumus, ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sunt, dicatur singulis, N. Accipe sal, &c. & præcedens oratio, Deus patrum nostrorum, in numero plurali.

Quòd si Catechumenus fuerit gentilis, seu ex Idololatris venerit ad fidem, benedicto sale, priusquàm eius medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem orationem, dicens. Oremus. Oratio.

DOmine sancte pater, omnipotens æterne Deus, qui es, & qui eras, & permanes vsque in finem, cuius origo nescitur, nec finis comprehendi

hendi potest: te supplices inuocamus super hunc famulum tuum N. quem liberasti de errore gentilium, & conuersatione turpissima; dignare exaudire eum, qui tibi ceruices suas humiliat; perueniat ad lauacri fontem, vt renatus ex aqua & Spiritu sancto, expoliatus veterem hominem, induatur nouum, qui secundum te creatus est; accipiat vestem incorruptam & immaculatam, tibiq. Deo nostro seruire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures sint, præcedens oratio dicatur in numero plurali.

Deinde Sacerdos dicat super masculum tantùm.

Ora Electe, flecte genua, & dic, Pater noster.

Et Electus genuflexus orat, & dicit Pater noster.

Et cùm orauerit, & dixerit, Pater noster, vsque ad Sed libera nos à malo, inclusiuè, Sacerdos subiungit.

Leua; comple orationem tuam, & dic, Amen.

Et ille respondet, Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino.

Signa eum, deinde Electo. Accede ad benedictionem.

Et Patrinus pollice signat eum in fronte, dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Tum quoque Sacerdos facit crucem in fronte eius, ita dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Et imponit manum super eum, & dicit.

Oremus. Oratio.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Aegypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte: te quæsumus Domine, vt mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui similiter custodiat & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus.

ERgo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero; da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto: & recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis vocare dignatus est: & hoc signum sanctæ crucis ✠, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Sed si plures fuerint Catechumeni, hîc & in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali.

Orate Electi, flectite genua, & dicite, Pater noster.

Leuate;

Leuate; complete orationem veſtram, & dicite, Amen.
Et reſpondent, Amen.
Et Sacerdos dicat patrinis.
Signate eos. & Electis. Accedite ad benedictionem.
Et Patrini vel Matrinæ pollice ſignent eos in fronte, dicentes.
In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.
Ac tum Sacerdos faciat crucem in frontibus ſingulorum, dicens.
In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.
Et imponit manum ſuper capita ſingulorum, & in eodem numero plurali dicit orationem. Deus Abraham, Deus Iſaac, &c. & Exorciſmum. Ergo maledicte Diabole, &c. vt ſuprà.

Item ſecundò dicat, vt ſuprà.
Ora Electe, flecte genua, & dic, Pater noſter.
Et cùm genuflexus orauerit, & dixerit, Pater noſter, Sacerdos dicit.
Leua; comple orationem tuam, & dic, Amen.
Et reſpondet Electus, Amen.
Rurſus Sacerdos.
Signa illum. Accede ad benedictionem.
Et Patrinus pollice ſignat eum in fronte, dicens.
In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.
Deinde Sacerdos, vt ſuprà, facit crucem in fronte eius, dicendo.
In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.
Et imponit manum ſuper eum, ac dicit.

Oremus. Oratio.

Deus immortale præſidium omnium poſtulantium, liberatio ſupplicum, pax rogantium, vita credentium, reſurrectio mortuorum; te inuoco ſuper hunc famulum tuum N. qui Baptiſmi tui donum petens, æternam conſequi gratiam ſpiritali regeneratione deſiderat: accipe eum Domine, & quia dignatus es dicere, petite & accipietis; quærite & inuenietis; pulſate & aperietur vobis: petenti præmium porrige; & ianuam pande pulſanti; vt æternam cœleſtis lauacri benedictionem conſecutus, promiſſa tui muneris regna percipiat. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus, in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Exorciſmus.

Audi maledicte Satana, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti filij eius, cum tua victus inuidia tremens gemensq. diſcede: nihil tibi ſit commune cum ſeruo Dei N. iam cœleſtia cogitante, renuntiaturo tibi ac ſeculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem aduenienti Spiritui ſancto, qui ex ſumma cœli arce deſcendens, proturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus, ſanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat; vt ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberatus ſeruus Dei, gratias perenni Deo referat ſemper, & benedicat

nomen

nomen ſanctum eius in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Item tertiò dicat, vt ſuprà.

Ora Electe, flecte genua, & dic, Pater noſter.

Ac vbi genuflexus orauerit, & dixerit, Pater noſter, Sacerdos dicit.

Leua; comple orationem tuam, & dic, Amen.

Et ille reſpondet, Amen.

Et Sacerdos.

Signa eum. Accede ad benedictionem.

Et Patrinus ſignat illum in fronte, dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Tunc Sacerdos, ſicut priùs, facit crucem in fronte eius, & dicit.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Et imponit manum ſuper eum, dicens.

Exorciſmus.

EXorcizo te immunde ſpiritus in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ſancti ✠, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. ipſe enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus ſuper mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Exorciſmus.

Ergo maledicte diabole, &c. & repetit totum, vt ſuprà habetur.

Super fœminam verò tantùm, Sacerdos dicit.

Ora Electa, flecte genua, & dic, Pater noſter.

Et Electa genuflexa orat, & dicit, Pater noſter.

Et poſtquàm orauerit, & dixerit, Pater noſter, vſque ad Sed libera nos à malo, incluſiuè, Sacerdos ſubijcit.

Leua; comple orationem tuam, & dic, Amen.

Et Electa reſpondet, Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino, vel Matrinæ.

Signa eam, deinde Electæ, Accede ad benedictionem.

Et Patrinus, vel Matrina pollice ſignat eam in fronte, dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Deinde etiam ipſe Sacerdos facit crucem in eius fronte, dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Et imponit manum ſuper eam, ac dicit.

Oremus. Oratio.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, Deus omnium benè viuentium, Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: te inuoco Domine ſuper hanc famulam tuam N. vt eam cuſtodire, & perducere digneris ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorcismus.

ERgo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto; & recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Si plures fuerint fœminæ Catechumenæ, hìc & in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali.

Orate Electæ, flectite genua, & dicite, Pater noster.
Leuate; complete orationem vestram, & dicite, Amen.
Et ipsæ respondent, Amen.
Et Sacerdos dicit Patrinis, vel Matrinis.

Signate eas. & Electis: Accedite ad benedictionem.
Et Patrini vel Matrinæ pollice signent eas in frontibus, dicentes.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Tunc & Sacerdos facit crucem in frontibus ipsarum, similiter dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Et imponit manum super capita singularum, ac postea in eodem numero plurali dicit Orationem, Deus cœli, Deus terræ, &c. & Exorcismum, Ergo maledicte Diabole, &c. vt suprà.

Item secundò dicit.

Ora Electa, flecte genua, & dic, Pater noster.
Et vbi genuflexa orauerit, ac dixerit, Pater noster. Sacerdos dicit.

Leua; comple orationem tuam, & dic, Amen.
Et illa respondet, Amen.
Et Sacerdos.

Signa eam. Accede ad benedictionem.
Et Matrina pollice signat eam in fronte, dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Deinde Sacerdos sicut anteà, facit crucem in fronte eius, dicendo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Et imponit manum super eam, ac dicit.

Oremus. Oratio.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui tribus Israel de Aegyptiaca seruitute liberatas per Moysen famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: te supplex deprecor Domine, vt liberes hanc famulam tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ergo maledicte Diabole, &c. & dicit totum, vt suprà.

Item tertiò dicit.

Ora Electa, flecte genua, & dic, Pater noster.

Et vbi genuflexa orauerit, & dixerit, Pater noster. Sacerdos dicit

Leua; comple orationem tuam, & dic, Amen.

Et ipsa respondet, Amen.

Et Sacerdos.

Signa eum. Accede ad benedictionem.

Et Matrina signat illam in fronte dicens, vt suprà.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Et Sacerdos similiter vt priùs, facit crucem in fronte eius, dicens.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Ac imponit manum super caput eius, & dicit.

Exorcismus.

EXorcizo te immunde spiritus per Patrem ✠, & Filium ✠, & Spiritum sanctum ✠, vt exeas & recedas ab hac famula Dei N. ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitauit.

Ergo maledicte Diabole, &c. totum vt suprà.

Super vtrumque, siue masculum, siue fœminam.

Tunc imponit manum super caput eius, & dicit.

Oremus. Oratio.

AEternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, auctor luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum & sanctifica, da ei scientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui; teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam; vt aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures fuerint Electi, siue mares, siue fœminæ, præcedentes Orationes & Exorcismi dicantur in numero plurali, vt superiùs dictum est.

Postea Sacerdos legat sequens Euangelium, dicens.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

Et interim tam Sacerdos dextro pollice locum Euangelij, & seipsum, quàm etiam Electus, se signant in fronte, ore, & pectore.

In illo tempore: Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, &c. vt suprà in Missa primi Scrutinij.

Vel legat sequens Euangelium.

IN illo tempore: Vndecim Discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus, locutus est eis, dicens:

Data

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

His peractis Sacerdos ſiniſtra manu apprehendens dexteram Electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem ſtolæ, introducit eum in Eccleſiam, dicens.

N. Ingredere in ſanctam Eccleſiam Dei, vt accipias benedictionem cœleſtem à Domino Ieſu Chriſto, & habeas partem cum illo & Sanctis eius. ℟. Amen.

Si plures fuerint, dicat in numero plurali. Ingredimini in ſanctam Eccleſiam Dei, &c. & introducat eos, vt ſuprà.

Et ingreſſus Electus procũbit, ſeu proſternit ſe in pauimento, & adorat. Deinde ſurgit, & Sacerdos imponit manũ ſuper caput eius, & Electus cum eo recitat Symbolum Apoſtolorum, & orationem Dominicam. Ita etiam ſi plures fuerint, omnes ſurgunt, & ſimul recitant.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum. Sanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem. Remiſſionem peccatorum. Carnis reſurrectionem. Vitam æternam. Amen.

PAter noſter, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Tunc rurſus Sacerdos imponat manum ſuper caput Electi, & dicat.

Exorciſmus.

NEc te latet Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem ſupplicij ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuerſis angelis tuis præparatus ſempiternus erit interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius, da honorem Spiritui ſancto paraclito; in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es ſpiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptiſmatis, dono vocare dignatus eſt; vt fiat eius templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum. In nomine eiuſ-

dem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Similiter ſi plures fuerint, imponit manum ſuper capita ſingulorum, & dicit eundem Exorciſmum in numero multitudinis, & genere ſuo.

Deinde Sacerdos pollice accipit de ſputo oris ſui, & tangit nares, & aures Electi, dicens primò ad aurem dextram.

Ephpheta, quod eſt adaperire, tum ad nares, in odorem ſuauitatis; ac demum ad aurẽ ſiniſtram. tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Poſtea interroget Electum.

Quis vocaris? Et ipſe reſpondet N.

Interroget, N. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.

Interrog. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.

Interrog. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Tunc Sacerdos intingit pollicem dextræ manus in Oleo ſancto Catechumenorum, & inungit Electum, primùm in pectore, deinde inter ſcapulas in modum crucis, dicens.

Et ego te linio Oleo ſalutis ✠✠ in Chriſto Ieſu Domino noſtro, in vitam æternam. ℟. Amen: Pax tibi. ℟ Et cum ſpiritu tuo.

Et ſubiungit dicens:

Exi immunde ſpiritus, & da honorem Deo viuo & vero.

Fuge immunde ſpiritus, & da locum Ieſu Chriſto filio eius.

Recede immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Mox autem bambacio, vel ſtupa tergit pollicem, & loca inuncta.

Quando plures ſunt Electi idem fit circa ſingulos eorum.

Deinde Sacerdos tenens manum ſuper caput Electi, dicit hanc orationem.

Oremus. Oratio.

FAmulum tuum N. quæſumus Domine, ad tui Baptiſmi gratiam recurrentem reſpicere, & conſeruare digneris; vt in tui nominis ſigno, quicquid in eo per originalis peccati tranſgreſſionem pœnæ obnoxium Diabolus detinebat, ſacri fontis indulgentia reſoluatur, veteris hominis exuuias deponat, & nouæ vitæ indutus amictu reſurgat: omnia venena nequiſſimi ſpiritus ab eo expelle, & ſalutaris Baptiſmi gratiam adimple; vt tui muneris perceptione in æterna vita valeat exultare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si verò Electus ægrotus fuerit, Sacerdos loco ſuperioris orationis dicat ſequentem.

Oremus. Oratio.

MEdelam tuam deprecor Domine ſancte pater, omnipotens æterne Deus, qui ſubuenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas; te ergo Domine ſupplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. eruas ab hac valetudine, vt non præualeat inimicus vſque ad animam, ſed ſicut in Iob tentationibus, terminum ei pone, ne idem inimicus de anima iſta ſine redemptione Baptiſmatis incipiat triumphare: differ

Domine

Domine exitum mortis, & ſpatium vitæ extende, releua quem perducas ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.

Si plures fuerint ſani vel infirmi, imponat manum ſuper capita ſingulorum, & deinde dicat præcedentes orationes in numero plurali.

Et ducitur Electus ad Baptiſterium, vbi ſi ob aliquam cauſam non habeatur ſiue præparata non fuerit aqua baptiſmalis, fiat benedictio fontis, vt infrà ponitur.

Et cùm fuerit prope fontem, Sacerdos interrogat.

Quis vocaris? ℟. N.

Interrog. N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum? ℟. Credo.

Interrog. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℟. Credo.

Iterum interrogat dicens. N. Quid petis? ℟. Baptiſmum.

Interrog. Vis baptizari? ℟. Volo.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel vtroque (ſi ambo admittuntur) admota manu, tenente ſeu tangente Electum vel Electam, aperto capite & laxatis à collo veſtibus inclinatum, Sacerdos vaſculo vel vrceolo haurit aquam baptiſmalem de fonte, & cùm ea ſub trina ſupra caput in modum crucis infuſione baptizet Electum ſeu Electam in nomine ſanctæ Trinitatis, ſic dicens.

ET EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠, fundat primò. ET FILII ✠, fundat ſecundò. ET SPIRITVS SANCTI ✠. fundat tertiò.

Si aqua, quæ ex capite baptizati defluit, non dilabitur in Sacrarium Baptiſterij, recipiatur in ſubiecta aliqua pelui, vt in illud poſtmodum proijciatur.

Cùm plures ſunt Electi, ſingillatim ſinguli interrogantur, & baptizantur, vt ſuprà: ſi ſunt mares & fœminæ, primùm mares, deinde fœminæ.

Verùm ſi probabiliter dubitetur, an Electus fuerit aliàs baptizatus, dicat Sacerdos.

SI BAPTIZATVS ES, NON TE REBAPTIZO, SED SI NONDVM BAPTIZATVS ES, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠, ET FILII ✠, ET SPIRITVS SANCTI ✠.

Deinde Sacerdos intingat pollicem dextrum in ſacrum Chriſma, & pollice intincto perungat verticem Electi in modum crucis, dicens.

DEus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quiq. dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠, in eodem Chriſto Ieſu

Domino noſtro, in vitam æternam. ℟. Amen. ℣. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tunc bambacio, vel ſtupa pollicē tergit, & imponit capiti Electi Chriſmale ſeu candidum linteolum, & dat illi veſtem candidam, dicens.

ACcipe veſtem candidam, ſanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Et Electus deponit priores veſtes, & induitur nouis albi coloris, vel ſaltem exteriore candida, quam à Sacerdote accepit.

Poſtea dat ei Sacerdos cereum ſeu candelam accenſam in manu dextra, dicens.

ACcipe lampadem irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum tuum, vt cùm Dominus venerit ad nuptias poſſis occurrere ei in aula cœleſti, in vitā æternam. ℟. Amen.

Ipſe verò Neophytus eundem cereum accenſum manibus teneat vſque in finem, præterquàm dum confirmatur.

IN Eccleſijs autem, vbi Baptiſmus fit per merſionem, ſiue totius corporis, ſiue capitis tantùm, Sacerdos accipiat Electum per brachia prope humeros, & ſuperiore parte corporis nudatum, reliqua honeſtè cōtectum, ter illum vel caput eius mergendo, & toties eleuando, baptizet ſub trina merſione, ſanctam Trinitatem ſemel tantùm ſic inuocando.

ET EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, mergat ſemel. ET FILII, mergat iterum. ET SPIRITVS SANCTI. mergat tertiò.

Et cùm Electus ſurrexerit de fonte, Patrinus vel Matrina cùm linteo in manibus ſuſcipit eum de manu Sacerdotis. Et Sacerdos intincto pollice dextro in ſacro Chriſmate, illum in vertice in modum crucis perungit, dicens.

Deus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. vt ſuprà.

Et vbi Baptiſmus fieret per totius corporis merſionem, Electus antequàm pedes ab aquis prorſus educat, Chriſmate in vertice linitur; linitus autem de aqua à Patrino vel Matrina penitus leuatur, ac linteo contegitur.

Deinde Sacerdos imponit capiti eius linteolum ſeu Chriſmale, & dat ei veſtem candidam, dicens.

Accipe veſtem candidam, ſanctam & immaculatam, &c. vt ſuprà.

Et ſtatim prædicto linteo abſtergitur, & in ſemoto loco veſtitur nouis & albis veſtibus, & exteriore candida, quam accepit.

Poſteà dat ei Sacerdos candelam accenſam in dextra manu, dicens.

Accipe lampadem irreprehenſibilem, &c. vt ſuprà.

Eodem modo ſi plures fuerint, fit ſuper ſingulis.

Deinde, vbi ea conſuetudo viget, Sacerdos legit aliquod Euangelium iuxta morem Eccleſiarum, veluti Euangelium ſancti Ioannis, dicens.

℣. Do-

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. ℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat verbum, &c. vt ſuprà in tertio Scrutinio.

Poſteà dicat, N. Vade in pace, & Dominus ſit tecum. ℟. Amen.

Tum medulla panis abſtergat digitos, & lauet manus, & aqua ablutionis effundatur in Sacrarium, & ſiqua ſuperfuit, in locum alium mox proijciatur.

SI Epiſcopus adſit, ſtatim eum qui baptizatus eſt, Chriſmate confirmari oportet. Epiſcopus autem ſupra tunicam lineam, quam rocchettum vocant, aut ſupra ſuperpelliceum, ſi eſt regularis, accipit Albam, cingulum, ſtolam, & pluuiale albi coloris, ac mitram, & ſedet in ſede ſibi parata, cum operimento eiuſdem coloris; atque aſſiſtentibus, & miniſtrantibus ei Sacerdotibus Eccleſiæ, Clericis & Cappellanis, cōfirmat baptizatum iuxta Ordinem ſacræ Confirmationis ſuperiùs traditum poſt Baptiſmum ſolennem in Sabbato ſancto; & ſtans incipiat.

Spiritus ſanctus ſuperueniat in te, & virtus Altiſſimi ſine peccato cuſtodiat te. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c.

Et proſequatur vſque in finem, dicens preces in numero ſingulari vel plurali, iuxta numerum baptizatorum. Vel faciat, vt continetur in libro Pontificali de confirmandis ſeu chriſmandis in fronte.

Expleta autem Confirmatione, idem Epiſcopus vel Sacerdos pro gratiarum actione conuerſus ad altare ſolenniter hymnum intonat.

Te Deum laudamus. Et Cantorum ſchola proſequitur totum; vel pulſatis organis alternatim cantat; & eo cantato, Epiſcopus vel Sacerdos dicat.

℣. Saluum fac ſeruum tuum, vel ancillam tuam, ſi eſt fœmina. ℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam nouo ſemper fœtu multiplicas, concede famulo tuo, vt Sacramentum viuendo teneat, quod fide percepit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si Neophyti plures fuerint, præcedentes Verſus, & oratio dicantur in numero plurali.

Deinde conuerſus ad populum, benedicat, dicens.

Benedictio Dei Patris omnipotentis deſcendat ſuper vos ✠, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Sed si Episcopus cum baculo pastorali, aut coram cruce, si ea vtatur, populo solenniter benedicere maluerit, dicat de more prout in eodem libro Pōtificali de Vesperis Pōtificalibus, & de Missa Pontificali in fine.

℣. Sit nomen Domini benedictū. ℟. Ex hoc nunc & vsque in seculum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Benedicat vos omnipotens Deus Pater ✠, & Filius ✠, & Spiritus sanctus ✠. ℟. Amen.

Posteà Neophytus habens prædictum cereum accensum in manibus, intersit Missæ solenni, seu conuentuali, in qua humiliter ac deuotè communicet Sacramento corporis Domini nostri Iesu Christi.

Si Episcopus deest qui ipsum confirmet, intersit tamen Missæ, & similiter sacræ Eucharistiæ communionem accipiat à Sacerdote celebrante, ita dicente.

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam. ℟. Amen.

Sed & si necessitas aliqua aut infirmitatis ratio postulat, participem eum faciat Sacerdos Dominici corporis, etiam si Missæ interesse nequeat, vel ea non celebretur.

Hoc autem seruandum est, si mane (vt debet) Baptismus fiat, & baptizatus sit verè ieiunus ieiunio naturali: nisi in vitæ discrimine sit constitutus, quia tunc quod in Ordine Baptismi infirmorum dicitur, seruari oportet.

Tum demum baptizatus cereum, quem hactenus accensum habuit, offerat Sacerdoti.

Quòd si pomeridianis horis aliqua ex causa Baptismum celebrari contingat, similiter eo celebrato, pro gratiarum actione cantetur hymnus, Te Deum laudamus. & dicantur superiores preces.

Siquis Sacerdos hunc Ordinem non simul & semel vno die implere, sed diuidere voluerit, id duobus diebus facere potest; ac primo quidem die dicat contenta in eo vsque ad ingressum in Ecclesiam inclusiuè, altero prosequatur reliqua vsque in finem.

Cùm verò adultorum Baptisma extra Sabbatum sanctum Paschæ & Pentecostes iuxta hunc Ordinem aliquo die Dominico vel festiuo celebrari contigerit (quod non nisi ex causa, & rarò, vt superiùs dicitur, permittendum est) ipsi adulti baptizati similiter vestes albas induant septem diebus, & octauo deponāt, sicut in hebdomada Paschæ, & Pentecostes; nisi quòd non seruatur Ordo, qui suprà traditur ad deponendas Albas: vel dicantur sequentes orationes, quæ dici memorantur ad deponendas albas baptizatorum: & si sunt plures & diuersi sexus, dicantur in numero plurali & in genere suo.

Ante ablutionem Albarum Sacerdos dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

O re-

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti hunc famulum tuum ex aqua & Spiritu ſancto, quiq. dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum, tribue ei continentiam & longæuam ſanitatem ad cognoſcendam veritatis tuæ vnitatem. Per Chriſtum.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, quæſumus vt huic famulo tuo N. fonte baptiſmatis renato, ſobrietatem mentis & corporis infundere digneris; vt ad abluendas ſibi Albas adueniens Spiritus ſanctus, in eo peccata omnia nunc & ſemper extinguat. Per Chriſtum.

EXPLETO Baptiſmo, Sacerdos (vt etiam ſuprà in fine Baptiſmi paruulorum dictum eſt) iuxta decretum ſacri Concilij Tridentini, doceat baptizatum ſeu baptizatos, illorumq. ſuſceptores ſeu Patrinos & Matrinas, quam cognationem ſpiritualem per ſuſceptionem in Baptiſmo inter ſe, & quam ipſi ſuſceptores cum parentibus eorundem baptizatorum contraxerint; & impedimentum inde proueniens, quod non ſolùm impedit matrimonium mutuò contrahendum, verùm etiam dirimit poſt contractum.

Admoneat etiam eoſdem Patrinos & Matrinas, vt ſe apud Deum fideiuſſores extitiſſe pro illis, quos de ſacro fonte ſuſceperunt, agnoſcant, & ideo ante omnia Symbolum, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, præcepta Decalogi, atque Chriſtianæ doctrinæ inſtitutionem eos, ſi adhuc ignorent, ſeu non rectè teneant, edocere curent, vtq. ſemper illis ſolicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, vt virginitatem, ſeu caſtitatem iuxta ſuum quiſque ſtatum cuſtodiant, iuſtitiam diligant, charitatem ſeruent, ſobriè, iuſtè, & piè viuant, à maledicto, & periurio linguam refrænent, carmina ſeu cantica turpia & laſciua, aut verba inhoneſta non proferant, ſuperbi aut arrogantes non ſint, non inuidi, non temulenti, aut ebrioſi, iracundiam vel odium in corde non teneant, nec furtum faciant, nec falſum teſtimonium dicant, auguria nõ obſeruent, phylacteria vel characteres diabolicos aut ignotos nec ſibi nec ſuis aliquando ſuſpẽdant, incantatores velut miniſtros Diaboli fugiant, fidem catholicam firmiter teneant, ad Eccleſias frequentiùs conueniant, in eis non nugentur, garriant aut colloquantur, lectiones diuinas attentis auribus audiant, peregrinos ſuſcipiant, hoſpitum pedes lauent, pacem & ipſi teneant, & diſcordes ad concordiam reuocare contendant, Sacerdotibus & Parentibus honorem ſinceræ charitatis exhibeant; quodq. ſi hæc, & his ſimilia filios & filias ſpirituales admonere ſtudebunt, eos Dominus cum ipſis ad æternam beatitudinem feliciter peruenire concedet.

Deinde verò antequàm Neophyti, & eorum Patrini & Matrinæ ab Eccleſia recedant, Sacerdos diem, menſem, & annum Baptiſmi, itemq. eorundem Neophytorum, & eorum parentum, ac ſuſceptorum nomi-

na,

na, cognomina, & patriam, ex memorato decreto Concilij Tridentini in librum referat baptizatorum.

Tum ijs dimiſſis, Presbyter, vel alius pro eo Clericus ſacris initiatus comburat in Sacrario goſſipium vel ſtupam, quibus abſterſa ſunt loca inuncta; linteolum autem ſeu Chriſmale, quo capitis vertex ſacro inunctus Chriſmate, donec vnctio exiccaretur, contectus fuit, poſtmodum etiam comburat; niſi malit illud in eodem Sacrario diligenter ablui, & in vſum aliorum pauperum baptizandorum reſeruari.

Baptiſterium præterea occludi, ſacrum Chriſma, & Oleum Catechumenorum, ac alia vaſa miniſterij ſuo loco reponi curet; & reliqua obſeruet, quæ ſuprà poſt Baptiſmum paruulorum obſeruanda traduntur.

Poſtremò Sacerdos denuò, ſi opus eſt, manus lauet, atque Chriſto Deo Saluatori humiliter gratias agat, quòd ſua pietate per eum magnum hoc ſalutis Sacramentum in ſe credentibus conferre dignatus eſt.

Benedictio fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes, cùm aqua conſecrata non habetur.

PRimùm lauatur, & mundatur vas Baptiſterij, deinde limpida aqua repletur.

Tum Sacerdos cum ſuis Clericis, vel etiam alijs Presbyteris, Cruce & duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo & incenſo, & cum vaſculis Chriſmatis & Olei Catechumenorum deſcendit ad fontem, & ibi vel ante altare Baptiſterij dicit litaniam ordinariam.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis. & reliqua. prout habetur infrà poſt ſeptem Pſalmos pœnitentiales.

Et competenti loco, videlicet ante ℣. Vt nos exaudire digneris. dicat, & ſecundò repetat ſequentem verſum.

Vt fontem iſtum, ad regenerandam tibi nouam prolem, benedicere ✠, & conſecrare ✠ digneris; te rogamus audi nos.

Poteſt etiam dici litania breuiata, vt in Miſſali in Sabbato ſancto.

Et dicto vltimo Kyrie eleiſon, Sacerdos dicat.

Pater noſter, totum clara voce. Deinde ſimiliter.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, totum. Poſtea dicat.

℣. Apud te Domine eſt fons vitæ. ℟. Et in lumine tuo videbimus lumẽ.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysterijs, adesto Sacramentis,& ad recreandos nouos populos,quos tibi fons Baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte; vt quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℞. Amen.

Exorcismus aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ per Deum viuum ✝, per Deum verum ✝, per Deum sanctum ✝, per Deum totius dulcedinis creatorem ✝, qui te in principio verbo separauit ab arida, cuius super te spiritus ferebatur, qui te de paradiso manare iussit.

Hic manu aquam diuidat, & deinde de ea effundat extra marginem fontis in quatuor orbis partes, prosequens.

Et quatuor fluminibus diuidens,totam terram rigare præcepit, qui te in deserto amaram, per lignum dulcem fecit atque potabilem, qui te de petra produxit,vt populum, quem ex Aegypto liberauerat,siti fatigatum recrearet. Exorcizo te & per Iesum Christum filium eius vnicum,Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirabili sua potentia conuertit in vinum; qui super te sanctis suis pedibus ambulauit, & à Ioanne in Iordane in te baptizatus est, qui te vnà cum sanguine de latere suo produxit, & discipulis suis iussit, vt credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti, vt efficiaris aqua sancta, aqua benedicta,aqua,quæ lauat sordes,& mundat peccata. Tibi igitur præcipio omnis spiritus immunde, omne phantasma, omne mendacium, eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, vt qui in ipsa baptizandi erunt, fiat eis fons aquæ salientis in vitam æternã, regenerans eos Deo Patri,& Filio,& Spiritui sancto. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℞. Amen.

Oremus. Oratio.

DOmine sancte Pater,omnipotens æterne Deus,aquarũ spiritualium sanctificator,te suppliciter deprecamur, vt ad hoc ministerium humilitatis nostræ respicere digneris,& super has aquas abluendis & purificandis hominibus præparatas, Angelum sanctitatis emittas, quò peccatis vitæ prioris ablutis,reatuq. deterso,purum sancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus,per omnia secula seculorum. ℞. Amen.

Tunc insufflet ter in aquã, versus tres partes,secundum hanc figurã. Ψ

Deinde imponit incensum in thuribulo,& fontem incensat.

Posteà mittit Oleum sanctum,& Chrisma in aquam, sed primò eam cruce signans, dicit.

Sanctificetur, & fœcundetur fons iſte, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ✠. ℟. Amen.

Et accipit ampullam Olei ſancti, & de ea mittit Oleum in aquam in modum crucis, & dicit.

Coniunctio Olei vnctionis, & aquæ Baptiſmatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ✠. ℟. Amen.

Et deponit dictam ampullam, & accipit ampullam ſacri Chriſmatis, & de ea mittit Chriſma in aquam ſimiliter in modum crucis, dicens.

Coniunctio Chriſmatis ſanctificationis, & aquæ Baptiſmatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ✠. ℟. Amen.

Tum depoſita ampulla, dextera manu Oleum ſanctum, & Chriſma infuſum miſcet cum aqua, & ſpargit per totum fontem.

Deinde medulla panis manum tergit, & ſiquis baptizandus eſt, eum baptizat, vt ſuprà: Quòd ſi neminem baptizat, ſtatim manus abluat, & ablutio effundatur in Sacrarium.

De quibuſdam cæremonijs ſeruandis, cùm Epiſcopus, vel S. R. E. Cardinalis per ſeipſum baptizat, aut etiam catechizat.

CVm Pontificem aliquem, vel ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem catechizare vel baptizare contigerit, parantur omnia vt ſuperiùs de Ordine Baptiſmi paruulorum dictum eſt.

Adſint Capellani & alij Presbyteri & Clerici ſuperpelliceis induti, qui ei aſſiſtant ac miniſtrent.

Ipſe verò ſuper rocchettum, vel ſuperpelliceum, ſi eſt Regularis, accipiat Albam & cingulum, & deinde ſtolam & pluuiale violacei coloris, ac mitram.

Si igitur Pontifex vel S.R.E. Cardinalis extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes paruulos vel adultos à Presbyteris catechizatos baptizare tantùm voluerit, ſic paratus incipiat poſtquam ad Baptiſterium deuentum fuerit, dicens.

Quis vocaris? ℟. N.

Interrogat. N. Credis in Deum Patrem omnipotentem,&c. & proſequatur vſque in finem iuxta Ordinem Baptiſmi paruulorum vel adultorum, vt ſuprà.

Si autem Pontifex ipſe ſeu Cardinalis illos etiam catechizare voluerit, ſuo arbitratu faciat.

Verùm obſeruandum eſt quando ſedere aut ſtare, quando mitram tenere aut deponere debeat.

Initio cùm interrogat, Quis vocaris? aut Quo nomine vocaris? Quid petis,&c. & facit reliquas interrogationes, tam in Baptiſmo paruulorum, quàm adultorum,& quæ ſequuntur, ſedet cum mitra; cùm verò

exuſ-

exufflat, dicendo, Exi ab eo ſpiritus immunde, &c. ſurgit cum mitra. Rurſus ſedet, cùm ſignat Catechumenum ſigno crucis in fronte, & in pectore, vel in alijs partibus corporis, vel dicit, Accipe ſignum crucis, &c.

Cùm dicit orationes, quæ præcedunt, vel ſequuntur benedictionẽ ſalis, ſurgit, & depoſita mitra orat. Similiter cùm ipſum ſalem benedicit.

Cùm autem ſalem benedictum immittit in os infantis ſeu adulti, accipit mitram, & ſedet.

Cùm legit Exorciſmos, ſtat cum mitra; cùm verò orationes interpoſitas, mitram deponit. Ita etiam cùm Euangelium legit.

Sed cùm introducit Catechumenum in Eccleſiam, mitram accipit.

Cùm verò dicit, Credo in Deum Patrem, & Pater noſter, ſuper Electum, illam deponit, & ſtat.

Cùm ſuper eundem legit Exorciſmum, Nec te latet, & ſputo aures & nares eius tangit, dicens, Ephpheta, ſtat cum mitra.

Cæterùm cùm nomen quærit, & interrogat, Abrenuntias, &c. & Electum Oleo ſancto in pectore & inter ſcapulas inungit, cùm rurſus interrogat de nomine ac de fide, Credis, &c. & N. Vis baptizari, &c.

Et cùm baptizat per infuſionem, ſiue intinctionem, ſedet cum mitra: ſi verò baptizat per merſionem, mitram retinens ſtare debet.

Cùm demum Chriſmate verticem baptizati linit, & dat ei veſtem candidam, & deinde cereum ſeu candelam accenſam, & dicit N. Vade in pace, &c. ſedet cum mitra.

Ordo Baptiſmi infirmorum, qui dicitur ad ſuccurrendum.

CVm infirmus, de cuius morte dubitatur, fuerit baptizandus, non ſeruatur Ordo ſuprà traditus Baptiſmi paruulorum, ſi fuerit infans, nec Baptiſmi adultorũ, ſi fuerit adultus, ſed breuis Ordo, qui ſequitur.

Primùm Sacerdos interrogat.

Quis vocaris? ℟. N.

Tum Sacerdos leniter exufflet in faciem eius, dicens.

Exi ab eo immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Deinde pollice faciat ſignum crucis in fronte & in pectore infirmi, dicens.

Accipe ſignum crucis tam in fronte ✠, quàm in corde ✠, ſume ſcutum fidei cœleſtium præceptorum; talis eſto moribus, vt templum Dei iam eſſe poſſis.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle: diſrumpe

rumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſeruiat & proficiat de die in diem; vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui, percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſteà Sacerdos accipiat de ſale ſpecialiter pro Catechumenis exorcizato, ſi habet, vel ſi non habet, & tempus ſuppetit (nam alioquin omittere debet) ita ſalem benedicat.

Benedictio ſalis.

BEnedic omnipotens Deus hanc creaturam ſalis tua benedictione cœleſti ✠, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in vnitate Spiritus ſancti tui, ad effugandum inimicum, quam tu Domine ſanctificando ſanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠, fiatq. omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus eorum, In nomine eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Et de eo iam benedicto modicum accipiens ponat in ore infirmi, dicēs.

Accipe ſal ſapientiæ, propitiatus in vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde imponit manum ſuper caput eius, & dicit.

Oremus. Oratio.

AEternam, ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum & ſanctifica, da ei ſcientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui; teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, vt aptus ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Item addit ſequentem orationem, dicens.

Oremus. Oratio.

MEdelam tuam deprecor Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui ſubuenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas: te ergo Domine ſupplices deprecamur, vt hunc famulum tuum N. eruas ab hac valetudine, & non præualeat inimicus vſque ad animam, ſed ſicut in Iob tentationibus, terminum ei pone, ne idem inimicus de anima iſta ſine redemptione Baptiſmatis incipiat triumphare: differ Domine exitum mortis, & ſpatium vitæ extende, releua quem perducas ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc introducat eum in Eccleſiam, dicens.

Ingredere in templum Dei, vt habeas partem cum Chriſto, in vitam æternam. ℟. Amen.

Et eo introducto, Sacerdos imponens manum ſuper caput eius, dicit Symbolum, & orationem Dominicam, cum ipſo vel cum Patrino.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum: Qui cōceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Vitam æternam. Amen.

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Deinde etiam imposita manu super caput eius, dicit.

Exorcismus.

NEc te latet Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuersis angelis tuis æternus erit interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto paraclito; in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis, dono vocare dignatus est; vt fiat eius templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos digito accipiat de saliua oris sui, & tangat aures & nares infirmi, dicens primò ad aurem dextram.

Ephpheta, quod est adaperire; deinde ad nares: in odorem suauitatis. posteà ad aurem sinistram: tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Deinde interrogat, & Patrinus vel Matrina respondet, si infirmus sit infans: si autem sit adultus, per seipsum respondet, dummodò non impediat morbus; si verò impediat, similiter Patrinus vel matrina pro eo respondet, vt infrà.

N. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.
Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Pòst Sacerdos intincto pollice in Oleo Catechumenorum vngat infirmum in pectore & inter scapulas, in modum crucis, dicens.

Ego te linio Oleo salutis ✠ ✠, in Christo Iesu Domino nostro.

Et

Et loca inuncta, & pollicem ſuum bambacio vel ſtupa abſtergit.

Dehinc veniunt ad Baptiſterium, vbi ſi aqua Baptiſmi defecerit, aut non habeatur, & neceſſitas non adeò vrgeat, Sacerdos benedicat aquam benedictione minori, quæ dicitur ad ſuccurrendum, prout habetur hîc in fine.

Hoc etiam neceſſitatis caſu, cùm nouum adhuc Oleum Catechumenorum, vel nouum Chriſma Sacerdos non habet, tam in ipſa aquæ benedictione minori, vt notatur in ea, quàm in vnctionibus baptizandi, veteri Oleo & Chriſmate vti poteſt.

Tunc Patrino vel Matrina, vel vtroque, ſi ſimul admittuntur, tenente infirmum, & reſpondente, vt ſuprà, Sacerdos interrogat.

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

℟. Credo.

Sacerd. interrog. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum? ℟. Credo.

Sacerd. interrog. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam? ℟. Credo.

Sacerd. interrog. N. Vis baptizari? ℟. Volo.

Et Sacerdos vrceolo vel ampulla accipit aquam baptiſmalem, & de ea ter fundens intingit caput infirmi, in modum crucis, ac ſimul dicit.

EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✝, intingit primò. ET FILII ✝, intingit ſecundò ET SPIRITVS SANCTI ✝. intingit tertiò.

Poſteà intincto pollice dextro in Chriſmate, infirmum linit in vertice, in modum crucis, dicens.

DEus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quiq. dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✝, in vitam æternam. ℟. Amen.

Tum bambacio vel ſtupa pollicem tergit, & imponit albam ſeu candidum linteolum capiti infirmi, dicens.

ACcipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, in vitam æternam. ℟. Amen.

Et niſi linteolum in loco vnctionis Chriſmatis retineatur, donec illa exiccetur, eodem linteolo, vel bambacio aut ſtupa eam abſtergat.

Deinde det candelam accenſam in eius vel Patrini dexteram, dicens.

ACcipe lampadem irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum tuum, vt cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei in aula cœleſti. ℟. Amen.

Si plures fuerint infirmi, vel diuerſi ſexus, præcedentes preces in plurali numero, & in ſuo genere dicantur; exufflatione tamen, crucis ſignatione, narium & aurium tactu cum ſaliua, abrenuntiationis interrogatione,

rogatione,

rogatione, vnctione cum Oleo sancto, interrogatione de fide, ipsius Baptismi intinctione; Chrismatis linitione, candidæ vestis, atque candelæ traditione, exceptis, quæ singulariter super singulos tum masculos tum fœminas, si tempus permittat, fieri debent, vt in fine Baptismi paruulorum etiam dictum est.

Postea Sacerdos sequens Euangelium legere, & sequentes orationes, vel earum alteram dicere poterit super infirmum.

Sequentia sancti Euangelij secundũ Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine. Et interim signat librum, se ipsum, ac infirmum, nisi sit adultus, qui semet signare possit.

IN illo tempore: Circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum tuum N. ex aqua & Spiritu sancto, quiq. dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tribue ei continuam sanitatem ad agnoscendam bonitatis tuæ veritatem. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Oremus. Alia Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, maiestatem tuam supplices deprecamur, vt famulum tuum digneris serenis aspectibus tuis præseruare, & cui donasti Baptismi Sacramentum, longæuam tribuas sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si Neophyti infirmi plures fuerint, superiores orationes dicantur in numero plurali, & si diuersi sunt sexus, dicatur, famulos & famulas tuas.

SI Episcopus adsit, hoc ordine infirmus ab eo confirmetur. Ille quidem in habitu decenti, siue accepta tantùm stola super rocchettum, aut si est regularis, super superpelliceum, stans dicat.

℣. Adiutorium nostrũ in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum ex aqua & Spiritu sancto, quiq. dedisti ei remissionem omnium peccatorum, emitte in eum septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cœlis, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis; adimple eum spiritu timoris tui; & consigna eum signo crucis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spi-

ritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.
Cùm plures ſunt, prædictam orationem dicat in numero multitudinis, & genere proprio.
Tum ſedens accipit mitram; & intincto pollice dextro in Chriſmate, faciens crucem in fronte infirmi, confirmet eum, dicens
N. CONSIGNO TE SIGNO CRVCIS, ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALVTIS ✠. [Et manu producens ante faciem eius ſignũ crucis, ſubiungat.] IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI ✠. ℟. Amen.
Deinde genam eius leuiter tangens, dicat.
Pax tecum. ℟. Et & cum ſpiritu tuo.
Et benedicat eum, dicens.
Benedicat te omnipotens Deus, Pater ✠, & Filius ✠, & Spiritus ſanctus ✠. ℟. Amen.
Si ſunt plures, dicat in numero plurium, Benedicat vos, &c.
Si autem periculum vrget, & temporis anguſtia non permittit, omiſſis alijs precibus, faciens crucem de Chriſmate in fronte eius, abſolutè dicat verba formæ Confirmationis.
CONSIGNO TE SIGNO CRVCIS, ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALVTIS ✠, &c. vt ſuprà.
Ac demum ſi eſt adultus, aut ea ætate, qua diſcernat, etiam ſi Epiſcopus deſit, & propterea confirmatus non ſit, ſacram ei Sacerdos exhibeat Euchariſtiam; dummodò ſit ieiunus; niſi adeò grauiter laboret, vt ei etiam non ieiuno in viaticum danda ſit. Communicet autem ei Sacerdos corpus Domini, abſolutè dicens.
Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te, in vitam æternam. ℟. Amen.
Poſtremò hortetur Patrinum vel Matrinam, & qui circunſtant, vt pro eius ſalute orent.

Benedictio aquæ Baptiſmi minor, quæ dicitur ad ſuccurrendum.

CVm infirmum baptizari oportet, ſi aqua Baptiſmi conſecrata defuerit, Presbyter apponat aquam in aliquo vaſe mundo, & benedicat eam, non benedictione maiore, quæ fit in Sabbato ſancto, nec alia, quæ continetur in fine Baptiſmi adultorum, ſed iſta minore, quæ dicitur ad ſuccurrendum, hoc modo.

Oremus. Oratio.

EXaudi nos omnipotens Deus, & in huius aquæ ſubſtantiam, tuam immitte virtutem, vt abluendus per eam & ſanitatem ſimul, & vitam mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exor-

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & Domini noſtri Ieſu Chriſti filij eius ✠, & Spiritus ſancti ✠, ſiquod phantaſma, ſiqua virtus inimici, ſiqua incurſio Diaboli, eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ, vt fiat fons ſaliens in vitam æternam; & qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum Dei viui, & Spiritus ſanctus habitet in eo, in remiſſionem omnium peccatorum. In nomine eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos mittat Chriſma in aquam in modum crucis, dicens.

Sanctificetur, & fœcundetur fons iſte hoc ſalutifero Chriſmate, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ✠. ℟. Amen.

Quòd ſi nondum habuerit nouum Chriſma, in huius neceſſitatis caſu vetus poterit adhibere; ſi verò neq̃ue nouũ neque vetus habeat, omiſſa Chriſmatis infuſione in aquam, cum ea vt ſuprà benedicta baptizet infirmum.

Ordo Baptiſmi infirmi, qui ſtatim creditur moriturus.

SI infans vel adultus ægrotus adeò grauiter laboret, vt ſtatim moriturus exiſtimetur, aut ſi, dum præcedens Ordo infirmorum ſeruatur, vehementis vi morbi corripiatur, & periculum immineat, ne decedat antequàm Ordo expleatur, vel Baptiſmus ipſe perficiatur, Sacerdos eodem Ordine ac alijs omnibus, quæ Baptiſmum præcedunt, prætermiſſis, baptizet eum, vt ſuprà, per intinctionem ſeu infuſionem aquæ ſuper caput eius, tantùm dicens.

EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ✠, ET FILII ✠, ET SPIRITVS SANCTI ✠.

Et ſi mors inſtat, non ter, ſed ſemel in modum crucis caput aqua intingat, dicens, vt ſuprà.

EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Verùm ſi aqua Baptiſmi non habeatur, & periculum ſit in mora, ita vt nec tempus ſuppetat ad illam benedicendam benedictione minore ad ſuccurrẽdum, prætermiſſa aquæ benedictione accipiat aquam ſimplicem, & de ea ter vel etiam ſemel tantùm, ſi mors inſtet, vt dictum eſt, paruulum vel adultum periclitantem ſupra caput aſpergat ſeu intingat, dicens.

EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, &c. vt ſuprà proximè.

Deinde ſi habet Chriſma, liniat eum in vertice in modum crucis, dicẽs.

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Poſteà det ei candidam veſtem ſeu linteolum, dicens.

Accipe veſtem candidam & immaculatam, &c.

Et demum candelam accenſam, dicendo.

Accipe lampadem irreprehenſibilem, &c. vt ſuprà in eodem proximo Ordine habetur.

Et ſi adhuc ſuperſtes eſt, & Epiſcopus adeſt, ab eo confirmetur, vt ſuprà in eodem Ordine. Et deinde ſi eſt adultus vel in ætate diſcretionis, & morbo non impeditur, communicet, vt ſuprà.

Sed & ſi Epiſcopus abſit, ſimiliter Presbyter ſacram ei communionem ſeu viaticum præbeat. Et hortetur circumadſtantes, vt orent pro eo.

Idem quoque Ordo ſeruetur, ſi paruulus vel adultus in quouis alio ſupremæ neceſſitatis caſu, aut imminentis mortis periculo fuerit conſtitutus.

Si ita baptizatus, ſiue infans ſiue adultus, poſteà ex infirmitate conualuerit, aut alio periculo liberatus fuerit, omnia quæ omiſſa ſunt, ac dicta non fuerunt, etiam Exorciſmi, dici & ſuppleri debent, tum vt vniformitas ſeruetur in Baptiſmo, tùm vt eius effectus, Diaboli repreſſa atque coercita poteſtate, non impediatur, prout infrà ponitur in Ordine ſupplendi omiſſa ſuper baptizatum.

AT ſi baptizatus, illico aut paulò poſt ex hac vita decedat, ſiquidem eſt infans, fit officium, vt inferiùs in officio ſepulturæ paruulorum: ſi verò adultus, pro eo fit commune officium mortuorum, & celebratur Miſſa pro defunctis, cum ſequenti ſpeciali oratione.

Pro defuncto nuper baptizato.

Oratio.

DEus, qui ad cœleſte regnum non niſi renatis per aquam & Spiritum ſanctum pandis introitum, multiplica ſuper animam famuli tui N. miſericordiam tuam; & cui donaſti celerem & incontaminatum tranſitum poſt Baptiſmi Sacramentum, da ei æternorum plenitudinem gaudiorúm. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem.

Secreta.

PRopitiare Domine animæ famuli tui N. pro qua tibi offerimus ſacrificium laudis, vt eam Sanctorum tuorum conſortio ſociare digneris. Per Dominum.

Poſtcommun.

PRopitiare Domine animæ famuli tui N. vt quem in fine huius vitæ regenerationis fonte mundaſti, ad cœleſtis regni beatitudinem facias peruenire. Per Dominum.

Ordo

Ordo ſupplendi omiſſa ſuper baptizatum.

CVm mortis vrgente periculo, vel alia neceſſitate cogente, paruulus ſiue domi ab obſtetrice, aliave muliere, aut viro, etiam Presbytero, ſub nuda tantùm forma verbòrum, ſiue in Eccleſia vt morti proximus à Presbytero, ſacris precibus ac ritibus prætermiſſis, fuerit baptizatus, vbi conualuerit vel ceſſauerit neceſſitas, & ad Eccleſiam delatus fuerit, iuxta ſequentem Ordinem omiſſa omnia ſuppleantur.

Similiter cùm adultus in mortis diſcrimine aut quapiam neceſſitate conſtitutus, à Presbytero vel alio, ſiue domi ſiue in Eccleſia, vt ſuprà, fuerit baptizatus, ſi poſtmodum periculum euaſerit, idem ſupplendi Ordo ſeruetur.

Qui quidem etiam ſeruandus eſt, cùm pueri vel adulti ad Eccleſiam veniunt ab his hæreticis baptizati, qui in Baptiſmo Exorciſmos, preces, & vnctiones inſtitutas non adhibent, & ea ſuper ipſis ſuppleri contingit, vt ſuperiùs de Obſeruandis in generali ſolenniq. Baptiſmo, in fine, memoratum eſt.

In hoc autem Ordine Patrinus aut Matrina non adhibetur, quia Baptiſmi Sacramentum, in quo Patrinus ſuſcipere debet baptizatum, non confertur: ſed qui pro paruulo vel adulto, qui loqui non valet, in eo reſpondet, perinde habendus eſt, atque is, qui in Catechiſmo tantùm ante Baptiſmum tenet.

Paratis igitur omnibus, vt ſale benedicendo, Oleo ſancto, & Chriſmate, ac alijs neceſſarijs, prout ſuprà in Ordine Baptiſmi paruulorum; Presbyter ſuperpelliceo & ſtola indutus, ſtans in limine Eccleſiæ cum ſuis clericis, interrogat baptizatum.

Quo nomine vocaris? ℟. N.

Presbyter. N. Quid petis ab Eccleſia Dei? ℟. Fidem.

Presbyter. Fides quid tibi præſtat? ℟. Vitam æternam.

Presbyter. Si vis habere vitam æternam, ſerua mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.

Deinde ter exufflet in faciem eius, ad ſingulas exufflationes dicens.

Exi ab eo immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paraclito.

Tum pollice faciat ſignum crucis in fronte & in pectore eius, dicens.

Accipe ſignum crucis tam in fronte ✠, quàm in corde ✠, ſummam ſcilicet fidei cœleſtium præceptorum: talis eſto moribus, vt templum Dei iam eſſe poſſis.

Oremus. Oratio.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, & hunc famulum tuum N. Crucis Dominicæ, cuius impreſſione eum ſignamus, virtute cuſtodi; vt magnitudinis gloriæ rudimenta ſeruans, per cuſto-

diam mandatorum tuorum ad regenerationis, quam conſecutus eſt, præmium peruenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus, qui humani generis ita es conditor, vt ſis etiam reformatôr, propitiare populis adoptiuis, & nouo teſtamento ſobolem nouæ prolis aſcribe; vt filij promiſſionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſteà imponit manum ſuper caput eius, & dicit.

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulũ tuum N. quem dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnẽ cæcitatem cordis ab eo expelle: diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſeruiat & proficiat de die in diem; vt idoneus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit ſalis percepta medicina. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde Presbyter benedicit ſalem.

Benedictio ſalis.

EXorcizo te creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti ✠, & in virtute Spiritus ſancti ✠. Exorcizo te per Deum viuum ✠, per Deum verũ ✠, per Deum ſanctum ✠, Per Deum ✠, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per ſeruos ſuos conſecrari præcepit; vt in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, vt hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus eorum. In nomine eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℟. Amen.

Tunc accipit modicum de eodem ſale, & leuiter immittit in os baptizati, dicens.

N. Accipe ſalem ſapientiæ; propitiatio tibi ſit in vitã æternam. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DEus patrum noſtrorum, Deus vniuerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, vt hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc pabulum ſalis guſtantem non diutiùs eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti; quatenus ſit ſemper ſpiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſeruiens: & quem ad nouæ regenera-

tionis

tionis lauacrum perduxisti, quæsumus Domine, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et prosequitur super masculum tantùm.

Oremus. Oratio.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Aegypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte: te quæsumus Domine, vt mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui similiter custodiat & hunc famulum tuum N. vt teneat gratiam Baptismi tui, quam percepit. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus.

ERgo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto; & recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis iam vocare dignatus est: [Hîc pollice signet eũ in fronte] & hoc signum sanctæ crucis ✠, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum, te inuoco super hunc famulum tuum N. qui Baptismi tui donum consecutus, æternam spiritalis regenerationis gratiam retinere desiderat: accipe eum Domine, qui dignatus es dicere, petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: petenti itaque præmium porrige, & ianuam pande pulsanti; vt qui æternam coelestis lauacri benedictionem consecutus est, promissa tui muneris regna percipiat. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, in secula seculorum. ℟. Amen.

Exorcismus.

AVdi maledicte Satana, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi filij eius, cum tua victus inuidia tremens gemensq. discede; nihil tibi sit commune cum seruo Dei N. iam coelestia cogitante, renuntiante tibi ac seculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem Spiritui sancto, qui ex summa coeli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum & habitaculum perfecit; vt per Baptismi gratiam ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberatus Dei seruus, gratias perenni Deo referat semper, & benedicat nomen eius sanctum, in secula seculorum. ℟. Amen.

Exorcismus.

EXorcizo te immunde spiritus in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus sancti ✠: vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Exorcismus.

ERgo maledicte Diabole recognosce sentētiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero; da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto; & recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis iam vocare dignatus est: [Hic, vt suprà, pollice signet eum in fronte.] & hoc signum sanctæ crucis ✠, quod nos fronti eius damus; tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Super fœminam verò tantùm, dicit.

Oremus. Oratio.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorũ, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium benè viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, te inuoco Domine super hanc famulam tuam N. vt eam custodire & conseruare digneris in gratia Baptismi tui, quem suscepit. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus.

ERgo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero; da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto; & recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptismatis iam vocare dignatus est: [Hic pollice signet eam in fronte.] & hoc signum sanctæ crucis ✠, quod nos fronti eius damus, tu maledicte Diabole nunquàm audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus. Oratio.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui tribus Israel de Aegyptiaca seruitute liberasti & per Moysen famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: te supplex deprecor Domine, vt liberes hanc famulam tuam N. & eam conseruare digneris in gratia Baptismi tui, quem percepit. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ergo maledicte Diabole &c. totum, vt suprà.

Exorcismus.

EXorcizo te immunde spiritus per Patrem ✠, & Filium ✠, & Spiritum sanctum ✠, vt exeas, & recedas ab hac famula Dei N. ipse enim

tibi

tibi imperat maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit,& quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitauit.

Ergo maledicte Diabole &c. totum, vt ſuprà.

Super maſculum, ſiue fœminam.

Deinde imponit manum ſuper caput eius, & dicit.

Oremus. Oratio.

AEternam, ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, vt dignus ſit frui gratia Baptiſmi tui quem ſuſcepit; teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, vt aptus ſit ad retinendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſteà ſi ſit infans, Presbyter legat ſequens Euangelium.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

Et interim pollice dextræ manus ſignet primò Euangelium, deinde ſeipſum & infantem, in fronte, ore, & pectore.

In illo tempore: Oblati ſunt Ieſu paruuli, &c. vt ſuprà in Ordine Baptiſmi paruulorum: vel legat Euangelium ſecundum Marcum.

IN illo tempore: Offerebant Ieſu paruulos, vt tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cùm videret Ieſus, indignè tulit, & ait illis; Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos; talium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.

Si verò ſit adultus, legat Presbyter ſequens Euangelium.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

Et ſimiliter dum hæc dicuntur, Presbyter primùm ſignat librum, deinde ipſe & adultus ſe ipſos ſignant in fronte, ore, & pectore.

In illo tempore: Reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ &c. vt ſuprà in Miſſa Scrutinij: vel legat Euangelium ſequens, etiam ſecundum Matthæum.

IN illo tempore: Vndecim diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi conſtituerat illis Ieſus. Et videntes eum adorauerunt, quidã autem dubitauerunt. Et accedens Ieſus locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.

Poſt hæc Presbyter impoſita ſuper infantem extrema parte ſtolæ, aut

ſi eſt adultus, ſiniſtra manu prehendens ipſius dextram prope brachium, vel ei porrigens partem ſtolæ, introducit eum in Eccleſiam, dicens.

N. Ingredere in templum Dei, vt habeas partem cum Chriſto, in vitam æternam. ℞. Amen.

Cùm autem in Eccleſiam ingreſſi fuerint, ponant infantem ſupra pauimentum, & Presbyter clara voce ſuper eum dicat Symbolum Apoſtolorum, & orationem Dominicam, monens eum qui tenebat, vt & ipſe ſimul dicat.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ; & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum; qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine; paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus; deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis; aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum; ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem; remiſſionem peccatorum; carnis reſurrectionem; vitam æternam. Amen.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum; adueniat regnum tuum; fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra; panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; & ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos à malo. Amen.

Quibus dictis eleuant infantem.

Si verò ſit adultus, ingreſſus procumbit ſeu ſe proſternit, & adorat; tum ſurgit; & Presbyter imponit manum ſuper caput eius, & dicit, ac monet vt & ipſe pariter dicat.

Credo in Deum Patrem, &c. Pater noſter, qui es in cœlis, &c. vt ſuprà.

Dehinc Presbyter imponit manum ſuper caput eius, ſiue infantis ſiue adulti, & dicit.

Exorciſmus.

NEc te latet Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem ſupplicij ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens; in quo tibi atque vniuerſis Angelis tuis æternus ſuperueniet interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero; da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto; in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es ſpiritus immunde, vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. quem iam idem Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemq. Baptiſmatis dono vocare dignatus eſt, vt fieret eius templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum. In nomine eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. ℞. Amen.

Poſt

Pôſt digito accipiat de ſputo oris ſui, & tangat aures & nares baptizati, dicens primò ad aurem dextram.

Ephpheta, quod eſt adaperire, deinde ad nares, in odorem ſuauitatis: poſteà ad aurem ſiniſtram: tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Quo quidem facto, interrogat Presbyter.

Quis vocaris? Reſpondet qui tenet infantem, vel ipſemet baptizatus, ſi eſt adultus, N.

Presbyter. N. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio.

Presbyter. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio.

Presbyter. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Tunc ſi baptizatus, priùs non fuerit inunctus. Presbyter intincto dextro pollice in Oleo Catechumenorum, vngat eum in pectore & inter ſcapulas, in modum crucis, dicens.

Ego te linio Oleo ſalutis, in pectore ✠, & inter ſcapulas ✠, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Et mox loca inuncta & pollicem ſuum goſſipio vel ſtupa abſtergit; & interrogat.

Quo nomine vocaris? ℟. N.

Interrogat. N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Interrogat. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum? ℟. Credo.

Interrogat. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam? ℟. Credo.

His dictis ſi nondum Chriſmate linitus eſt, Presbyter dextro pollice intincto in ſacro Chriſmate, vngat eum in vertice, in modum crucis, dicens.

Deus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quiq. dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, [Hîc inungit] ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠, in eodem Chriſto Ieſu Domino noſtro, in vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tum goſſipio vel ſtupa tergit pollicem, & imponit Albam, ſeu candidum linteolum ſiue chriſmale capiti eius, dicens.

Accipe veſtem ſanctam, candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Poſtmodum dat candelam accenſam in dextra manu eius, vel tenentis eum ſi paruulus ſit, dicens.

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilem; cuſtodi Baptiſmum tuum; ſerua Dei mandata; vt cùm Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei vnà cum omnibus Sanctis in aula cœleſti, habeasq́.

beasq́. vitam æternam, & viuas in ſecula ſeculorum. ℞. Amen.
Ac demum dicit N. Vade in pace, & Dominus ſit tecum. ℞. Amen.

Sed & ſi Epiſcopus adeſt, confirmetur ab eo, ſi nondum fuerit confirmatus; & ſi idonea ætate eſt, præuia ſacramentali Confeſſione communicet, vt ſuprà in Ordine Baptiſmi adultorum, & in Ordine Baptiſmi infirmorum ad ſuccurrendum.

His expletis, Presbyter in Sacrario comburit goſſipium ſiue ſtupam, quibus pollex & loca Oleo ſancto & Chriſmate inuncta abſterſa ſunt, ac etiam poſteà comburit albam ſiue linteolum vel chriſmale, niſi in eodem Sacrario diligenter ablui, & in ſimilem vel alium Eccleſiæ vſum reſeruari velit: medulla quoque panis digitos tergit, & aqua manus lauat, & ſeruat alia, quæ ſuprà poſt Baptiſmum paruulorum, vel adultorum obſeruanda traduntur, quatenus tamen huic Ordini conuenire poſſunt.

Verùm ſi Presbyter, poſtquàm ſuppleuerit omiſſa iuxta Ordinem præcedentem ſuper eum qui dicebatur baptizatus, certò compererit, illum reuera non fuiſſe baptizatum, ac proinde baptizari oportere; tunc debet integrum Baptiſmi Ordinem ſeruare, ſiue paruulorum, ſiue adultorum, pro baptizandi ætate, ac vnctiones & reliqua quæ Baptiſmum comitantur adhibere.

DE RECIPIENDIS, ET instruendis Catechumenis.

CVM adultus aliquis diuina illustratus gratia, ex Gentilitate, seu Paganismo, vel Iudaica perfidia, aut Mahumetica seu quauis alia Infidelium secta, ad Iesu Christi Domini nostri fidem venire proposuerit, à Sacerdote, vel fidelibus, qui eius conuersionem nouerunt, aut procurarunt, suadeatur ei, illicò 1 ad Ecclesiam conuolare, & adducatur ad Episcopum, si adsit, vel ad Sacerdotem, cui hoc munus incumbit. Is verò eum benignè suscipiat, & de eius voluntate sciscitetur, conditioneq. & statu, seruus ne sit, an liber: & exquirat causas eius conuersionis, quidve eum commouerit, vt veniret ad fidem; atque ij, qui eum adduxerunt, testificentur, singula fideliter exponentes.

Exquirat item eius mores & vitam, ac summa diligentia eius animum exploret, an scilicet indignatione aliqua vel iniuria prouocatus, an alicuius odio vel amore ductus id faciat, an vt pœnam aliquam temporalem euadat, aut lucrum aliquod vel beneficium temporale inopia pressus consequatur, an aliud quid humanum expetat, aut animo conceperit; vel si seruus est, an vt perueniat ad libertatem. Quòd si bono eum spiritu duci cognouerit, 2 gratias Christo Saluatori cum eo agat, ac ipsum admoneat, vt 3 quamprimùm ab Infidelium consortio, ne rursus eorum inuoluatur erroribus, secedat. Hoc autem si vel ægro animo ferre, vel aliqua ex parte duriùs accipere videatur, Sacerdos ei demonstret, Infidelium consuetudinem saluti credentium non expedire, sed ab ijs prorsus recedendum esse, dicente Propheta: Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini. *Ierem.50.b* Idq. etiam suadeat, tum ad obediendum fidei, tum ad suæ salutis securitatem, promptè faciendum esse exemplo Abrahæ amici Dei, cui cùm Dominus vocans eum de Vr Chaldæorum, dixisset: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi, &c. *Genes.12.a & Act.7.a* is statim omnibus derelictis, verbo Domini obtemperauit, quemadmodum scriptura subiungit: Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus. Neque enim salus venientis ad fidem in tuto esse potest, dum versatur inter Infideles, qui quantò coniunctiores ei fuerint, tantò grauiùs eius salutari proposito insidiabuntur, & obesse poterunt; iuxta verbum Domini: Inimici hominis domestici eius. *Matth.10.d* Et idcircò parentibus, vxore, & filijs, atque omnibus alijs posthabitis, Dei vocantis vocem sequendam esse, sicut idem Dominus in Euangelio docet: Siquis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. *Lucæ 14.f* Et rursus: Qui amat patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me non est me dignus. *Matth.10.d* Ne autem ille consanguineorum aut aliorum suorum amissione aut separatione deterreatur, affirmet ei, pro carnalibus parentibus & consanguineis, præter patres spirituales ac fratres in Domino, quos propè innumeros in Christiana religione comperiet, patrem specialiter habiturum Deum, sicut Apostolus cum Prophetis clamat: Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus; & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. *2. ad Cor. 6. d & Num.16.d Isaiæ 52.c* Quamobrem hilari illum & constanti animo, magnaq. in Deum fiducia esse debere. Si verò eum non sincerè ad fidem venire perspexerit, moneat, ne quem temporalem finem sibi, sed solam animæ salutem proponat, cùm non ad temporalia, sed ad salutem animarum Baptismi Sacramen-

cramentum institutum sit; ac propterea ne ficte aut fraudulenter accedat, sed anteactæ vitæ eum pœniteat, atque omnibus superstitionibus suæ sectæ abrenuntiet; siquidem 4 ex Gentilitate venit, idolis & simulacris, illaq. horrescat & detestetur; si verò ex Iudaismo, Iudaicæ perfidiæ & impietati; si autem ex Saracenica, seu Mahumetica infidelitatis secta fuerit, præcipuè curandum est, vt non solùm eidem sectę expresse abrenuntiet, sed ipsi etiam Pseudoprophetæ Mahumeto, eumq. vt impium hominem & seductorem detestetur. Et demum si ex quacunque hæresi ad Catholicam fidem veniat, ac nondum rectè baptizatus sit, dictæ hæresi abrenuntiet, illamq. & omnem aliam detestetur & anathematizet.

Cùm 5 verò existentes in peccato mortali, vel in peccandi proposito permanentes, nequaquã baptizari debeant; 6 Augures, Diuinatores, Magi, Sortilegi, Malefici, & Incantatores, in Catechumenos non suscipiantur, nisi diabolicis eiusmodi artibus priùs abrenuntient, atque earum execrabiles libros & instrumenta corrumpant, destruant, atque comburant; qui etiam tempore probandi sunt. Ita nec Mimi, Histriones, aut Parasiti, qui ad libidinem & peccata prouocant, nisi vanas has artes desinant. Neque 7 meretrices, nisi meretricium; nec 8 lenones, nisi lenocinium deserant. Nec adulteri, fornicatores, aut concubinarij, nisi adulteras, scorta, vel concubinas eiecerint aut reliquerint. Neque fœneratores & vsurarij, nisi à fœnore & vsuris penitus desistant; & illas, ac malè acquisita quæcunque restituant, aut saltem restituere proponant, cùm certæ personæ extant, quibus restitutio facienda est. Neque 9 alij scelesti, & nefarij homines admittantur, nisi sua scelera detestentur, atque sinceræ pœnitentiæ signa ostendant.

Si is, 10 qui ad fidem venit, seruus fuerit, quæratur ab eo, cuius domini sit; ac si viri fidelis seruus sit, & domini testimonio commendetur, recipiatur: sin minùs, in eo recipiendo cautiùs agatur. Si verò seruus fuerit alicuius infidelis, recipiatur quidem, sed deinde instruatur, quemadmodum seruiat & placeat domino suo, ne Christiana religio inter Infideles blasphemetur.

Luc. 3. c Si fuerit miles qui accedit, doceatur nemini iniuriam facere, 11 neminem concutere, non calumniari, contentum autem esse stipendijs suis; neque etiam contra Christianam aut catholicam fidem aut eius propugnatores militare: si parere noluerit, reijciatur.

Inuigilet autem potissimùm Sacerdos, nequis simulet, se velle fieri Christianum, vt sub conuersionis prætextu aliquem ex Catechumenis subuertat, & à fide seducat.

Post hęc si talem inuenerit eum, qui fidem expetit, qualem esse oportet, & in proposito permanere; faciat, vt is coram Notario & testibus 12 det nomen suum, declarans voluntatem suam, atque profitens se sponte Christianum fieri, & Ecclesię mandatis parere velle; ac si liberos habeat aut alios suæ curę commissos, infantes, seu rationis vsum non habentes, se illos Ecclesiæ offerre, quandocunque illa voluerit, baptizandos, etiam si ipsum à sancto proposito, quod absit, deficere contingeret.

Quòd si habuerit vxorem, aut liberos, siue alios similiter suæ curæ commissos, in discretionis ætate constitutos, siue maiores infantibus, siue proximos pubertati, siue etiam puberes, minores tamen vigintiquinque annis, qui adhuc de suscipienda Christi fide non deliberauerint, ij ab Infidelium cohabitatione & cõsuetudine amoueantur, & apud fideles Christianos moribus & vita probatos, seiuncti ab inuicem in domo aliqua, vel alio loco tuto sequestrentur, quò Infideles quicunque accedere, aut ipsos quouis obtentu alloqui prohibeantur: sed ibidem à Presbyteris & religiosis personis sæpe visitentur, eisq. veritas fidei Christianæ, ex scripturis sanctis, ex religionis ipsius sanctitate, & miraculorum gloria aperiatur & prædicetur.

Super huiusmodi autem de suscipienda fide deliberatione non est præfiniendum certorum, aut * quadraginta duntaxat dierum spatium: cùm enim ad conuersionem prolixiore tempore plerunque opus sit, eorum iudicio ac prudentiæ, qui in illorum conuersionem incumbunt, relinquendum est, vt pro eorundem dispositione, longiori aut breuiori tempore eos detineant, prout secũdum Deum viderint expedire. Quòd si in-

* vt supra De obseruandis in generali solenniq. Baptismo. §. Quãuis autẽ Sabbati sancti Paschæ &c. & infra §. Tẽpus autẽ Catechismi. hoc ipsomet tit. De recipiendis &c.

ſi interim conuertantur, & declarauerint, ſe Chriſtianos fieri velle, tunc ab huius declarationis die numerandi ſunt quadraginta pœnitentiæ ſeu inſtructionis ante Baptiſmum dies, aut plures, prout ad eum ſuſcipiendum idonei cenſebuntur, vt & infrà dicetur.

Si antequàm conuertantur, aliqua ſigna ſeu indicia proximæ conuerſionis dederint, quamuis aliquandiu ſic detenti fuerint, non facilè, poſtulantibus aut vrgentibus parentibus aut conſanguineis, dimittantur, ſed adhuc per aliquot dies retineantur, quoad de eorum ſalute benè ſperari poteſt.

Dum autem ſic ad conuerſionem detinentur, præſertim qui Iudæi ſunt, legitima ſua & cæremonias ſeruare non prohibeantur, dummodò non propter Paſcha, nec propter alias ſuperuenientes ſolennitates legales, ad Infideles redire, aut Infideles ad ipſos accedere permittantur; ſed ſi ea ſeruare voluerint, domi vbi detinentur, ſoli ſeruent: ita tamen vt nec azyma, neque alia edulia prohibita, à Chriſtianis eis miniſtrentur. Et interim ex ſcripturis Prophetarum ipſis oſtendatur, ad ea ſeruanda Iudæos ampliùs non teneri, quòdq. huiuſmodi obſeruationes legales Meſſiæ aduentu, velut vmbræ exoriente ſole, euaneſcere debebant, & euanuerunt. Cæteris autem cuiuſcunque ſectæ Infidelibus ex ipſius ſectæ falſitate cæremonias illas impias & inanes eſſe ſuperſtitiones, quibus alligatos eos Satan in errore detinet, demonſtretur. Proponaturq. eis verus Dei cultus in ſpiritu & veritate, nam & tales vult Deus cultores, qui in ſpiritu & veritate, non in mendacijs & erroribus, colant & adorent eum.

Dum etiam ſic detinentur, [13] nulla eis, vt ad fidem conuertantur, vis aut iniuria inferatur, [14] neque durè aut aſperè, ſed humaniter & benignè tractentur, ac eis omnia neceſſaria largiter ſubminiſtrentur. Quin & ab eis cum [15] omni benignitate, manſuetudine, & charitate potiùs voluntas exquiratur, quàm coactè extorqueri videatur.

Vxor conuerſi ſi poſt omnem adhibitam diligentiam ad fidem venire noluerit, ſed obdurata in infidelitate permanſerit, dimittatur: caueat autem vir, ne ei vnquàm libellum repudij ſecundum legem Moſaicam tradat; alioquin ſi id faceret, tanquàm iudaizans puniri deberet. Neque [16] cum ea cohabitet, [17] propter periculum ſubuerſionis fidei, & blaſphemiæ, ac contumeliæ in Creatorem; niſi propter ſpem & certa indicia futuræ conuerſionis vxoris, Prælatus ſincera mariti fide & ſtabilitate confiſus, id ei ad tempus iudicauerit permittendum. Quod etiam ſeruandum erit, ſi vxor conuerſa fuerit ad fidem, & vir permanſerit infidelis.

Neque [18] filij infantes, aut lactentes apud matrem, quæ à viro fideli diſceſſerit, relinquantur, propter periculum; ne eorum ſcilicet ſaluti aut vitæ inſidietur, neve eos educando ad infidelitatis errorem adducat; ſed patris conuerſi, aut eorum qui Catechumenis præſunt, cura ſit, vt apud mulieres Chriſtianas non ſuſpectas alantur, atque in fide educentur.

Si autem vxor conuertatur ad fidem, & vir maneat in infidelitate, ipſa quoque dabit nomen, & coram Notario & teſtibus ſe [19] Chriſtianam fieri velle declarabit, ac filios, & alios, ſiquos habet ſuæ curæ relictos, infantes ſeu nondum rationis vſum habentes, Eccleſiæ vt ſuprà offeret baptizandos. Qua quidem declaratione facta, ſtatim filij & alij prædicti opportuna adhibita cautela [20] auferantur à patre, vel alijs Infidelibus; & apud eam, vel in domo Catechumenorum, vel alibi apud fideles educentur, ac fidei myſterijs, quantùm per ætatem licebit, initientur, atque vnà cum matre, cùm opportunum fuerit, baptizentur.

Lactentium verò puerorum ratio & diligens cura habeatur, vt propter ætatis imbecillitatem ac periculum, eorum Baptiſma non differatur, ſed citiùs, etiam ante matrem ipſam, baptizentur.

Minores etiam filij, alijve illius curæ concrediti, itidem ſequeſtrentur, vt eorum de fide ſuſcipienda voluntas exploretur, quemadmodum viro veniente ad fidem faciendum eſſe, ſuperiùs dictum eſt.

Pueri autem, qui parentibus infidelibus ſunt orbati, ſi conſanguineos proximiores ex linea paterna vel materna Chriſtianos habeant, veluti fratrem, ſororem, patruum,

amitam,

amitam, auunculum, materteram, aut alium vlterioris gradus masculum, vel fœminam, apud eos, gradus tamen inter ipsos fideles prærogatiua seruata, educentur & baptizentur.

Denique illud generaliter seruandum est, vt in pari gradu, fauore fidei, nulla habita sexus ratione, potior sit conditio consanguineorum fidelium, quàm infidelium; ita vt, verbi gratia, amita vel matertera Christiana patruo & auunculo Iudæo, aut alterius sectæ infideli, semper præferatur.

Ad hæc pueri in septimo, vel circiter, ætatis anno constituti, qui se vsu rationis pollere ostendunt, ad fidem sponte venientes recipiantur inter Catechumenos, & aliquandiu probentur; eorumq. voluntas coram Episcopo, vel personis non suspectis, si parentes eorum infideles vrgeant, aut ipsorum conuersioni contradicant, exploretur. Qui si in proposito permanserint, [11] nullo modo illis reddantur, sed baptizentur, & in Christiana pietate instituantur.

Si fide dignorum testimonio pueros huiusmodi, aut aliquos adolescentes, vel puellas, aut alios quoscunque fidem expetere, & à parentibus vel propinquis prohiberi, aut propterea domi inclusos teneri, vel quouis modo impediri constiterit, ab eis abducantur, & in domo Catechumenorum, aut alio tuto & honesto loco sequestrentur, vbi in fide instruantur; & ad eos non permittantur accedere Infideles, neque aliæ quæuis suspectæ personæ.

Mulieribus etiam, quæ Christianam fidem suscipere cupiunt, sed ob parentum vel consanguineorum infidelium timorem vel reuerentiam, aut ob fœmineam verecundiam non audent domo egredi, aut accedere ad Ecclesiam, & declarare se velle fieri Christianas, si per literas, aut internuntios, aut alio quouis modo suam voluntatem indicauerint, auxilium afferatur; & de propria domo, etiam si tunc, ne se prodant suis, aut alia de causa renuerent vel reclamarent, [12] amoueantur, & in domum Catechumenorum, aut in alium tutum & honestum locum ducantur, vbi apud pias & honestas personas teneantur, & explorata deinde atque comperta earum libera voluntate suscipiendæ fidei, in ea diligenter & religiosè instruantur.

Postquàm igitur aliquis ex Infidelibus venerit ad Ecclesiam, Baptismi gratiam petens, ac nomen dederit, seu suam declarauerit voluntatem, vt suprà, [13] Sacerdos Deo, quòd illum ad se vocauerit, gratias agat, & oret, vt dirigat voluntatem eius, & oculos cordis illuminet, ad intelligenda mirabilia sua, & iudicia iustitiæ suæ, vt odio habeat omnem viam iniustitiæ, & ingressus viam veritatis idoneus fiat lauacro regenerationis in adoptionem filiorum Dei, & in libro viuentium connumeretur. Et mox faciat, vt is capitis tegumentum, siue aliud signum, quod ad distinctionem Christianorum deferebat, abijciat, & habitum induat, quem fideles solent. Tum eum admoneat, vt [14] abrenunciet Diabolo, & omnibus eius operibus, fraudibus, & machinationibus, ac omni impietati, & [15] credat in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum, vnum Deum in Trinitate personarum. [16] Posteà exufflet ab eo sæuam maligni spiritus potestatem, dicens: [Exi ab eo spiritus immunde, &c.] & [17] cruce signet eum in fronte, & in pectore, dicens: [Accipe signum crucis tam in fronte ✝, quàm in corde ✝, &c.] vt suprà in Ordine Baptismi adultorum; & imponat manum super eum, & [18] dicat aliquam Orationem. Ac deinde is [19] introducatur in domum Catechumenorum, & inter Catechumenos Ecclesiæ adnumeretur, & in libro describatur.

In ea autem domo [20] Sacerdos catechizet eum diuinis sermonibus, & det ei monita salutis, quemadmodum post agnitam veritatem viuere debeat, & [21] sæpiùs exorcizet aliquibus Exorcismis, ex ijs qui suprà in memorato Ordine Baptismi adultorum continentur, arbitratu suo.

Domus autem Catechumenorum in præcipuis vrbibus, & insignibus oppidis, vbi Iudæi alijve Infideles habitant aut commorantur, institui debet, cui viri religiosi & exploratæ fidei in Rectorem & ministros præficiantur. In [22] ea verò fœminæ à maribus, pueri ab adultis, viri ab vxoribus, diuersas atque distinctas mansiones habeant; ac

his

his Presbyter probatæ vitæ & doctrinæ conſtituatur Catechiſta, qui eos aſſiduè in fide erudiat; ad Eccleſias vt ibi orent ducat, cum ipſis ſæpè colloquatur de rebus ad fidem & ſalutem pertinentibus, atque eis explicet ea quæ in Eccleſijs conſpiciuntur circa externum cultum, altaria, ſacras imagines, & ornamenta.

Ex ea autem domo, dum in pœnitentia & Catechiſmo degunt, rarò & non niſi rationabili cauſa Catechumeni egredi permittantur, nunquam verò ſoli, ſed ſemper cum comite fideli; neque ſuos vel alios Infideles adire, neque per viam eos alloqui, neque [13] cum eis cibum ſumere, aut negotia tractare ſinantur.

Neque verò Infideles permittantur ad domum Catechumenorum accedere, ſed cùm eam prætereunt, procul inde confeſtim recedere iubeantur.

Interim in ipſa domo Catechumeni otioſè ne viuant, ſed horis, quibus catechizantur & diſcunt ea quæ oportet, exceptis, in exercitatione aliqua corporali, vel arte quam callent, vel in domus obſequijs occupentur.

Vbi autem Catechumenorum domus nulla eſt, maiores & adulti mares detineantur apud fideles & timoratos viros, vel in aliquo monaſterio, vel domo probatorum Monachorum, aut aliorum regularium: fœminæ verò apud nobiles & honeſtas matronas. Minores autem, & impuberes, ſimiliter apud pios viros, vel apud probas & religioſas mulieres ſequeſtrentur fide & moribus inſtituendi. His quoque eruditus aliquis, & pius Sacerdos in Catechiſtam præficiatur, qui eos frequenter inuiſat, & catechizet.

Tempus autem Catechiſmi licèt [14] quadraginta dierum ſpatio ſoleat definiri, experientia tamen docet, quæ & [15] ſacris canonibus conſona eſt, diuturniorem Catechiſmum valdè vtilem eſſe ad Baptiſmum dignè recipiendum, & poſtmodum eo ſuſcepto in Chriſtiana diſciplina perſeuerandum. Qua in re habenda eſt ratio perſonarum venientium ad fidem. Nam illis [16] qui anteà benè conuerſati fuerunt, & ab his, qui foris ſunt, bonum teſtimonium habent, quiq. docilitatem & pietatem præſeferunt, quadraginta dierum Catechiſmus ſufficiet, ac interdum breuior, ſi ipſi ante quadraginta dies ſatis idonei ſint, & iuſta de cauſa ita fieri expediat, de licentia tamen Ordinarij, aut alterius Superioris. Qui verò rudiores & non adeò dociles, ſed tardioris ingenij fuerint ad rudimenta fidei addiſcenda, atque ad ea, quæ ipſos ſcire oportet percipienda, ſimiliter & qui malis moribus præditi fuerint, quamuis hebete ingenio non ſint, & benè omnia, quæ ad doctrinam Chriſtianam ſpectant, didicerint, vt ſi ſuperbi, elati, contentioſi, contumelioſi, vaniloqui, ſeditioſi, inobedientes, indeuoti, ſimulatorésve, aut rerum temporalium nimiùm cupidi fuerint, qui denique priſtinos mores & vitia adhuc retinent, hi non ſunt tam facilè baptizandi, ſed expectandum, donec priore vitæ conſuetudine derelicta, profectus in eis circa bonos mores & doctrinam euidentiùs dignoſcatur.

Infidelium [17] quoque Sacerdotes & magiſtri, & hi, qui ſuperſtitionibus ſuæ ſectæ adhuc videntur addicti, tandiu probentur, quoad illas deſeruerint, & à ſe penitus abdicarint.

Rabbini [18] verò Iudæorum, qui anteà diuinas ſcripturas ſcrutati, per eas illuminati fuerint, ac bonis moribus alioqui pollent, non tam longo indigent Catechiſmo; niſi fortè & ipſi cæremonijs, & ritibus Iudaicis nimiùm dediti ſint: quia tunc diutiùs in Catechiſmo, donec ab eis deſueſiant, retinendi ſunt.

Qui à partibus Infidelium ad regiones Chriſtianorum vt Baptiſmum ſuſcipiant venerint, diligenter examinentur, & diu probentur. Ac ſi vernaculam linguam Chriſtianorum eius Prouinciæ, ad quam peruenerunt, non intelligant, per Clericos idoneos & interpretes Chriſtianos, qui eorum linguam probè norint, in fide & moribus inſtruantur: ſi autem interpretes deſint, eouſque in Catechiſmo detineantur, dum linguam eiuſdem Prouinciæ intelligant, & interim eorum Baptiſmus, niſi neceſſitatis caſus occurrat, differatur. Verùm vbi Presbyteri & Clerici deſunt, nihil impedit quominus [19] fidelis laicus, peritus tamen ſermonis, & moribus grauis, adhibeatur, qui illos priuatim doceat, & catechizet.

Hortandus eſt autem qui Catechumenis erudiendis vacat, vt hoc catechizandi munus adeò illorum ſaluti neceſſarium libenti promptoq. animo adminiſtret, ac alijs etiam 40 bonis operibus anteponat.

Qui metu vltimi ſupplicij, aut alterius pœnæ temporalis vitandæ cauſa Chriſtianam fidem amplexi ſunt, aut amplecti volunt, longiori tempore, quoad licebit, ſunt probandi; & niſi ex indulgentia Principis aut Magiſtratus, pœna fuerint liberati, apertè eos moneri oportebit, Baptiſmi Sacramentum pœnam non remittere temporalem, nec ſibi ad Eccleſiam confugiendum eſſe ſpe impunitatis, ſed vt ſempiternam pœnam euadant, accepta per Baptiſmi lauacrum remiſſione peccatorum, & ab omni reatu mundati vitam conſequantur æternam. Atque hi quidem in carcere & tuto loco catechizentur, humaniterq. tractentur; ac ſi veræ pœnitentiæ, & recti in fide propoſiti ſigna oſtenderint, Sacerdotes vel qui Catechumenorum curam gerunt, pro eis apud Principes & Magiſtratus intercedant, vt in ſuſceptæ fidei & ſuſcipiendi Baptiſmi reuerentiam, vltimum eis ſupplicium, ſeu pœna temporalis remittatur, aut ſaltem in mitiorem commutetur.

Serui ſimiliter diu probentur; & edoceantur, per Baptiſmum ipſos à temporali ſeruitute Dominorum non liberari, ſed à ſeruitute Diaboli & peccati, vt Chriſti ſerui efficiantur, cui ſeruire regnare eſt. Veruntamen eorum Domini moneantur, vt eos tanquàm æterni Domini conſeruos 41 benigniùs tractent, & ſtatis diebus in domũ Catechumenorum, vel ad Eccleſiam mittant, vt catechizentur, ac eos à fide non deterreant, vel auertant, néve vllo modo impediant; alioqui quòd de fide malè ſentiant, redderent ſeſe ſuſpectos.

Si 42 Catechumenus vxorem habet, aut Catechumena virum, doceatur vterque ſuo connubio contentus eſſe. Si ſint ſoluti, diſcant non fornicari, ſed poſt acceptum Baptiſma, niſi cœlibatum amplecti, & ſe continere maluerint, iuſtis nuptijs in Domino copulari.

Siquis autem ex Mahumetica vel alia ſecta, qua plures vxores ducere & habere licet, Chriſto nomen dederit aut dare voluerit, admoneatur, illud neque naturali, neque diuino, aut humano iure fas eſſe; ac proinde prima tantùm vxore, ſi legitimè ducta eſt, retenta, reliquas dimitti oportere: quod ſi fecerit, & illa fidem ſuſceperit, matrimonium inter eos ratum erit: at ſi alias dimittere noluerit, inter Catechumenos non recipiatur.

Quo tempore Catechumeni in Catechiſmo & probatione ſunt, doceantur, non temerè, non inconſultè, non imparati ad Baptiſmi Sacramentum accedere, ſed iuxta illud Actuũ Apoſtolicorum; Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. *Act. 2.* debere retroactæ vitæ pœnitere, nouam incepturos; quamobrem & in primo Scrutinio cinere in pœnitentiæ ſignum conſperguntur. Hanc autem præſeferre etiam debent & operibus & exterioribus ſignis, nempe humili ac modeſto habitu, abiectisq. pretioſis veſtibus & curioſis. Itaque ad balnea, theatra, ludos, ſpectacula, & huiuſmodi loca non accedant, ac ab omni ſpecie mali abſtinentes, ſobriè, piè, & caſtè viuant, & à proprijs etiam vxoribus ſe contineant.

Præterea 43 crebris orationibus, geniculationibus, lacrymis, vigilijs, ieiunijs, & ſimilibus pœnitentiæ operibus, quæ in Baptiſmo adultorũ ex antiquo Eccleſiæ more præmitti conſueuerunt, aſſiduè vacent, pauperum miſereantur, eleemoſynas ſecundum facultates ſibi à Deo datas largiantur, & in alijs pijs charitatis officijs ſe exerceant, atque ſemetipſos in omnibus probent. In Catecheſim animum intendant, & quotidie congruo tempore, mane ſcilicet & veſpere, inſtruantur. Eccleſiam frequenter adeant, in qua tamen ſeorſum ab alijs fidelibus orent, & Miſſæ tantùm Catechumenorum interſint, vt & ſuperiùs, de Obſeruandis in generali ſolenniq. Baptiſmo, dictum eſt.

Siquod 44 graue peccatum interim admiſerint, correctioni & coercitioni ſubijciantur ſui Rectoris ſeu Præfecti, qui iuxta delicti qualitatem in eos animaduertat, ea tamen moderatione, ne pœnæ acerbitate deterreantur, ac à fidei propoſito recedant.

Si

Si tentatione aliqua, dum in Catechiſmo ſunt, à fide defecerint, & ad infidelitatem redire voluerint, non ſtatim propterea dimittendi ſunt, ſed aliquantiſper detinendi. Interim verò piorum virorum ſuaſionibus, hortationibus, & oratione detur opera, vt reſipiſcant: qui ſi nihilominus, ſanis ſermonibus non acquieſcentes, in infidelitate perſtiterint, abire ſinantur.

Liberi verò eorum, & alij, quos Eccleſiæ Chriſtiana fide imbuendos obtulerunt, retineantur, & baptizentur ſi nondum fuerint baptizati; niſi ſint adulti, qui & ipſi fidem ſuſcipere renuant, ac recedere velint.

Propter [45] tentationes autem, quas Catechumeni frequenter patiuntur, eos ſæpè exorcizari [46] oportet, eiſq. à Presbytero ſæpè manus imponi: curandumq. eſt, vt pro ipſis in Catechumenorum domo & Eccleſia, ac in alijs Eccleſijs, Monaſterijs, & pijs locis aſſiduæ orationes fiant. Sed & ipſi moneantur, vt cùm de incredulitate tentantur, vel modicæ ſe fidei eſſe agnoſcunt, ad Chriſtum conuerſi ſæpiùs dicant: Adiuua Domine incredulitatem meam. Item: Adauge Domine fidem. atque humiliter & inſtanter orantes, ſtabilis fidei donum petant. Et ſiquando à malignis ſpiritibus eos corripi & vexari contingat, quod nonnunquàm euenire ſolet; ſimiliter ſuper eis imponantur manus, & fiant Exorciſmi & orationes, vt etiam ſuprà dictum eſt de Obſeruandis in generali ſolenniq. Baptiſmo; & traditur infra libro tertio de Exorciſmis ſuper Energumenos Catechumenos.

Cum Catechumenis prætereà mitiùs agendum; non aſperè, nec durè tractandi ſunt; neque ea, quæ prouectiorum in fide, ac perfectiorum ſunt, eis facienda ſtatim proponi debent, iuxta illud Apoſtoli ad Corinthios: Non potui vobis loqui quaſi *1.Cor.3.a* ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquàm paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis. Neque etiam Chriſtiana perfectio ab eis exigenda eſt, iuxta ſententiam Saluatoris: Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior *Matth.9.b* ſciſſura fit. Neque mittunt vinũ nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. ſed paulatim Chriſtianam perfectionem edocendi ſunt, & interim quædam ipſorum imperfectiones, quoad in Chriſtiana pietate coaleſcant, Chriſti exemplo qui diu ſuſtinuit Diſcipulos ſuos, tolerandæ ſunt. Qua in re imitandus eſt etiam Apoſtolus, qui ait: Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos *1.Cor.9.d* lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Quapropter in principio Catechumeni ad ea, quibus nondum aſſuefacti ſunt, aut quæ alioquin ipſis ſunt difficilia, nimiùm vrgeri aut cogi non debent, modò abſit contemptus aut ſuperſtitio.

Qui itaque flexis genibus orare aſſueti non fuerint, non diu in genuflexione, donec ſic orare aſſueſcant, detineantur.

Ad carnium aut aliarum eſcarum ſibi olim religione aut lege vetitarum eſum, qui ad eas nondum aſſueti in ijs ſumendis nauſeam patiuntur, eos compelli non oportet: ſufficiat [47] autem ſi illas interim deguſtent, aut olera cum ipſis cocta comedant, ne eas abominari aut execrari, aut propter conſcientiam eis veſci nolle videantur: vel ſi ſaltem alios cibos in Chriſtianorum aut vaſis decoctos, aut patinis appoſitos non reſpuant aut diſcernant. Ita & in conſimilibus caſibus, qui Catechumenis præſunt, omni cum charitate & diſcretione erga ipſos, ne linum fumigans extinguant, probè ac prudenter ſe gerant.

Quoniam verò ante Baptiſmum ea, quæ credere & quæ ſeruare debent, [48] edocendi ſunt, iuxta præceptum Domini dicentis: Euntes docete omnes gentes, bapti- *Matth.28.d* zantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. ideò in Catechiſmo Sacerdos primùm Catechumenos inſtruat de myſterio ſanctæ Trinitatis, illud eis planè ac ſimpliciter exponens: non arduas diſputationes, non difficiles aut perplexas Theologicas quæſtiones, quibus vel confundi, vel de fide dubij reddi poſſent, proponens.

Deinde eos doceat ex Moyse & Prophetis, ex Apostolis & Euangelistis, omnipotentem Deum omnia per Verbum sibi coæternum & consubstantiale, hoc est vnigenitum filium suum, tam visibilia quàm inuisibilia initio creasse, atque ex nihilo condidisse.

Explicet autem eis casum Angelorum, & 49 ordinem creationis, & diuinam in creaturas prouidentiam, cur mundus conditus, cur homo creatus, quomodo gratia &
Eccli.15.c arbitrij libertate donatus, & in paradiso colonus positus, quomodo inuidia
Sap.2.in fine. Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & primi parentes ab eo seducti, Dei præceptum præuaricantes per inobedientiam ceciderunt, & quomodo originale peccatum ab Adam in posteros omnes perpetua damnatione transmissum est;
Rom.5.b nam sicut ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Quomodo item Deus sua bonitate & clementia bonos & iustos in 50 qualibet ætate honorauerit, vt Seth, Enos, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph: Iob, Moysen, Iosue, Caleb, Phinees, & Samuelem; Dauid, Iosaphat, & Ezechiam Reges; Eliam, Eliseum, ac Danielem Prophetas; Esdram, Nehemiam, Tobiam, & Mardochæum; Iudam, eiusq. fratres Machabæos; & alios, qui in quouis
Hebr.11.b seculo sanctitate præstiterunt; & largissimus semper fuerit remunerator inquirentibus se. 51 Sceleratos autem homines & impios omni quoque ætate grauiter puniuerit, vt Cain, Core, Dathan, & Abiron cum eorum vxoribus, liberis, & substantia; Goliath, Holofernem, & Aman; ac Reges Achab, Sennacherib, Nabuchodonosor, Baltasar, Antiochum Epiphanem, & alios diuini numinis contemptores; atque etiam sæpenumero gentium multitudinem; vt in vniuersali diluuio tempore Noe; in confusione linguarum ædificantium turrim Babel; in subuersione Sodomæ & Gomorrhæ & reliquarum vicinarum ciuitatum, igne & sulphure de cœlo immisso; in submersione Pharaonis & exercitus eius in mari rubro; in filiorum Israel, qui in deserto contra Dominum vel Moysen & Aaron murmurauerũt, aut sacerdotium sibi arrogare contenderunt, pestilentia, incendio, gladio, vel diro serpentium morsu percussorum interitu & perditione; in Regum populorumq. Chananæorum ac gentium finitimarum cæde, exitio, & euersione; in populi Israel, cùm vero Dei cultu derelicto ad idola & abominationes gentium se conuertebant, frequentibus cladibus, flagellis, & captiuitatibus; & in similibus euentibus iustorum iudiciorum eius euidenter ostensorum. Quomodo denique peccatoribus & iniquis pœnas & supplicia irrogauerit; bonis autem & iustis honores & præmia tribuerit; vt iustissimus vindex, & æquissimus retributor. Atque ita erudiat eos de his, quæ in diuinis scripturis tam circa misericordiam & benignitatem, quàm circa iram Dei, ad ostensionem bonitatis & sempiternæ iustitiæ eius, & ad nostram doctrinam & correptionem scripta sunt.

Posteà verò doceat, quomodo Deus, qui diues est in misericordia, statim post Adæ peccatum promiserit se missurum Christum, vt serpentis caput contereret, idest vt Diaboli regnum, quod in humanum genus sibi iniquè vsurpauerat, destrueret, & nos à potestate tenebrarum eriperet, & transferret in regnum suum, & ipsum deinde omnibus sequentibus seculis vsque ad eius aduentum repromiserit Patribus per Prophetas, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, vt meritò
Rom.5.d dicat Apostolus: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam. Ac tum opportunè eorundem Prophetarum diuina oracula & prædictiones de eiusdem 52 æterni Verbi vnigeniti Dei filij Domini nostri Iesu Christi incarnatione, natiuitate, prædicatione, virtutibus, miraculis, alijsq. operibus, passione, morte, sepultura, resurrectione, & in cœlum ascensione, de Spiritus sancti missione, Apostolorum in toto terrarum orbe prædicatione, gentium vocatione & conuersione, deq. futuro iudicio, & futura omnium resurrectione, de secundo Christi aduentu ad viuos

& mor-

& mortuos iudicandos, de promiſſione,& ſpe vitæ æternæ, de retributione vnicuique rependenda iuxta opera ſua,de futura gloria,de igne & alijs gehennæ pœnis, & æterna reproborum damnatione,Catechumenis fideliter exponat: atque ita paulatim explicet eis myſteria regni cœlorum.

Verùm quemadmodum Ethnicis & Infidelibus diuina myſteria propalanda non ſunt, dicente Domino in Euangelio: Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. *Matth.7.a* ita cum Catechumenis magna diſcretione agendũ eſt, vt iuxta ſanctorum Patrum documenta & traditionem,non omnia præſertim ſacratiora quædam fidei myſteria eis aperiantur, quòd ea vel non capere, vel impoſſibilia reputare,aut irridere facilè queant, [53] ſed ea tantùm, quæ in vulgus efferri fas eſt, & non credentibus prædicari tutò poſſunt. Quæ autem reconditiora, & magis myſtica ſunt, poſt Baptiſmum cùm iam intra Eccleſiam fuerint, commodiùs poterunt edoceri: [54] quæ & ipſi apud ſe occulta & clauſa tanquàm ſigillo obſignata cuſtodiant, nec Infidelibus prodant.

Siqui verò Catechumenorum ea myſteria noſſe, ſeu [55] eorum rationem intelligere quærant,fides & humilitas eis commendanda & inculcanda eſt teſtimonijs ſcripturarum, cuiuſmodi eſt illud: Iuſtus ex fide viuit. *Rom.1.b* Et illud: Niſi credideritis, non intelligetis. *Eſaiæ 6.a* Item: Beati qui non viderunt, & crediderunt. *Ioan.20.g* Et illud: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus: non eſt enim tibi neceſſarium ea,quæ abſcondita ſunt,videre oculis tuis. *Eccli.3.c* Itemque: Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. *Prouer.25.d* Sunt præterea confirmandi antiquorum Patrum exemplis,qui non quærentes rationem eorũ, quæ à Deo iubebantur, humili & conſtanti in eum fide imperata faciebant,atque ita illuſtria & admirabilia opera ediderunt,quorum etiam præclarę fidei exempla Apoſtolus commemorat in Epiſtola ad Hebręos. [56] Ac proinde hortandi, monendiq. ſunt, vt ea quæ de fide Trinitatis,& humani generis redemptione per Chriſtum, ac de ſpe futuri ſeculi eis tradita ſunt, fideliter credant atque retineant,ſcientes quòd ſi priùs crediderint, omnia poſtmodum ſuo tempore intelligent; & quando ſublimitatem eorum, quæ eis non traduntur didicerint, tunc planè cognoſcent, idoneos non eſſe Catechumenos ad ea audienda.

Sed & ſiqua proprio ſenſui repugnare, aut eis impoſſibilia fortaſſe videbuntur, admoneantur, vt captiuantes intellectum in obſequium fidei, quæ eis credenda proponuntur firmiter credant,quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, & quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Cæterùm dum catechizantur inſtituendi [57] ſunt non ſolùm doctrina fidei,ſed etiam diſciplina morum & pietatis, ac confirmandi exemplis ex geſtis Patriarcharum, Prophetarum,Apoſtolorum,Martyrum,Virginum,Anachoretarum,ac aliorum Sanctorum petitis, quòd ea plurimùm conferant ad ædificationem fidei & veræ pietatis, atque ad imitationem prouocent; vt & ipſi per Baptiſmum deinde renouati, & Sanctorum imitatores, quantùm Dominus dederit, effecti, eius vitæ vſum teneant, quæ ablutos decet, ac tales ſe in poſterum prębeant, quales eſſe oportet fideles in Chriſto renatos.

Catechumenos,qui ingenio perſpicaci & intelligentiores ſunt,Presbyter catechizet in fide ex diuinis ſcripturis iuxta modum ſeruatum à ſanctis Patribus, pręſertim verò Auguſtino in libro de Catechizandis rudibus,& in concione ad Catechumenos contra Iudęos,Paganos & Arianos,& in alijs eius opuſculis,& ſermonibus,vt CXVI. de tempore,& in ſermone ad Competentes,VIII. in libro de diuerſis. Ad id etiam adhibere poterit lectionem ſanctorum Cyrilli Hieroſolymitani in Catecheſibus ad eos qui illuminantur;Gregorij Nazianzeni in orationibus,in ſancta Lumina,& in ſanctũ Baptiſma; Baſilij Magni in ſermonibus de Baptiſmo,ſiue in exhortatione ad Baptiſmum;Gregorij Nyſſeni in orationibus, de ſancto Baptiſmate, & aduerſus eos, qui illud differunt;Io.Chryſoſtomi homilia XIIII.in ſanctum Marcum ad Catechumenos

baptizandos, homilia XXI. ad populum Antiochenum de Catechesi ad Illuminandos, & in alia ad baptizandos; Ioannis Damasceni in historia sanctorum Barlaam Anachoretæ & Iosaphat filij Regis Indorum, vbi perfectam & absolutam Catechesim tradit, ac aliorum Patrum, qui de ea re tradiderunt, quorumq. sententiæ in Burchardi, Iuonis, & Gratiani Decretis continentur: item Ambrosij siue Prosperi in libris de vocatione gentium. Eruditiores quidem Catechista Theologus in fide pleniùs edoceat: at infirmos, & quorum animos nutare intelligit, erigat atque confirmet.

Catechumenos quoque de Iudaismi, aliarumq. eorum olim sectarum erroribus admoneat, & tam ex sacris literis, quàm ex varijs veterum & sanctorum Patrum libris ac tractatibus, præsertim verò aduersus Iudæos, & Gentes conscriptis, quorum aliqui inferiùs commemorabuntur, earum falsitatem redarguat ac refutet, & fidei veritatem astruat. Et ad tollendas de eorum mentibus falsas, siquas olim imbiberunt, de humana anima opiniones, doceat eos, rationalem animam non corpoream, sed spiritualem esse substantiam, & immortalem, intellectus, memoriæ, & voluntatis potentijs, quibus ad imaginẽ Dei creata est, præditam, & alia huiusmodi, quæ ad errores refellendos nouerit accommodata.

In primis autem eos doceat, quomodo se signo crucis signare debeant, ducta scilicet dextra manu à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, simul dicendo dum tangunt frontem, [In nomine Patris;] dum pectus, [& Filij;] dum sinistrum & dextrum humerum, [& Spiritus sancti.] Tum eis ostendat eiusdem signi vim atque virtutem aduersus dæmones & contrarias potestates, quòd videntes signum summi Regis expauescant, & territi ac confusi procul aufugiant. Quare eos moneat, ne se crucis signum erubescant, sed sibi illud in fronte sæpissimè & confidenter imprimant, & in eo etiam maximè glorientur, iuxta illud Apostoli: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, & id quod cantat Ecclesia: Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus. Doceatq. eos, ideò in fronte, quæ sedes est pudoris, hoc signum fieri, ne fideles Christi crucem, quæ anteà opprobrio erat, erubescant. Hortetur igitur illos, vt publicè & priuatim salutari signo crucis se muniant, cùm cubitum eunt, cùm surgunt, cùm domo prodeunt, cùm Ecclesiam intrant, cùm orare incipiunt & desinunt, cùm opus aliquod aggrediuntur, cùm iter suscipiunt, cùm equum aut nauim conscendunt, cùm aliquod eis periculum impendet, aut pauor occurrit, cùm cibum aut potum sumpturi sunt, & in omni denique negotio & actione.

Galat. 6. c

Symbolum Apostolorum eis sæpiùs exponat, primùm simpliciter, deinde pro ipsorum audientium captu luculentiùs, tum ex Symbolo Nicæno & Constantinopolitano, quod cantatur in Missa, & ex Symbolo sancti Athanasij Alexandrini, tum etiam ex sanctis Patribus, vt Ambrosio in tractatu in Symbolum Apostolorum, & Augustino in quatuor libris de Symbolo, seu regula fidei ad Catechumenos, in libro de fide & Symbolo, & in pluribus sermonibus de tempore, in quibus illud Competentibus tradit vel exponit, vt CXV. CXIX. CXXIII. CXXV. CXXXI. CLXXIX. CXCII. CXCIII. & CXCIIII. Cyrillo Hierosolymitano in Catechesibus præcitatis, nempe à sexta vsque ad xviij. Io. Chrysostomo in homilia prima & secunda de expositione Symboli Apostolorũ, Maximo Taurinensi in homilia in traditione Symboli, & Petro Chrysologo in sermonibus LVI. & sex sequentibus de Symbolo Apostolorum, quos habuit ad Competentes. Item ex Rufino Aquileiensi, sancto Thoma de Aquino, & Catechismo Romano in expositione eiusdem Symboli Apostolorum, vel etiam ex alijs Patribus & Theologis, qui super eo scripserunt.

Explicet quoque eis orationem Dominicam, ac singulas illius petitiones, & vbi videbitur ad ipsorum audientium ædificationem conferre posse, ex sanctis Patribus in eorum commentarijs, vel proprijs opusculis, veluti Cypriano de oratione Dominica, Augustino in libro secundo de sermone Domini in monte, & in Epistola CXXI. ad

Probam

Probam de orando Deum, & in libro quinquaginta homiliarum, homilia XLII. Item in quibuſdam ſermonibus de tempore, in quibus eam vel Competentibus exponit, vt ſermone CXXVI. & CXXXV. vel Neophytis, vt CLXXXII. & in libro de diuerſis, ſermone IX. ad Catechumenos & Neophytos, & ſermone X. ſequenti, & ſermone XL. Gregorio Nyſſeno in orationibus ſeu homilijs quinque de oratione Dominica, Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi myſtagogica V. Io. Chryſoſtomo in homilia de oratione Dominica, Petro Chryſologo in ſermone LXVII. & quinque ſequentibus in orationem Dominicam, in quibus ſimiliter eam Competentibus exponit; & beato Thoma in eius expoſitione, alijſq. Patribus, ac ſacris interpretibus diuinorum eloquiorum, atque ex ipſo item Catechiſmo Romano.

Eandem verò orationem & Symbolum ipſi Catechumeni memoriæ mandare, & ſępiùs recitare ſtudeant.

Doceat prætereà Catechumenos 59 præcepta Decalogi, Dilectionis Dei & proximi, ac Legis naturalis erga proximum, virtutes Theologicas, & Morales, Beatitudines, Fructus Spiritus, Opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia, & Euangelica conſilia.

Doceat item eos de peccatis capitalibus & mortiferis, vt ea vitare ſciant, ac 60 ab his in poſterum abſtineant, prout tenentur, quemadmodum & cæteri fideles: de corporis Senſibus, vt eos à peccato cuſtodiant: de Inimicis hominis: de quatuor Nouiſſimis, atque alijs, quæ ad Chriſtianæ vitæ inſtitutionem pertinent.

Inſuper eos doceat, omnipotentem & miſericordem Dominum non modò vt Deum & Creatorem, verùm etiam vt Patrem & humani generis Redemptorem, ſpecialem curam atque prouidentiam de electis ſuis & in ſe credentibus habere: quod oſtendet exemplis & auctoritatibus ſcripturarum vtriuſque inſtrumenti, præſertim verò
Pſalmographi dicentis: Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſpe- *Pſal.32.d*
rant ſuper miſericordia eius; Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.
Et rurſus; Imminet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. *Pſal.33.b*
Item; Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Do- *Ibid.c*
mini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Itemque; Multæ *Ibid.d*
tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum; vnum ex his non conteretur. Ac rurſus; Nouit Dominus *Pſal.33.c*
dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in
tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. Et infrà: Apud Dominum greſſus *Pſal.36.d*
hominis dirigentur, & viam eius volet. Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Item infrà: Conſiderat peccator iuſtum, & quærit *Ibid.f*
mortificare eum, Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum cùm iudicabitur illi. Et infrà; Salus autem iuſtorum à Domino, & pro- *Ibid.g*
tector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos,
& eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo. Item: Qui habi- *Pſal.90.a*
tat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur, & quæ ſequuntur. Et alibi ſępè. Tum ex alijs ſacris libris, vt cùm dicitur; Qui timent Dominum, *Eccli.10.c*
erunt in oculis illius. Item; Oculi Domini ad timentes eum. Et rurſus; Oculi Do- *Eccli.15.d*
mini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ar- *Eccli.34.c*
doris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatē, & vitam, & benedictionē. Idemq.
confirmabit verbis Chriſti in Euangelio, cùm ait; Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? *Matth.10.d*
Et vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.
Et demum; Capillus de capite veſtro non peribit. Quod & in Martyrum & aliorum *Luc.21.d*
Sanctorum geſtis mirificè elucet. Ac proinde eos, vt in Deo omnem ſpem, omnemq. fiduciam collocent, admonebit.

Eos etiam doceat, quæ dum initiantur diſcere, ac per ſe ipſos, cùm interrogati fuerint, reſpondere debeant; 61 quid item in Baptiſmi Sacramento renuntiandum, quidve

credendum ſit; [62] oportere primùm eos diſcedentes à fidei contrarijs, abrenuntiare Diabolo, deinde Chriſto ſe adiungere, ipſius fidem profitentes, ac ita priùs de corde omni impietate & malitia expulſa, veram pietatem amplectentes, myſteria ingredi, & ad Baptiſmi gratiam accedere, ſanctaq. percipere debere. [63] Renunciatur autem Diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Opera verò Diaboli, opera carnis eſſe intelliguntur, quæ ſunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & alia his ſimilia, quæ nimirum diabolico inſtinctu priùs cogitatione mentis concipiuntur, quàm opere perpetrentur. Pompæ verò eiuſdem, ſunt ſuperbia, iactantia, elatio, vanagloria, faſtus, & alia quàmplurima, quæ ex his oriuntur.

Det autem operam prudens Catechiſta, vt omnia quæ Chriſtianæ fidei repugnant, aut [64] diſciplinam impediunt, remoueantur, ac de eorum cordibus funditus euellantur; vt his, quæ ſunt religionis & pietatis rectè imbui poſſint.

Quocircà moneat eos, vt auguria, auſpicia, diuinationes, incantationes, ſortilegia, omnes denique ſuperſtitiones, tanquàm Diaboli commenta & machinationes vitent: ſectentur verò ſincerum religionis cultum, veritatem, iuſtitiam, miſericordiam, abſtinentiam, verecundiam, pudicitiam, caſtitatem, manſuetudinem, benignitatem, & reliquas Chriſtianas virtutes, vt mentis humilitatem, oculorum modeſtiam, linguæ continentiam, ſenſuum mortificationem, corporis caſtigationem, ſuperbię cōpreſſionem, cogitationum puritatem, iræ moderationem, patiētiam in tribulationibus, Dei & ſibi præpoſitorum iuſſionibus promptè & humiliter obedire, non reddere malum pro malo, non vlciſci, ſed potiùs benefacere malefacientibus, inimicos diligere, orare pro perſequentibus, iniurias ęquanimiter ferre, non iurare, non mentiri, non fraudare, non contumelias inferre, nec turpia aut ſtulta ſiue ſcurrilia loqui aut facere, neminem calumniari aut circumuenire, neque aliud quicquam illicitum perpetrare, ac omnes pręterea prauos habitus, & malas conſuetudines abijcere: Moriendum enim ſibi eſſe peccato, viuendum autem Deo. Nam & tunc digni erunt in nomine ſanctæ Trinitatis baptizari, ac ſuperna regenerari virtute, ſi & vitia & priſtinum viuendi modum & locum, & pręteritę vitę ſocios mutent, vt ſpiritu viuentes Chriſtum indui mereantur, quemadmodum dixit Apoſtolus: Quicunque in Chri-
Galat.3.d ſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Siquis interdum Catechumenorum per animi elationem dixerit aut ſignificauerit nolle ſe vnà cum reliquis Catechumenis, aut cum pauperibus, vel illis, aut illis, ſed
Iacobi 4.b vel ſolum, vel cum certis quibuſdam tantùm baptizari, docendus erit Deum ſu-
Petri 5.b perbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam, ac proinde ſanctum Baptiſmi lauacrum non faſtum aut arrogantiam admittere, ſed pœnitentiam requirere, & animi humilitatem, [65] neque alienum à dignitate ſua putare debere eum, qui diuitijs affluit, ſimul cum paupere baptizari, cum obſcuro nobilem, herum cum eo qui ſibi ſeruus fuit. Nemo enim vnquam tantopere ſe demittet, quantopere Chriſtus, in quo baptizatur quicunque ſalutaribus aquis intingitur, ſeſe deiecit, qui ſalutis noſtrę cauſa ſeruilem quoque formam aſſumpſit.

Siquis pręterea ambitione ductus inſinuauerit ſe non à deputato presbytero, ſed ab Epiſcopo tantùm, aut magno aliquo Prælato, ſiue etiã eximiæ ſanctitatis Sacerdote Baptiſmi Sacramentum ſuſcipere velle; doceatur [66] eum qui curatione indiget, de iudicibus ſibi iudicium arrogare non debere, nec eorum à quibus purgatur dignitates, pretiaq. anxiè & moroſè diſquirere; & quamuis [67] alius alium probitate vitę aut gradus dignitate pręcellat, eandem tamen cuiuſque Baptiſmi in ſanctę Trinitatis nomine collati vim eſſe. Baptiſmus [68] namque talis eſt, qualis ille eſt in cuius poteſtate datur, non qualis eſt ille per cuius miniſterium datur. Et [69] ideo ſi vnus à viro iuſto & ſancto baptizetur, alter ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ, vnum tamen & par & æquale eſt quod accipiunt, [70] quia per miniſtros diſpares, Dei munus æquale eſt, cùm non
Ioan.1.e illorum ſit munus, ſed ipſius Chriſti, [71] qui principaliter baptizat.

Doceat

Doceat quoque eos ad pœnitentiam superioris vitæ, quæ exigitur ante Baptismum, probè tenendam, vt [72] contritionem vel saltem attritionem habeant omniũ peccatorum ac delictorum, quæ contra Deum & proximum commiserunt, vt ea nimirum ipsis displiceant, & [73] si qui spiritus feruore seu deuotione sibi vel alteri presbytero peccata quę hactenus admiserunt, confiteri velint, audiantur, non [74] quidem vt eorum absolutionem accipiant, sed vt [75] sic ea seriò & ex animo se odisse perspicuum faciant, atque ex huiusmodi humiliatione & pudore se magis idoneos præstēt ad Baptismi gratiam recipiendam, vel vt ad peccata vitanda remedia suscipiant, aut spiritualis vitæ præceptis informentur.

In huiusmodi autem confessione non [76] oportebit omnia singillatim peccata, neque omnes illorum circunstantias confiteri, sicuti in Sacramentali confessione fieri debet; sed grauiora tantùm sat erit enarrare. Etenim [77] nec eis vlla per presbyterum satisfactio seu pœnitentia imponi, [78] neque absolutio impendi debet; [79] verùm si vel famæ vel bonorum restitutionem certis personis facere tenentur, is eam pro loco & tempore faciendam imponat.

Cùm Baptismi tempus institerit, Sacerdos instruat Competentes de Sacramento Baptismi, & de eius ad salutem consequendam necessitate, vi, [80] vtilitate, & effectu: & quòd, sicut docet B. Cyrillus [81] Hierosolymitanus: Magnum est sanè propositũ hoc Baptisma; captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cœlum, delitiæ paradisi, regni cœlestis conciliatio, charismaq. adoptionis filiorum. Et S. Gregorius [82] Nazianzenus: Baptismus est splendor animarum; vitæ in melius mutatio; conscientiæ ad Deum interrogatio: Baptismus infirmitatis nostræ adiumentum; Baptismus carnis est abiectio; Spiritus assectatio, verbi participatio, figmenti instauratio; peccati diluuium; lucis communicatio; tenebrarum depulsio; Baptismus vehiculum ad Deum; peregrinatio cum Christo; fidei adminiculum; mentis perfectio; cœlestis regni clauis; vitæ commutatio; seruitutis abrogatio; vinculorum solutio, compositionis & coagmentationis nostræ in meliorem statum conuersio. Quodq. demum Baptismus omnium Dei beneficiorum pręclarissimum & præstantissimum est: vt enim quædam Sancta Sanctorum vocantur, & Cantica Canticorum; quòd scilicet latiùs pateant, ac plura complectantur, præcipuamq. dignitatem habeant, eodem modo Baptismus quoque Illuminatio dicitur, quòd omnes alias illuminationes sanctitate pręcedat. Hæc & alia similia ex sanctis Patribus illos edoceat.

Hortetur insuper eos, vt ad sacrum Baptisma firma & constanti fide accedant, atque id simplici & puro corde, ac sincera mente quemadmodum diuina gratia renouandos oportet, suscipere studeant, vt gratiam, quæ cuiuis non ponenti obicē confertur, inde consequantur in remissionem omnium peccatorum, iuxta quod scriptum est: *Sapien.1.a* Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenietur in his qui tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Et paulo post: Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Ibidem.* Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum. Ac idcirco caueant ne [83] fictè, & simulatè ad illud accedere præsumant, ne omnipotens Deus tanto scelere offensus, ab eis graues pœnas, magnamq. exigat vltionem.

Ieiunium quoque ante Baptismum ex veteri more triduanum aut biduanũ, vel prout videbitur, & sine intermissione oratio eis indicatur, ac sedulò admoneantur, vt ad sacra mysteria suscipienda parati sint.

Et ad extremum (quoniam post Baptismum confirmandi sunt, & cōmunicare debent) de Sacramentis Confirmationis & sacræ Eucharistiæ quantum eorum statui & capacitati conuenit, instruantur.

Interea verò parentur eis vestes albæ, vt his suscepto Baptismo mox induantur, quas si qui ob paupertatē sibi comparare haud commodè possunt, vel Præfecti Domus Catechu-

techumenorum, vel loci Ordinarius sua pro sua pietate illas eis vndecunque poterunt comparandas curabunt.

1 *S. Clemens lib.8. constit. SS. Apostolorum cap.38.*
2 *S. Dionys. Areopagita de eccles. hierar. cap.2.*
3 *Concil.Toletan. IIII. cap.59. & habetur 28.q.1. cap.Iudæorum filios.*
4 *S.Clemens lib.8. constit.Apostolorum cap.38.*
5 *S. Clemens vbi proximè, & S. Thomas in 3.par. q.68. art.4. & art.8.*
6 *S. Clemens eod. cap.38. & Concil.Eliber. cap.62. Tom.1. Concil.*
7 *Idem S. Clemens vbi supra. & Concil. Eliber. cap.10. & cap.44. & cap.68.*
8 *S.Clemens citato cap.38.*
9 *S.Clemens dicto cap.38. Concil. Eliber.cap.73. & habetur 5.q.6. cap.Delator.*
10 *Idem S. Clemens dicto cap.38.*
11 *S. Clemens eod.cap.38.*
12 *S.Clem. lib.3. recognition. S.Dionys. de eccles. hierar.cap.2. S.Siricius Papa in epistola ad Himerium Tarraconen.cap.2. Tom.1.Concil.*
13 *Concil.Toletan.4. cap.56. Tom.2. Concil.& habetur dist.45.cap.De Iudæis.*
14 *S.Gregorius lib.11. Regesti epistola 15. ad Pammachium Episcopum Neapolitan.seu cap. 15. & habetur dist.45. Qui sincera.*
15 *Idem S. Gregorius lib.7.epist.5.seu cap.5. ad Ianuarium Episcopum Calaritanum.*
16 *Concil.Tolet.IIII. cap.62. & habetur 28.q.1. Iudæi.*
17 *Cap.Si infidelis. 28. q.2. & cap. Quanto. de diuortijs. & S.Tho. in 4.Sentent.dist.39.q.1.art.3.*
18 *Gregor. Papa IX. decretali cap.Ex literis. de conuers. infidel. Concil.Toletan. III. cap.14. Tom.2.Concil. & Conc.Toletanum IIII. cap.62.quod habetur 28.q.1.cap.Iudæi.*
19 *Citat. cap.Iudæi. ex Concil.Toletano.*
20 *Concil.Tolet.IIII.cap.59. & habetur 28.q.1. cap.Iudæorum.*
21 *Citat. cap. Iudæorum.28.q.1.*
22 *Concil. Toletan. citato cap.59.*
23 *S.Clemens lib.7.constit.Apostolorum cap.39.Quomodo oporteat Catechumenos institui. & S.Dionys.de Eccles.hierar.cap.2.*
Facit etiam quod habetur in ordine Baptismatum Seueri Patriarchæ, in initio.
24 *S.Clemens lib.3.constit.Apostolorum cap.18.& lib.7.cap.40. & 41.*
Rabanus de instit.Cleric.lib.1.cap.27. & habetur de consecr. dist.4. cap. Primum. & refert S. Antonin. in 2.par. historiæ tit.14. cap.5. §.1.
25 *Raban. citato cap.27.*
26 *Raban. ibidem. & habetur de consecr.dist.4. cap.Postquam.*
27 *Raban.ibid. & de consecrat.dist.4. cap.Postea signatur. & S.Antonin. vbi supra.*
28 *Raban.citato cap.27. & S.Antonin. vbi supra.*
29 *S.Clem. lib.2. recognit. in fine. S. Basil.sermone 1. de Baptismo par.2.*
30 *Liber Sacramentorum Vatic. M.S. & Ordo Rom. M.S. Achillis Statij.*
31 *Raban.citato cap.27.de consecr.dist.4.cap.Dehinc. & S.Antonin.vbi supra.*
S.Siricius Papa in epistola ad Himerium Tarraconen.cap.2. Tomo 1.Concil.
S.Cælestinus Papa I. epist.1.ad Episcopos Galliæ cap.12.eod.Tom.1.Concil.
S. Leo Papa in epist. 4. ad Episcopos per Siciliam constitutos, cap. 6. & epist. 80. alias 78. ad Episcopos per Campaniam &c. eodem Tomo 1.Concil.
32 *S.Cyrillus Hierosol. in præfatione in catecheses.*
33 *S.Clemens lib.2.recognition.in fine. Facit Conc.Agathense cap.40. & habetur 28.q.1. cap.Omnes deinceps.*
34 *S.Siricius Papa in epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem cap.2. Tom.1.Concil.*
S. Gregor. Papa lib.7. Regesti epistola 24. ad Fantinum Defensorem. & habetur de consecrat. dist.4. cap.Ne quod absit.
S. Hieron. in epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani. Tom.2. epistolarum. &
S.Cyrillus Hierosolymitan. in præfatione catechef.
35 *S.Clemens lib.2.recognitionum. & lib.8. constit.Apostolorum cap.38.*
Tertull.libro de Baptismo aduersus Quintillam cap.18. apud Iacob. Pamelium Tom.3.
Sacrum Concilium Nicænum vniuersale primum can. seu cap.2.Tom.1.Concil.
Constantinop. Synodus can.7. eodem Tom.1.
Sexta Synodus can.95. Tom.2. Concil.

Conc.

Conc.Eliber.cap.4. 11. & 42.
Agathense Concil.cap.34.Tom.1.Concil. & habetur de consecr.dist.4.cap.Iudæi.
36 *Concil.Eliber. d.cap.42.*
37 *Idem Concil.Eliber. cap.4*
38 *S.Clemens lib.8. constitut. Apostolorum cap.38.*
39 *S.Clemens citato cap.38.*
40 *S.Clemens eod. cap.38.*
41 *S.Clemens ibidem.*
42 *Idem S.Clemens eod.cap.38.*
43 *S.Clemens lib.3.recognitionum. & lib.7.constit. Apostolorum cap.23.*
Tertullianus libro de Baptismo aduersus Quintillam c.20. Tom.3. apud Iacobum Pamelium.
S.Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum Baptisma.
S.Siricius Papa in epistola ad Himerium Tarracon.Episcopum cap.2.Tom.1.Concil.
S.Leo Papa epist. 4. ad Episcopos per Siciliam constitutos cap.6. & epist. 80. alias 78.ad Episcopos per Campaniam &c.
S.Hieronymus in expositione Psal.41. illi ascripta Tomo 9.
S.August.serm.157. de tempore. & primo Dominicæ in Albis seu in octauis Paschæ Tom.10.
44 *Concil.Neocæsariense cap.seu can.5.*
Concil.Nicæn. cap.seu can.14. alias 13. Tomo 1. Concil. & refertur a Concilio VI. Carthaginensi in epistola ad Bonifacium Papam I. eodem Tomo 1. Concil.
Concil.Eliberin. cap.68.
45 *S.Cyrillus Hierosolymitanus in procatechesi ante fin.*
46 *S.Siricius & S.Leo Papa in supracitatis epistolis.*
47 *Facit Conc. Ancyranum cap.13. iuxta primam vel 14. iuxta 2.& 3.editionem Tom.1.Concil.*
Martin. Bracaren. in collectione canonum Græcarum Synodorum cap. 58. Tomo 2. Concil. & habetur apud Gratianum dist.30. cap.vlt.
Concil.Bracaren.I. cap.14. eodem Tomo 2.Concil.
Concil. Gangrense cap.2. Tomo 1.Concil.
48 *S.Clemens lib.7. constitut. Apostolorum cap.23. & cap.40.*
S. Basilius sermone 1. de Baptismo parte 1. & 2.
S.Hieron.in comment.super Matth. cap.28. Tom.6.
Raban.lib.1.de institut.cleric.cap.25. De baptismatis Sacramento: & habetur de consecr.dist.4. cap.Ante Baptismum. & refert S.Antonin.in 2. parte historiarum tit. 14. cap. 5. §.1. de Rabano Abbate.
49 *S.Clemens lib.7.constitutionum cap.39.*
50 *S. Clemens d.cap.39.*
51 *S. Clemens d. cap.39.*
52 *S.Clemens ibidem. Pontific. Armenicum maius in ordine Catechismi.*
53 *S.Gregor. Nazian. in oratione in sanctum Baptisma & Nicetas ibidem in eum.*
54 *Ex eisdem S.Gregorio & Niceta.*
55 *S.Gaudentius Episcopus Brixiensis in 1. & 2. tractatu in lect. Exodi cap.12. apud Bibliothecam SS. Patrum Tom.7. &*
S.Ambros. in libro de initiandis cap.2. Tom.4. &
S.Ioan. Chrysostomus in homilia ad baptizandos Tomo 5.
56 *S. Cyrillus Hierosolymitan. in præfat. Catechef.*
57 *S. Ambrosius in libro de initiandis cap.1. Tom.4.*
58 *S. Cyrillus in catechesi 4. de Ascensione.*
59 *S.Basil.serm.1. par.2. de Baptismo.*
60 *S. Basilius sermone 1. de Baptismo par.2.*
61 *Concil. Turonen. III. cap.18. & Concil. Moguntin. II. sub Ludouico Rege & Rabano cap.3. Tom.3. Concil.*
62 *S.Clemens lib.7. constit.Apostolorum cap.40. & cap.41.*
63 *Concil. Turonen. III. cap.18. & Conc. Moguntin. II. sub Rabano cap.3.*
64 *S. Basil.sermone 1. parte 2. de Baptismo.*
65 *S.Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum Baptisma. S.Nihil progressionem tuam.*
66 *Idem Nazianzenus ibidem paulo supra.*
67 *Ibidem paulo infra.*
68 *S.Augustin.super Ioan.tract.5. Tomo 9. & habetur de consecratione dist.4. cap. Baptismus.*
69 *Idem S.Augustin.super Ioan. tract.6. eodem Tomo 9.*

70 S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium Grammaticum cap. 6. Tomo 7. & habetur de consecrat. distinct. 4. cap. Si inter bonos.

71 S. August. tract. 4. 5. & 6. in Ioan. cap. 1. Tomo 9.
Beda in homil. de Epiphania.

72 Cap. Tres sunt. in princ. De pœnit. dist. 1. & cap. Quis aliquando. §. Econtra. ead. distin. 1. & cap. Omnis qui. & duob. capp. seq. de consecr. dist. 4.
S. Thomas in 3. par q. 68. art. 5. & 6. &
Domin. Soto in 4. sent. dist. 5. q. vnica artic. 6. conclus. 1.

73 S. Thom. vbi supra art. 6. & Dom. Soto vbi proximè.

74 Card. Caietan. in S. Thomam citato art. 6. & Dom. Soto vbi supra.

75 S. Gregor. Nazian. in oratione in sanctum Baptisma.

76 S. Thom. d. art. 6. Domin. Soto dicto artic. 6.

77 S. Ambros. in epistola ad Rom. cap. 11. super verbis sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: Et habetur de consecr. dist. 4. cap. Sine pœnitentia.
S. Thomas citata q. 68. artic. 5. & 6.
Domin. Soto in 4. citata dist. 5. q. vnica art. 5.

78 Card. Caietan. in S. Thom. citato artic. 6. & Domin. Soto citata q. vnica artic. 6.

79 S. Thom. citata q. 68. art. 5. ad 3 & Domin. Soto in 4. citata dist. 5. q. vnica art. 5. in respons. ad 3.

80 S. Gregorius Nazianzenus in oratione in sanctum Baptisma.

81 S. Cyrillus in procatechesi ante fin. hæc tribuit Baptismi Sacramento encomia.

82 Idem S. Gregorius Nazianzenus ibidem.

83 De fictè accedentibus 1. q. 1. cap. Sicut. ex S. Augustino lib. 1. contra Donatistas cap. 12. & idem S. August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. & de consecrat. dist. 4. cap. Quomodo exaudit. & lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. de consecrat. distinct. 4. cap. Solet etiam quæri.
Innoc. Papa III. in cap. Maiores. §. Item quæritur. de Baptismo.

DE NEOPHYTIS INSTRVENDIS atque iuuandis.

CVm adultorum Baptiſma nō modò 1 præcedere, verumetiam ſequi debeat doctrina * fidei, iuxta illud quod Dominus poſt verba; 2 Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſubiunxit; docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis: & is 3 qui catechizatur, etiam poſt baptiſma magna probatione indigeat, Neophyti non ſimul ac baptizati fuerint quocunque voluerint paſſim ire, vel cum laicis liberè conuerſari, aut extra domum Catechumenorum ſeu Neophytorum habitare permittantur; ſed ſaltem per quadragintadies in eadem domo, vel vbi eiuſmodi domus non exiſtit, apud eaſdem apud quas catechizati fuerunt, vel apud alias pias probataſq́. perſonas retineantur, vt de his quæ poſt Baptiſmum ſeruare debent, & de reliquis, quæ ad fidei doctrinam atque ad ſpiritualem vitam ſobriè, iuſtè & piè ducendam ſpectant, adhuc inſtitui & edoceri poſſint, ac ita inſtituti, inprimis verò Sacramentis & verbo Dei vegetati & enutriti, tanquam nouæ plantæ in Eccleſia coaleſcant, & in ſuſcepta fide ſolidiùs confirmentur, & cùm ad humanæ vitæ negotia dimiſſi fuerint, velut arbores altis defixæ radicibus à ventis & turbinibus tentationum non facilè quatiantur aut conuellantur.

Matth. 28. d

* vt ſupra dictum eſt de recip. & inſtruen. Catechumenis. §. Quoniam verò ante Baptiſmum, &c.

Per id verò temporis à Præfectis ſuis vel patrinis & matrinis ad ſtationes & ad præcipuas ciuitatis Eccleſias, quoad commodè poterit, ducantur; orationi & cœleſtium rerum meditationi vacent; ſacris Miſſarum ſolennijs ac alijs diuinis officijs reuerenter interſint; conciones audiant, & * lacte ſpiritualium conſolationum tanquam paruuli nutriantur; peccata ſua Sacerdoti Confeſſario eis aſſignato ſæpius confiteantur. Singulis item, quibus Albas deferunt, vt etiam ſuprà præſcribitur; deinde verò Dominicis, alijſq́. feſtis diebus præmiſſa Sacramentali peccatorum confeſſione iudicio Confeſſarij ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum deuotè ſumant, vt ſalutari ſacri Dominici corporis pabulo confirmati, ſolidiùs in fide roborentur.

* De Catechumenis lacte nutriendis &c. ſupra de recip. & inſtituen. Catechum. §. Cū Catechumenis.

Per idem quoque tempus, iuxta 4 Carthaginenſis Concilij monita, à lautioribus epulis & ſpectaculis & coniugibus abſtinere moneantur.

Interim verò eis hiſtoriæ quædam ſacræ de 5 geſtis Patriarcharum, Prophetarum aut aliorum Sanctorum veteris Teſtamenti, ac de actibus Apoſtolorum, aut moralia quædam ex libris Eccleſiaſtæ, 6 Prouerbiorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & ſimilibus, quæ ipſorum ædificationi conducunt, prælegi vel explicari poſſunt.

Deinde vt ſuſceptorum myſteriorum rationem intelligant, & diuinam gratiam ſibi collatam clariùs agnoſcant, vnde feruentiores effecti aſſiduas Deo gratias agant, Catechiſta eis 7 cæremoniarum & rituum, qui tam in Exorciſmo & Catechiſmo, quàm in ipſo Baptiſmo adhibentur, ſignificationes & myſticas rationes, & cur baptizandus oleo ſancto vngatur, & ter mergatur in aqua, aut ea perfundatur in nomine 8 perſonarum ſanctæ Trinitatis: cur Chriſmate inungatur in vertice: cur etiam ab Epiſcopo confirmetur chriſmate in fronte, & Dominici corporis particeps fiat, pro loco & tempore, ac pro ipſorum docilitate & ingenio explicet atque interpretetur ex ſacroſanctis ſcripturis, epiſtolis præſertim beatorum Apoſtolorum Pauli & Petri; ex ſanctis Dionyſio Areopagita de Eccleſiaſtica hierarchia, Cyrillo Hieroſolymitano in Catecheſibus myſtagogicis; Ambroſio in libro de ijs qui myſterijs initiantur, & in libris de Sacramentis; Fulberto Epiſcopo Carnotenſi in epiſtola prima De tribus maximè neceſſarijs fidei Chriſtianæ capitibus: Ioanne Damaſceno libro quarto de Orthodoxa fide, atque in primis ex ſancto Iſidoro in libris de Eccleſiaſticis officijs: Albino Alcuino in libro de diuinis Officijs; Amalario in libris de Eccle-

* (ſcilicet cap. 2. par. 2. & 3. & cap. 4. par. 3.)

siasticis officijs. Vualafrido in libro de exordijs & incrementis rerum Ecclesiasticarum, Rabano in libris de institutione Clericorum, Iuone Carnotensi in sermone de Sacramentis Neophytorum, ac eodem Iuone & Gratiano in decretis, Hugone de S. Victore, Ruperto Abbate Tuitiensi, Ioanne Beleth, & Gulielmo Durando in libris, quos similiter de diuinis seu Ecclesiasticis officijs conscripserunt: item ex Magistro & cæteris Theologis in quarto Sententiarum: ex ipso demum Catechismo Romano prout Neophytorum profectui & ædificationi cognouerit expedire.

Hæc 9 autem eis iam baptizatis ac fidelibus, non ante Baptismum explicanda sunt. Nam 10 quæ ad Sacramentorum rationem pertinent Catechumenos audire non congruit, sed suscepto Baptismo Neophytos vt alios fideles. Tunc 11 enim cùm facilè intelligant suauiusq. degustent, tempus admonet ipsis diuinæ gratiæ splendore magis illustratis, fidemq. perfectius assecutis de mysterijs dicere, & eorum edere rationem, quam nondum initiatis antea insinuari nec vtile neque opportunum fuisset.

Tunc itaque Catechista de perceptis, ac reliquis omnibus Ecclesiæ Sacramentis eorum numero & virtute Neophytos edoceat ex Patribus & Theologis, ex sacris Oecumenicis Concilijs Florentino & Tridentino, atque ex Catechismo Romano.

Vt autem quæ post Baptismũ eis seruanda sunt doceantur, Sacerdos diligenter instruat eos de his, quæ agere & seruare, quæq. cauere debent. Primùm admonebit, vt singuli 12 meminerint se Christi fide percepta præstantissimum nomen vnà cum antiquis Sanctis & patribus sortitos fuisse, & idcirco Christiano cognomine, quod à Regio Christi nomine deductum in salutaris lauacri Sacramento acceperunt, glorientur; & hoc vsque in finem firmum intemeratumq. seruare contendant, gaudentes in se illud Isaiæ vaticinium esse completum: Et seruos suos vocabit nomine alio, hoc est nomine Christiano, quo nunc omnes serui Christi se vocari lætantur. Neque enim nomen aliud sub cœlo datum est, in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde & Propheta subsequenter adiungit: In quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo, Amen.

Isaiæ 65.c — *Act. 4.b* — *Isaiæ ibid.*

Verùm ne putent huius tantùm Christiani nominis professionem sibi satis esse ad æternam vitam comparandam; nisi & huic nomini diuina præcepta seruantes vitæ pietate & bonorum operum exercitatione respondeant, sicut ipse Dominus cõtestatur: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, & quæ sequuntur. Ac iterum: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem qui fert fructum purgabit eum vt fructum plus afferat. Et B. Ioannes Apostolus: Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est, in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Et rursus: Filioli mei non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Ac de quibusdam falsis fratribus dicit S. Apostolus Paulus. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et Timotheo dicit: Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nam & qui certat in agone non coronabitur, nisi legitimè certauerit. Et B. Iacobus ait: Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Et fides sine operibus mortua est.

Matth.7.c. & d. — *Ioan.15.a* — *1.Ioan.2.a* — *1.Ioan.3.c* — *Tit.1.d* — *2.Tim.2.a* — *Iacobi 1.d* — *Iacobi 2.d*

Neque 13 arbitrentur sibi Baptisma sufficere, si post illud male viuant, & ad peccata redeant; neque se vocatos esse ad humanæ vitæ commoda & solatia, aut ad carnis & seculi voluptates: Non enim inquit Apostolus, vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. ac idcirco eis opus esse multa industria & pietate, multaq.

1.Thess.4.b

virtute:

virtute: Militia enim est vita hominis super terram; & grandis adhuc eis restat via. *Iob 7. a*
Nam quemadmodum filij Israel postquam de manu Pharaonis & seruitute Aegypti *3. Reg. 19. b*
liberati sunt, & mare rubrum transierunt (in quo omnes, Apostolo teste, baptizati *1. Cor. 10. a*
fuerunt) non statim in terram promissionis à Deo perducti sunt, sed per xl. annos in
deserto morantes, post multa prœlia inita & calamitates perpessas, varijs tentatio-
nibus, antequam ad eam tandem peruenirent, probati sunt: ita & de seruitute dia-
boli liberatos, & renatos fonte baptismatis, in hoc seculo ad Dominum peregrinan-
tes multipliciter probari oportet, donec ad terram viuentium & cœlestem Hieru-
salem fidelibus promissam peruenire mereantur (non enim ignauos, formidolosos,
desides & otiosos vult Dominus milites suos: sed solicitos, magnanimos, strenuos,
& laboriosos.) Interim 14 tamen formidantes ne cadant, cum timore & tremore *Ibid. c.*
salutem suam operentur, in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus & *Philipp. 2. b*
oblationibus, in ieiunijs & castitate. Nec frustra Dominus, vt Lucas Euangelista *Luc. 3. e*
commemorat, statim post Baptisma orauit, & apertum est cœlum, & descendit Spiri-
tus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est; ac mox,
tribus testantibus Euangelistis, desertum adijt, & quadraginta dierum ieiunium soli- *Matth. 4. a*
tarius exercuit: ita & ipsi diuino eius exemplo informati, post acceptam in Baptis- *Marci 1. b*
mo remissionem peccatorum, ijs & cæteris bonis operibus operam dent, ne eis tor- *Lucæ 4. a*
pentibus, minusq. solicitis, immundus spiritus, qui de eorum corde per Baptismum
fuit expulsus, reuertatur; & spiritualibus diuitijs vacuos inueniens, assumat septem *Matth. 12. d*
alios spiritus nequiores se, & intrantes habitent in eis, & fiant nouissima eorũ peiora
prioribus. Et 15 ideo soliciti studeant, ne patriæ cœlestis ianuam, quæ sacri susce-
ptione Baptismi eis patefacta est, humanis sibi illecebris intercludãt, 16 scientes quòd
in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt. Quare de pugna, quæ superest cum *Tit. 2. d.*
carne, cum mundo, cum diabolo soliciti esse debent, in qua victores esse non poterũt; *Rom. 5. a*
nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus non carni, vt *1. Ioan. 2. c*
secundũ carnem viuamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si 17 autẽ *Rom. 8. c*
spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis. Et iterum: Spiritu ambulate, & desideria *Galat. 5. c*
carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem ad-
uersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa fa-
ciatis. Et infrà: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & *Ibidem. d*
concupiscentijs. Si viuimus spiritu, spiritu & ambulemus. Memoresq. sint verbo-
rum Domini ad Cain: Nonne si benè egeris recipies; sin autem malè, statim in fori- *Genes. 4. a*
bus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.

Sed & eos moneri oportebit, quod quamuis à fomite seu carnis concupiscentia, quæ ba-
ptizatis relicta est ad agonem, se assiduè oppugnari sentiant: si 18 tamen illi per Iesu
Christi gratiam fortiter restiterint, aut non consenserint, ipsis nocere non valet, nec
imputabitur ad culpam, iuxta Apostolum dicentem: Nihil ergo damnationis est ijs, *Rom. 8. a*
qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant; quinimo qui legitimè *2. Tim. 2. a*
certauerit coronabitur. Quòd si carnis illecebris & tentamentis cedant, suum pec-
catum Deo omnium bonorum auctori, qui odit peccatum & peccatorem, ne impiè
tribuant, sed sibijpsis suoq. consensui & voluntati, sicut beatus Iacobus dicit: Nemo *Iacob. 1. b. & c*
cùm tentatur dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est.
Ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstra-
ctus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum
verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.

Quoniam verò (vt inquit B. Ioannes) omne quod est in mundo, concupiscentia car- *1. Ioan. 2. c*
nis est, & concupiscẽtia oculorũ, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mun-
do est: & mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei
manet in æternum. Propterea edoceantur sibi à varijs huius mundi desiderijs, &
varijs diaboli laqueis & insidijs, quibus eos vel à recta fide, vel à dilectione Dei &
proximi auertere, & ad peccata pertrahere studebit, solicitè cauendum esse diuina
gratia protegente & studio virtutum. Quandoquidem, vt docet Apostolus: Non est *Ephes. 6. b*
nobis

nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potesta-
tes, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœ-
lestibus.

Tum quoque Catechista de obseruantia mandatorum edocebit eos, quòd [19] tenean-
tur ad eam omnes adulti baptizati, illaq. habeat Christi gratia [20] promissionem
Matth.19.c æternæ vitæ, Domino dicente: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et iterum:
Luc.10.e Hoc fac & viues.

Quare nec [21] eorum quisquam apud semetipsum dicat, Ego iam credidi, saluus ero:
nam nisi fidem operibus teneat, fallitur euidenter: vera etenim fides est, quæ in hoc
quod verbis dicit, moribus non contradicit. Ac tunc veraciter fideles erunt, si
quod verbis promiserunt operibus, impleant. Cum autem ipsi in die Baptismatis
omnibus Satanæ operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promiserint, vnus-
quisque eorum in suam memoriam reuocet, vt post Baptismum fideliter seruet quæ
spopondit ante Baptismum.

Nemo [22] itaque quantumuis iustificatus liberum se esse ab obseruatione mandato-
rum putare debet. Nemo item sibi de sola fide blandiatur, ratus sola se fide hære-
ditatem esse consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur vt conglorificetur:
Philip.2.a nam & Christus ipse (vt inquit Apostolus) cùm esset filius Dei, didicit ex ijs quæ
Hebr.5.c passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi
1.Cor.9.d causa salutis æternæ. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos dicens: Nescitis
quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic
currite vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se
abstinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorru-
ptam. Ego igitur sic curro non quasi in incertum; sic pugno non quasi aerem verbe-
rans; sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædica-
2.Petri 1.b uerim, ipse reprobus efficiar. Item Princeps Apostolorum Petrus: Satagite vt per
bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes
non peccabitis aliquando.

Quare nec [23] iustificati peccant, qui Dei gloriam spectãtes etiam æternæ mercedis in-
Psal.118.e tuitu benè operantur, cùm scriptum sit: Inclinaui cor meum ad faciendas iustifica-
Hebr.11.e tiones tuas in æternum propter retributionem. Et de Moyse dicat Apostolus; quòd
respiciebat in remunerationem.

Iacobi 2.d Ac proinde [24] ipsi Neophyti moneantur, vt in Baptismate iustificati, & amici Dei ac
Ephes.2.d domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouentur, vt Apostolus docet, de die
Psal.83.c in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in
Ephes.4.e. & sanctificationem per obseruationem mãdatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per
2.Cor.4.d. Christi gratiam accepta cooperante fide bonis operibus crescant, atque magis iu-
Rom.6.b stificentur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et iterum: Ne ve-
Apoc.vlt.c rearis vsque ad mortem iustificari.
Apoc.18.c

Mandatorum autẽ [25] & præceptorum obseruantiam argumentum esse dilectionis no-
Ioan.14.b stræ erga se Dominus sæpe definiuit, dicens: Si diligitis me, mandata mea seruate.
Ibidem.c Et iterũ: Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem di-
Ibidem. ligit me, diligetur à Patre meo. Et rursus: Si quis diligit me, sermonem meum serua-
bit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum facie-
Ioan.15.b mus. Qui nõ diligit me, sermones meos non seruat. Item: Manete in dilectione mea.
Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego Patris mei
Ibidem. præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Et paulo post: Vos amici mei estis,
si feceritis quæ ego præcipio vobis. Et dilectus eius discipulus in eandem senten-
1.Ioan.3.d tiam dicit: Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo. Et infrà: In hoc
1.Ioan.5.a cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius
faciamus. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata
2.Ioan.can.b. eius grauia non sunt. Et iterum alibi: Hæc, inquit, est charitas, vt ambulemus se-
cundum mandata eius. Et hæc quidem planè constant, cum [26] probatio dilectionis

exhibitio

exhibitio sit operis. Verè etenim Deum diligimus, si mandata eius custodimus: si nos à nostris voluptatibus coërcemus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profectò Deum non amat, qui ei in sua voluntate contradicit.

Præcipuè autem eos doceat Catechista, vt dilectionem erga Deum & proximum habeant, iuxta præceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex *Luc.10.e.&*
tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum *Matt.22.d.&*
tuum sicut teipsum, vt in initio Ordinis Baptismi eis proponitur. Et iuxta id quod *Marc.12.c.&*
de proximo diligendo Dominus nocte, qua tradebatur mandauit, dicens: Manda- *Deut.6.a.&*
tum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inui- *11.b.& 13.a. & 30.b*
cem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis *Luc.10.e*
adinuicem. Et iterum: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi *Matth.19.c.*
vos. Item, hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Et Discipulus, quem diligebat *& 22.d.&*
Iesus, in sua canonica mutuam maximè in proximum dilectionem commendans di- *Marci 12.c*
cit: Non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod accepistis ab *Rom.13.c*
initio. Et infrà: Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, vt diligatis *Galat.5.c*
alterutrum. Item: Et hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius *Iacobi 2.b.&*
Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Itemque: *Leu.19.b.& g Ioan.13.d*
Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. *Ioan.15.b*
Et concludit: Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est, & *Ibid.c*
omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non no- *1.Ioan.2.b*
uit Deum; quoniam Deus charitas est. Sed & illud certissimum est sine 27 cha- *1.Ioan.3.b*
ritate cætera Dei dona atque virtutes inutiles reddi, ipso Paulo Apostolo di- *Ibid.d*
cente: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non ha- *1.Ioan.4.d*
beam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Pro- *Ibid.b*
phetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero om- *1.Cor.13.a*
nem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Quamobrem 28 & proximos diligant ac iuuent, illisq. benefaciant, non solùm amicis & bonis; sed etiam inimicis & prauis hominibus charitatem & misericordiam *Luc.10.e.&f*
impendant, iuxta præceptum Domini: Estote misericordes sicut & pater vester *Luc.6.e*
misericors est. Charitatem namque Christianam non intra amicos & notos tantùm contineri: verum etiam ad maleuolos & inimicos extendi, & cuilibet proximo deberi ac impendendam esse, vt omnes propter Dominum diligamus, etiamsi ab ijs grauia damna, offensas aut iniurias acceperimus, aut etiam sustineamus; quemadmodum ipsemet Dominus præcepit. Audistis quia dictum est: Diliges pro- *Matth.5.g*
ximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.
Et apud alium Euangelistam: Diligite inimicos vestros; benefacite his qui ode- *Luc.6.g*
runt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. & quæ sequuntur. Et Apostolus Romanos instruens: Benedicite, inquit, persequen- *Rom.12.d*
tibus vos; benedicite & nolite maledicere. Et paulo post: Nulli malum pro malo reddentes. Et rursus: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus: Sed si esu- *Deut.32.e*
rierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

1.Petri 3.b Et beatus Petrus ait: In fide autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. Hoc autem & Dominus suo confirmauit
Luc.23.e exemplo, qui pro suis crucifixoribus orauit: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Et beatus Protomartyr Stephanus Dominum imitatus, dum à Iudæis crudeliter lapidaretur, vt Apostolorum acta testantur, positis genibus clama-
Act.7.g uit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Idemq. & Moyses & alij serui Dei humiliter obseruarunt. Quod & congruit consilio Sapientis. Om-
Eccls.10.a nis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ. Quocirca &
Matth.6.b Dominus ita nos orare docuit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimitti-
Ibidem. mus debitoribus nostris. Et subiecit: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis debita vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra: prout & in fine parabolæ illius serui nequam, cui Dominus eius omne debitum dimiserat: ipse au-
Matt.18.in fi. tem paruum debitum conseruo suo dimittere noluerat, concludit dicens: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus
Luc.6.e vestris. Et alibi: Dimittite & dimittemini.

Insuper præmoneat eos atque hortetur ad patientiam & ad futuras tribulationes, & huius vitæ aduersitates, tentationes & mala, quibus diuina bonitas suos exerceri,
1.Petri 1.b & tanquam aurum igne probari permittit, fortiter & æquo animo perferenda:
Luc.24.d nam si crucem & mortem oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam;
Matth.10.c quanto magis fideles & seruos eius? Non enim est discipulus super magistrum,
Luc.6.f. & nec seruus super dominum suum. Et sicut scriptum est: Per multas tribulatio-
Ioan.13.b nes oportet nos intrare in regnum Dei. Et Apostolus dicit: Omnes, qui piè vo-
Act.14.d lunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Et beatus Iacobus: Omne
2.Tim.3.c gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: Scientes,
Iacobi 1.a quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habeat, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. In his autem neque malorum magnitudine, neque acerbitate desperent, aut succumbant, sed patienter sustinentes in Dei benignitate & ope confidant, qui suis militibus semper præsto est, nec eos supra vires tentari permittit, iuxta Apostoli sententiam:
1.Cor.10.c Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Quod & in sanctis omnibus mirabiliter eluxit: certoq. sciant & sperent sibi à Deo perpetuas coronas propositas esse in cœlis, si legitimè certauerint in terris.

Quapropter 29 permanentes in vocatione sua, molestias, tribulationes, miseriasq. omnes libenter ferant, existimantes crucem sibi iugiter ferendam esse cum Chri-
Matth.10.d sto, quemadmodum, & ipse sæpe in Euangelio monet. Qui non accipit crucem
Luc.9.c. & suam, & sequitur me, non est me dignus. Et iterum: Si quis vult post me venire,
Matt 16.d.& abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Item: Qui
Marci 8.d non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.
Luc.14.f Neque 30 ipsis hæc dura, grauia, aut impossibilia videantur, cùm diuina cooperante gratia ea omnia possibilia, facilia, & suauia esse experimento cogituri sint, iuxta
Matth.11.d verba Saluatoris: Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum
Psal.33.d. & suaue est, & onus meum leue. Et sicut Propheta dicit: Gustate, & videte, quo-
1.Pet.2.a niam suauis est Dominus: Beatus vir, qui sperat in eo. Ac Ioannes Aposto-
1.Ioan.5.a lus affirmat: Mandata eius grauia non sunt. Et sui exemplo nos docet Paulus
Philip.4.c dicens: Scio & humiliari, scio & abundare (vbique, & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat.

Quinimò

Quinimò eis ostendatur hæc ipsa mandata, ac omnia bona opera in Dei gratia facta, magnam, æternamq. repositam habere remunerationem, iuxta promissionem Domini: Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et iterum: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Item: Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Et infrà: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Et vt tradit Apostolus: Qui (scilicet Deus) reddet vnicuique secundum opera eius: ijs quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. Tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum, Iudæi primùm, & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Et infra: Si tamen compatimur, vt conglorificemur. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et rursus: „ Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Et alibi: „ Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius (qui ministrastis sanctis, & ministratis.) Et infrà: „ Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Et confirmat S. Iacobus, dicens: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Et paulo post: Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. „ Ac proinde eis, & omnibus bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquã gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda, quemadmodum de corona iustitiæ sibi, & omnibus diligentibus aduentum Domini reddenda aiebat Apostolus: „ Bonũ certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius. Et Ioannes in Apocalypsi, audiui vocem de cœlo sibi dicentem: Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Et inferius: Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Qui vicerit posſidebit hæc, & ero illi Deus: & ille erit mihi filius. Quocirca & Dominus in iudicio dicet his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, posſidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.

Matt.19.in f. *Luc.21.d* *Ioan.12.d* *Ioan.13.b* *Rom.2.b* *Rom.8.d* *2.Cor.4.d* *Hebr.6.b* *Hebr.10.g* *Iacobi 1.b* *Ibidem.d* *2.Tim.4.b* *Apoc.14.c* *Apoc.21.b* *Matth.25.c.& d*

Cùm autem victoria, quæ vincit mundum sit fides nostra, hortandi sunt in primis, & confirmandi, vt in fide permaneant, constantes, & fortes sint, semper parati eam confiteri, & pro eius confesſione, & Domini gloria occumbere. Nec verò ipsam mortem propter Christum formident, aut oppetere timeant; cùm ipse dicat: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Et paulo post: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo, &

1.Ioan.4.a *Act.14.d* *Matth.10.c.& d*

Philip. 1. in fi. ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Et Paulus Apostolus: In nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo: quia vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audi-*1.Pet.2.d* stis de me. Et Apostolorum Princeps Petrus: Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè: Quæ enim est gratia si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm *1.Pet.3.c. & d* pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniustè: Et infrà: Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, vt non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, & fide; sed cum modestia, & timore conscientiam habentes bonam: vt in eo quod detrahunt de vobis confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. Melius est enim, vt benè facientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malè facientes: quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiri-*1.Pet.4.c. & d* tu. Item infrà: Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.

Sed & monendi sunt, vt in virtutibus, pietate, & bonis operibus Dei auxilio con-*Philip.2.b* fisi, [16] qui operatur in eis, & velle, & perficere pro bona voluntate perseuerare studeant, vt æternam salutem consequantur, Domino iterum atque iterum conte-*Matth.10.c. & 24.b* stante: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et sicut dicit Apostolus: *2.Cor.13.b* Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. Et alibi: [17] Stabiles estote, & *1.Cor.15.g* & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non *1.Cor.16.c* est inanis in Domino. Et item: Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini; omnia vestra in charitate fiant. Iuxta quæ & beatus Ioannes Apostolus *2.Ioan.can.* monet dicens: Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis; sed vt mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic patrem, & filium habet. Vt autem perseuerantiæ huiusmodi donum obtineant, Deum humiliter deprecentur, vt speciale eis [18] auxilium ad illud consequendum impartiri dignetur, pro quo, & ad beatam semper Virginem Dei genitricem Mariam, & ad alios sanctos cum Christo regnantes deuotè confugiant, vt id eorum patrocinio, & intercessio-*1.Pet.5.e* ne assequi mereantur. Deus autem omnis gratiæ, vt beatus Petrus ait, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

Caueant autem ne ad corruptos prioris vitæ mores, ac vitia redeant, considerantes illud quod Saluator noster ei quem vocauerat, vt se sequeretur, & petenti vt permit-*Luc. 9. g* teretur primũ ire, & sepelire patrem suum, dixit: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Et id quod alteri dicenti: Sequar te *Ibidem.* Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his qui domi sunt. Respondit: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Sed *Tobiæ 1.b* quemadmodum Tobias senior docebat filium suum ab infantia Deum timere, & abstinere ab omni peccato, & inter alia de quibus postmodum eum monebat, illud

erat: Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando pec- *Tobiæ 4.b*
cato conſentias,& prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. Ita & Sacerdos do-
ceat Neophytos,vt peccata oderint, illis non conſentiant,ſed diuina iuuante gratia
ea omnino fugiant iuxta id, quod ſcriptum eſt: Quaſi à facie colubri fuge peccata, *Eccls.21.a*
quòd his offendatur Deus, & in eius iram incurratur, ſicut ſcriptura dicit: Odiſti *Pſal.5.a*
omnes qui operantur iniquitatem. Item: Altiſſimus odio habet peccatores, & *Eccli.12.a*
miſertus eſt pœnitentibus. Ac iterum: Similitèr autem odio ſunt Deo impius, & *Sapien.14.a*
impietas eius. Quodq. propter peccatum, gratia in Baptiſmi lauacro accepta
amittatur, & qui mortiferè peccant, ex innocentibus, puris, & immaculatis, no-
centes, & impuri, atque anima peccati reatu maculata, viles, & deformes effician-
tur,iuxta Prophetam dicentem: Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas? & ex *Hierem. 2.g*
filijs Dei, inimici eius,& filij diaboli; ex liberis,ſerui peccati, imò, & ipſius diaboli
fiant, quemadmodum Saluator noſter dicit: Amen, amen dico vobis, quia omnis, *Ioann.8.d*
qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati: Seruus autem non manet in domo in æter-
num, filius manet in æternum. Et Ioannes Apoſtolus: Omnis,qui in eo manet,non *1.Ioã.3.a.& b*
peccat; & omnis, qui peccat,non vidit eum,nec cognouit eum. Filioli nemo vos ſe-
ducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt. Qui facit peccatum ex
diabolo eſt quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei,vt diſſol-
uat opera diaboli. Et confirmat Paulus: An neſcitis, quoniam cui exhibetis vos *Rom.6.c*
ſeruos ad obediendum ſerui eſtis eius cui obeditis,ſiue peccati ad mortem,ſiue obe-
ditionis ad iuſtitiam? Et Apoſtolorum vertex Petrus: A quo enim quis ſuperatus *2.Petr.2.b*
eſt,huius & ſeruus eſt. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Do
mini noſtri,& Saluatoris Ieſu Chriſti his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis
poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſti-
tiæ,quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto
mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomi- *2.Petr.2.d*
tum, & ſus lota in volutabro luti.

Doceat item, quod per peccatum priuantur æterna felicitate beatæ, & immortalis vi-
tæ,viſione ſcilicet Dei,& futura gloria,quæ reuelabitur in nobis,ac obligantur æter-
næ mortis,& damnationis pœnis,quoniam vt ait Apoſtolus ſtipendia peccati mors, *Rom.6.d*
omniaq. bona opera per ipſos antea in gratia facta mortificantur, vt enim dicit Do
minus apud Ezechielem: [39] Anima,quæ peccauerit ipſa morietur. Et paulò infrà: *Ezech.18.a*
Si autem auertit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abo-
minationes,quas operari ſolet impius, nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius,quas fe- *Ibidem.e*
cerat,non recordabuntur;in præuaricatione,qua præuaricatus eſt,& in peccato ſuo,
quod peccauit in ipſis morietur. Et rurſus: Cùm enim auerterit ſe iuſtus à iuſtitia *Ibidem.f*
ſua, & fecerit iniquitatem morietur in eis, in iniuſtitia, quam operatus eſt, mo-
rietur.

Præterea demonſtretur eis quàm grauis, irreparabilis, & intoleranda ſit non modo pœ
na ſenſus, verùm & pœna damni, quæ quidem etiam teſtimonio [40] Sanctorum ma-
ior eſt,quàm cruciatus ille flammarum gehennæ,quodq. gloriæ amiſsio multo ama-
rior eſt, quàm gehennæ ſupplicium. Quibus item, [41] qualibus, & quantis bonis
peccatores priuentur, in quæ verò qualia, & quanta mala, ac ſupplicia incurrant
ante, & poſt mortem, & poſt ipſorum corporum reſurrectionem. Etenim Dominus
apud Matthæum laudans Ethnici Centurionis fidem, & Iudæorum damnans incre-
dulitatem. Dico autem vobis,inquit,quòd multi ab Oriente,& Occidente venient, *Matth.8.b*
& recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum; filij autem regni
eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et rurſus ex-
ponens parabolam zizaniorum,dicit: Sicut ergo colliguntur zizania, & igni combu- *Matth.13.f*
runtur, ſic erit in conſummatione ſeculi, mittet filius hominis Angelos ſuos, & col-
ligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos
in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol
in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat. Et iterum in expoſitio-

Ibidem.g ne parabolæ sagenæ missæ in mare: Sic erit in consummatione seculi: Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Et de seruo, qui talentum à domino sibi creditum absconderat:
Matth.25.c Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores; illic erit fletus, & stridor dentium; prout & de gehenna ignis, alijsq. huiuscemodi æternis supplicijs
Ioann.5.e alibi sæpe. Sed & apud Ioannem: Venit, inquit, hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in resurrectionem Iudicij. Quod & in Symbolo explicat Athanasius. Ad cuius (scilicet Christi) aduentum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum. Et
2.Cor.5.b Apostolus Paulus fidelibus contestatur, dicens: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum,
Psal.61.in fi. siue malum. Hinc & Dauid dicit: Semel locutus est Deus: Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia; quia tu reddes vnicuique iuxta opera
Ierem.17.b sua. Et Deus per Ieremiam: Ego Dominus scrutans cor, & probans renes; qui do
Act.10.g vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum. Et ipsemet
Matth.16.d Dominus, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum, de seipso ait: Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Et in ipso vniuersali iudicio dicet peccatoribus, qui
Matth.25.d à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est
Apoc.21.c diabolo, & angelis eius. Et apud Ioannem in Apocalypsi: Timidis autẽ, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors
Psal.10.a secunda. Quare non immeritò Psalmographus ait: Qui diligit iniquitatem, odit
Tobiæ 12.c animam suam. Et Angelus Raphael dixit: Qui faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

Ephes.4.d Seriò 41 igitur moneantur, per peccatum non contristare Spiritum sanctum, in quo signati sunt, nec templum Dei, & eiusdem Spiritus sancti, quod sunt ipsi, eorumq. membra, per culpam temerè violare; alioquin à Domino se fore disperdendos, &
1.Cor.3.c.& æternæ vitæ fructu priuandos, sicut commonet Apostolus: Nescitis quia templum
2.Cor.6.c Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et rursus:
1.Cor.6.d An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.

Ac doceantur 41 acceptã gratiam amitti non modò infidelitate, per quam, & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides: & à regno Dei excludi non solùm infideles, verùm etiam fideles, qui lethalia peccata committunt, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, &
1.Cor.6.b pro quibus à Christi gratia separantur. Quare idem dicebat Apostolus: An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei
Ephes.5.a.b nostri. Et alibi: Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ: Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij

lucis

lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate,& iustitia,& veritate,probantes quid sit beneplacitum Deo, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.

Admonendi item sunt, Dominum respicere vias hominis, & omnes gressus eius consi- *Prouerb.5.d*
derare; atque oculos Domini in omni loco contemplari bonos, & malos: Deum *Prouerb.15.a*
vbique præsentem esse, testem, & iudicem omnium quæ aguntur, omnia implere, *Sapien.1.b*
omnia prospicere, omnia nosse, etiam minutissima quæque, & interius [44] scrutari *Sapien.7.c*
corda, & renes hominum, & cogitationes eorum. Ac propterea immundas, & ma- *Daniel 13.e*
las cogitationes fugandas, & expellendas esse, & à peccatis, quæ animo, & sola vo- *Psal.7.b*
luntate committuntur, sibi abstinendum, dicente Domino in Euangelio: Audistis *1.Paral.28.b*
quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Quia omnis, *Matth.5.d*
qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.
Sed recto corde, & firma fide in Deum se credere, ac piè, sanctéq. viuere debere
sciant. Quoniam sicut scriptura dicit: Oculi Domini contemplantur vniuersam *2.Paral.16.c*
terram,& præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Et iterum:
Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & per- *Hebr.4.c*
tingens vsque ad diuisionem animæ,ac spiritus; compagum quoque, ac medullarũ,
& discretor cogitationum,& intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.

Admoneantur præterea non satis esse ab vno, vel altero mortifero peccato abstinere,
nisi ab vniuersis abstineant; neque hæc, vel illa mandata non transgredi, nisi & omnia pariter seruent. Quicunque enim, vt inquit beatus Iacobus, totam legem ser- *Iacobi 2.b*
uauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit, &, Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem,factus es transgressor legis.

Si qui tamen humana fragilitate (quod absit) post [45] Baptismum aliquo crimine se contaminauerint, & ab [46] accepta gratia per mortale peccatum exciderint, ad Pœnitentiæ Sacramentum, [47] quod pro fidelibus [48] quoties post Baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandis ad peccatorum remissionem à Christo Domino nostro institutum est, tanquam ad [49] secundam post naufragium tabulam,statim,& confidenter confugiant, vt per illud [50] excitante Deo, eiusdem Christi merito amissam gratiam recuperare procurent, atque ad Confessarium Sacerdotem, cui peccata remittendi, & retinendi auctoritas mandata est, iuxta verbum Domi-
ni: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta *Ioan.20.e*
sunt,accedant; ipsiq. sincerè & fideliter sua peccata confiteantur, & eorũ obtineant absolutionem, ac iniunctas satisfactiones & pœnitentias humiliter impleant, Dei
auxilio cauentes, ne iterum in ea labantur, sicut scriptura dicit: Fili peccasti? non *Eccli.21.a*
adijcias iterum. Sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Et alibi: Ne di- *Eccli.5.a.& b*
xeris peccaui; & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.

Porrò inter alia peccata superbiam in primis vitare debent; quòd, vt Sapiens dicit:
Odibilis coram Deo sit & hominibus superbia. Et infrà: Initium superbiæ hominis, *Eccli.10.a*
apostatare à Deo:quoniam ab eo, qui fecit illum recessit cor eius: quoniam initium *Ibid.b*
omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam adimplebitur maledictis,& subuertet
eum in finem. Et paulò post: Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere *Ibidem.*
fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Item: Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit *Ibid.a*
memoriam humilium sensu. Et Propheta tanquam abominatus superbos dicit:
Superbo [51] oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Non habitabit in me- *Psal.100.b*
dio domus meæ qui facit superbiam. *Ibidem.*

Contra verò inter cæteras virtutes [52] humilitatem, quæ earum mater & fundamentum est, eos maximè complecti & seruare oportet; imitantes Dominum & Deum
Saluatorem nostrum,qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se *Philip.2.a*
æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem

hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: quiq. discipulos suos humilitatem
Matth.5.a sequi & superbiam vitare docuit, aliquando dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Aliquando: [53] Amen dico vobis; nisi conuersi fue-
Matth.18.a ritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque er-
Lucæ 9.f go humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Aliquando:
Luc.18.c Qui non acceperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud. Aliquando etiam:
Luc.14.c. & 18.c Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Quamobrem & beata semper Virgo Deipara Maria ait: Dispersit superbos mente cordis sui.
Luc.1.e Deposuit potētes de sede & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis; & diuites
Iacobi 4.c dimisit inanes. Et Iacobus Apostolus dicit: Humiliamini in conspectu Domini, &
1.Petri 5.b exaltabit vos. Beatus verò Petrus: Omnes autem inuicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei vt vos exaltet in tempore visitationis. Sed & Sapiens consenta-
Eccli.3.c nea docet, dum ait: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Et
Tob.4.c Tobias instruens filium: Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

3.Reg.8.e. & 2.Par.6.g. & Eccl.7.e Iacob.3.a 1.Ioan.1.d Ibidem. Quia verò non est homo qui non peccet, & in multis offendimus omnes: & vt beatus Ioannes ait: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et iterum: Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Neophyti maximè admonendi sunt, vt de accepta gratia se non extollentes, magna cordis humilitate se peccatores agnoscant & confiteantur, cùm hanc [54] vitam sine venialibus saltem peccatis transire non possint, ac vt quoties cadunt, toties diuina gratia resurgere studeant:
Prouer.24.b Septies enim in die cadet iustus & resurget. Ac vt idem Ioannes dicit: Si con-
1.Ioan.1.d fiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus Deus, vt remittat nobis peccata nostra,
1.Ioan.2.a & emundet nos ab omni iniquitate. Et subdit: Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis; sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Frequenter autem Catechista eos doceat, vt in percepta gratia perseuerantes, depositis veteris vitæ erroribus, cæterisq. vitijs, bonis operibus vacare, pietatem sectari, virtutes æmulari, ac omne genus peccatorum vitare studeant, iuxta id quod Apo-
Rom.5.a stolus ad Romanos scribit: Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Rom.6.b Ac [55] quemadmodum Christus Dominus noster resurgens ex mortuis iam non moritur, viuit autem Deo in æternum: ita & ipsi in Baptismo, qui crucis, mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi similitudinem habet, peccato semel mortui, & consepulti cum Christo, atque cum eo à mortuis excitati, licet in carne viuant, custodiant seipsos, ne denuo ad peccatum redeant, sed ambulent in nouitate vitæ ac per-
Ioan.12.d seuerent viuentes Deo in Christo Iesu dicente: Qui mihi ministrat, me sequatur; vt
Rom.6.a idem docet Apostolus: An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, [56] quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus

peccato.

peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus
cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum Christo: scientes quòd Chri
stus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: Quod
enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita &
vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo
Iesu. 17 Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concu-
piscentijs eius; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed
exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ
Deo. Et paulo infrà: An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, *Rom.6.c.& d*
serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?
Gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam for-
mam doctrinæ, in qua traditi estis. Liberati autem à peccato serui facti estis iusti-
tiæ. 18 Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibui-
stis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhi-
bete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cùm enim serui essetis pec-
cati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc
erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc ergo liberati à peccato, serui autem
facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.
Stipendia enim peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domi-
no nostro. Et ad Corinthios scribens: Charitas, inquit, Christi vrget nos æstiman- *2. Cor.5.e*
tes hoc: quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro
omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ip-
sis mortuus est & resurrexit. Et rursus Romanos instituens, dicit: Obsecro itaque *Rom.12.a*
vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem,
sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, & nolite conformari huic
seculo; sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei
bona & bene placens & perfecta. Ac paulo infrà: Dilectio sine simulatione, odien- *Rom.12.c.& d*
tes malum, adhærentes bono, charitate fraternitatis inuicem diligentes. Honore
inuicem præuenientes, solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes,
spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus Sancto-
rum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos:
benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.
Idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. No-
lite esse prudentes apud vosmetipsos.

Idemq. eos doceat, quæ ad Neophytos maximè pertinent, & ad illos propriè dicta sunt
ex verbis beati Petri Apostoli, dicentis: Deponentes igitur omnem malitiam & om- *1.Pet.2.a*
nem dolum, & simulationes & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti in-
fantes rationabile sine dolo lac concupiscite; vt in eo crescatis in salutem: si tamen
gustastis quoniam dulcis est Dominus. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab ho-
minibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum; & ipsi tan-
quam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, of-
ferre spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. Propter quod con-
tinet scriptura. Ecce pono in Sion lapidem summum angularem electum, proba- *Isai.28.d*
tum, pretiosum, & qui crediderit in eum non confundetur. Vobis igitur honor cre- *1.Pet.2.b.& d*
dentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic fa-
ctus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his qui offendunt ver-
bo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale Sacerdo-
tium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tene-
bris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus Dei, nunc
autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam; nunc autem misericordiam
consecuti. Charissimi obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à
carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter
gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefacto-

ribus

ribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.
Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcel-
lenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò
bonorum; quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis impru-
dentium hominum ignorantiam; quasi liberi, & non quasi velamen habentes mali-
tiæ libertatem: sed sicut serui Dei omnes honorate. Fraternitatem diligite, Deum
timete, Regem honorificate. Et post pauca, de Christi patientia in sua passione lo-
1.Pet.2.d cutus, subdit: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt pec-
catis mortui iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis. Eratis enim sicut oues er-
rantes; sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum. Et
1.Pet.3.d paulo infrà: Quod & vos nunc similis formæ [scilicet arcæ Noe] saluos facit Ba-
ptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum
per resurrectionem Iesu Christi à mortuis, qui est in dextera Dei, deglutiens mor-
tem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, subiectis sibi Angelis
1.Pet.4.a & potestatibus & virtutibus. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatio-
ne armamini: quia qui passus est in carne desijt à peccatis, vt iam non desiderijs ho-
minum, sed voluntati Dei quod reliquum est in carne viuat temporis. Sufficit enim
præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam; his qui ambulauerũt
in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, comessationibus, potationibus, ebrietatibus, & illi-
citis idolorum cultibus, in quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem
luxuriæ confusionem blasphemantes, qui reddent rationem ei, qui paratus est iudi-
Ibid.b care viuos & mortuos. Ac paucis interpositis: Estote itaque prudentes & vigilate
in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam
habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine
murmuratione: vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administran-
tes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermo-
nes Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omni-
bus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula se-
culorum. Amen.

Quare & adhortetur eos, vt exuti veterem hominem, omnibus membris purificentur,
omnes sensus purgent; hoc est omnia membra, ac singulos corporis sensus, cũctasq́.
passiones mortificent, ac induentes nouum hominem renouentur spiritu mentis
Coloss.3.a suæ, quemadmodum etiam docet Apostolus: 59 Igitur si consurrexistis cum Chri-
sto, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum
sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita
cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos ap-
parebitis cum ipso in gloria. 60 Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super
terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & aua-
ritiam, quæ est simulacrorum seruitus. propter quæ venit ira Dei super filios incre-
dulitatis; in quibus & vos ambulastis aliquando, cùm viueretis in illis. Nunc au-
tem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem
sermonem de ore vestro: nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem homi-
nem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei
secundum imaginem eius, qui creauit illum, vbi non est masculus & fœmina, genti-
lis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed om-
nia & in omnibus Christus. Induite vos ergo sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera
misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes
inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut
& Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete,
quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua
Ephes.4.a & vocati estis in vno corpore, & grati estote. Et alibi: Obsecro itaque vos ego vin-
ctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilita-
te & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, soliciti serua-
re vni-

re vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus ſpiritus: ſicut & vocati
eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus
Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis. Et
non multo poſt: Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut *Ibidem. d*
& gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectũ,
alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſo-
rum. Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immun
ditiæ omnis, in auaritiam. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum: ſi tamen illum au-
diſtis, & in ipſo edocti eſtis (ſicut eſt veritas in Ieſu) [61] deponite vos ſecundum pri- *Ibid. e*
ſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria er-
roris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui
ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Propter quod depo-
nentes mendacium loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam
ſumus inuicem membra. Iraſcimini & nolite peccare, ſol non occidat ſuper iracun-
diam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis
autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat ne-
ceſſitatem patienti. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bo-
nus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiri-
tum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Omnis amaritudo & ira
& indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Eſtote
autem inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem ſicut & Deus in Chriſto
donauit vobis. Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in di- *Epheſ.5.a.*
lectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem
& hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.

Oſtendatq. eis Catechiſta, vt huiuſmodi mentis renouationem oratione, ac quotidia-
na [62] virtutum exercitatione faciant. Et ſicut alibi idem monet Apoſtolus, [63] mun- *2.Cor.7.a*
dent ſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in *1.Cor.15.f*
timore Dei. Ac demum [64] ſicut portauerunt imaginem terreni hominis; portent
& imaginem cœleſtis: nam primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cœ-
lo cœleſtis: qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.

De cætero, iuxta monita Apoſtoli, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcun- *Philipp.4.b*
que iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua
virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitent, & ambulent dignè, Deo per omnia pla- *Coloſſ.1.b*
centes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei in omni vir-
tute confortati ſecũdum potentiam claritatis eius in omni patientia & longanimi-
tate cum gaudio gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem ſor-
tis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in
regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſſionem pecca-
torum. Ac ita per omnia humiliter impleant quod Dominus præcipit in Euangelio:
Sic [65] luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorifi- *Matth.5.b*
cent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et quod dicit Apoſtolus: Prouidentes bona *Rom.12.d*
non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Et cum eodem Apo-
ſtolo meritò dicere poſſint: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt: vnde etiam Sal- *Philip.3.d*
uatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus
humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem
virtutis ſuæ, qua etiam poſſit ſubijcere ſibi omnia.

Cùm Dominus præcipiat, vt à Pſeudoprophetis caueamus, & Apoſtolus admoneat, *Matth.24.a.*
dicens: [66] Licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquàm quod euan- *& b*
gelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus & nunc iterum dico: Siquis vo- *Marci 13.a*
bis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et in alio loco: De- *& c* *Lucæ 21.b*
nuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis *Galat.1.b*
vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam ac- *2.Theſſ.3.b*
ceperunt à nobis. Et beatus Ioannes dicit: Si quis venit ad vos & hanc doctrinam *2.Ioan. d*

non

non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi aue, cõmunicat operibus eius malignis. Ideo Catechista specialiter moneat Neophytos tam qui ex Iudæis, quàm qui ex alijs infidelibus ad Christianam fidem venerunt, vt quorumuis 67 hæreticorum, schismaticorum & à fide apostatarum societatem, conuersationem & familiaritatem omnino vitent & fugiant.

Galat.4.b Et ne cum Galatis redargui mereantur ab Apostolo dicente: Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? Dies obseruatis & menses & tempora & annos. Timeo vos, ne forte sine causa laborauerim in vobis: superstitiones & cæremonias omnes Iudaicas, Mahumeticas, & Ethnicas, nefarias suffumigationes, thurificationes & obsequia quæ dæmonibus exhibentur, ac omnem magiam, sortilegia, veneficia, & incantationes horreant. Astrologiam iudiciariam, vanas dierum, syderum, atque similium rerum obseruationes, ligaturas, amuleta, chartulas, quas breuia vocant, incognitos characteres & signa continentes, numismata magica, phylacteria, & alia superstitiosa, quæ aut collo appensa, aut quouis modo alligata deferuntur, pariter vitent & reijciant: necnon blasphemias, periuria, falsa testimonia, crudelitatem, rixas, pugnas, cædes, ac omnem iniquitatem, adulteria, scortationes, fornicationem & petulantiam, cæteraq. vitia carnis & sanguinis.

Abstineant 68 à theatris, spectaculis, publicis ludis, torneamentis, tauricidijs & venationibus periculosis, à gesticulationibus, & actibus mimorum & meretricularum, ab obscenis cantibus & comœdijs, ac repræsentationibus & saltationibus inhonestis & impudicis, atque virorum effœminatorum choreis, quæ sunt diaboli 69 pompæ, quibus iam abrenuntiarunt.

Vitent item omnem maledicentiam, detractionem, pugnas & contentiones verborum, iniustitiam, auaritiam, vsuras, & omne genus fraudis, & illicitæ negotiationis: omnia denique crimina & peccata tam in se quàm in alijs 70 execrentur & caueant, omniq. studio & conatu curent se custodire immaculatos ab hoc seculo.

Monendi item sunt, vt de rebus turpibus aut obscenis sermones non misceant, mala & suspecta colloquia fugiant, cùm, vt inquit ille, corrumpant bonos mores colloquia mala. Sed nec fabulosa, inutilia, vana, aut otiosa loquantur verba: nam & de his ratio reddenda est. vt enim Saluator noster ait: Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Loquantur autem semper cum omni modestia, verecundia & pudore, quæ sibi ac alijs necessaria, vtilia & salutaria sunt; quæq. ad pietatem & ædificationem pertinent: loquantur quidem bonum & veritatem & pacem cum proximo suo, in omnibus laudantes Deum.

1.Cor.15.d *Matth.12.c*

Sed 71 & malorum Christianorum familiaritatem vitare eos oportet. Admoneanturq. non quicquid à malis Christianis fieri viderint, id licitè & impunè fieri posse; seq. bonos non malos imitari debere existiment, quin potius religiosorum & piorum hominum exempla sectentur, eorumq. consuetudine frequenter vtantur.

Ac vt diuino auxilio à mundi illecebris & vitijs se contineant, atque in bonis operibus & gratia Dei, & in vita spirituali in dies proficiant; præmoneat eos quomodo diuina ope benè viuere, in gratia se conseruare & peccata vitare possint & debeant, nimirum mortificatione membrorum, vitæ abstinentia, studio orationis & bonorum operum, Sacramentalis Confessionis peccatorum & sumptionis sacræ Eucharistiæ frequentatione, ac demum assidua memoria mortis & nouissimorum, iuxta illud Sapientis: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. In primis verò vt peccatorum causas & occasiones fugiant: tum Confessarium sibi deligant probatum virum spiritualem & pium, cui omnia peccata & culpas suas sincerè confiteantur, ac omnes cordis sui concupiscentias, animi passiones, tentationesq. liberè aperiant, cuius consilio in via Domini dirigantur. Quamobrem

Eccli.7. in fin.

obrem de modo confitendi & se in hoc Sacramento exercendi post Baptismum instruendi sunt.

Sanctissimum verò Eucharistiæ Sacramentum frequenter, aut saltem semel in mense, de eiusdem Confessarij consilio sumant.

Postea etiam eosdem Neophytos pro eorum captu instruat in via domini ex Euangelio, Epistolis Apostolorum, & alijs diuinis scripturis, ex diuersis sanctorum Patrum libris & tractatibus, vt Clementis Papæ [72] in epistola prima & secunda, & quarta, Gregorij Nazianzeni, Basilij Magni, Gregorij Nysseni in orationibus seu sermonibus de Baptismo, Cyrilli Hierosolymitani in Catechesibus mystagogicis [73] superiùs memoratis; Ioannis Chrysostomi in homilia ad Neophytos, Ambrosij [74] in præcitatis libris De ijs qui mysterijs initiantur, & de [75] Sacramentis, & in aliquibus eius sermonibus præsertim LIII. de innouatione fidelium, & sermone sequenti LIIII. item de innouatione fidelium: Augustini in homilia xx. in libro L. [76] homiliarum, & in sermonibus de tempore CLVII. [77] CLXIII. [78] & CLXIIII. [79] & de monitis baptizatorum XII. [80] in libro de diuersis, & in compluribus alijs opusculis, vt in Enchiridio ad [81] Laurentium, & in tractatu quarto, quinto & sexto in Euangelium Ioannis, [82] & similibus quæ vsui esse possunt; & Cyrilli Alexandrini in libris XVII. ad Palladium de adoratione & cultu in spiritu & veritate; & Zenonis Episcopi Veronen. ad Neophytos post Baptisma sermone primo & sex sequentibus, Paciani Episcopi Barcinonen. in sermone de Baptismo, ac Bedæ in aliquibus homilijs, vt de Domini Circuncisione, Epiphania, & in octaua [83] Epiphaniæ.

Moneantur, vt de tam singulari magnoq. beneficio per Baptismum accepto ingrati non sint, sed Deo gratias perpetuò agant, quòd ab errore [84] & vanitate ad cognitionem veritatis, è tenebris in lucem, ab impietate ad pietatem, ab iniustitia ad iustitiam, à seruitute peccati in gratiam Dei, è Diaboli tyrannide in libertatem filiorum, & à morte perpetua in vitam æternam eos eruere & reuocare, atque è filijs irę, *Ephes.2.a*
filios adoptionis suæ efficere dignatus sit. Ac sæpe recolant & expendant id quod
scribit S. Ioannes Apostolus: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij *1.Ioan.3.a*
Dei nominemur & simus. Cùm autem ipsi Dei beneficio, & sancti Spiritus afflatu, Christiq. fidelium opera fidei veritatem agnouerint, eandem in proximos suos, & suæ Nationis homines vicem rependant, ac orantes pro illis nullam prætermittant occasionem, qua illos in Domino lucrari possint; tum quia vnicuique mandauit
Deus de proximo suo; tum quia ex eorum conuersione quam procurant, & ipsi æter- *Eccli.17.b*
nam salutem & gloriam eo maiorem & cumulatiorem consequentur, monente Pau-
lo: Attende tibi, & doctrinæ insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum saluum fa- *1.Tim.4.d*
cies, & eos qui te audiunt. Et Iacobo: Fratres mei: Si quis ex vobis errauerit à ve- *Iacob.5.d*
ritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Inculcetur eis, vt semper benedicant Dominum, sicut Tobias docebat filium, dicens:
Omni tempore benedic Deum; & pete ab eo, vt vias tuas dirigat; & omnia consi- *Tob.4.c*
lia tua in ipso permaneant. Et Sicut Dauid: Benedicam Dominum in omni tempo- *Psal.33.a*
re, semper laus eius in ore meo, & alibi sæpe: atque omnia in nomine Domini fa-
ciant, iuxta ea quæ monet Apostolus: Omne quodcunque facitis in verbo, aut in *Coloss.3.c.& d*
opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri
per ipsum. Et iterum: [85] Siue ergo manducatis siue bibitis, vel aliud quid facitis, *1.Cor.10.g*
omnia in gloriam Dei facite. Et hæc quidem sine murmuratione & hæsitatione, vt
idem docet Apostolus: [86] Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitatio- *Philip.2.b*
nibus, vt sitis sine querela & simplices filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo: verbum vitæ continentes ad gloriam meam, in die Christi: quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui.

Ac vt de temporalibus bonis, & seculi huius commodis atque diuitijs anxij non sint,

neque

Psal.54.d neque nimis soliciti,dicente Propheta: Iacta super Dominum curam tuam,& ipse te
Psal.36.c enutriet,& non dabit in æternum fluctuationem iusto. Et rursus: Iunior fui,etenim
senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Hinc & Do-
Matth.6.d.& minus noster in Euangelio suos discipulos instituens, dicit: Dico vobis ne soliciti si-
Luc.12.c.& d tis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne
anima plus est quàm esca,& corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia
cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater ve-
ster cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum co-
gitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid so-
liciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent.
Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut
vnum ex istis. Si enim fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur,
Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse dicentes,
quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia
gentes inquirunt. Scit enim Pater vester,quia his omnibus indigetis. Quærite er-
go primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite
ergo soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei
Matth.7.b malitia sua. Et infrà post aliqua: Si ergo vos cùm sitis mali nostis bona data dare
Luc.11.b filijs vestris; quantò magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?
Philip.4.b Et Apostolus Paulus monet: Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratio-
ne cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Item & bea-
1.Pet.5.b tus Petrus: Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cu-
ra est de vobis.

Ideoq. admoneantur ne 27 quæstubus aut turpibus lucris inhient,néve nimio diuitia-
rum desiderio teneantur, sed sua tenuitate,seu ijs bonis quæ Dei benignitate obti-
1.Tim.6.b nent, contenti sint, ne in laqueos Diaboli incidant. vt enim ait Apostolus: Est quæ-
stus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud
dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus te-
gamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem,
& in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in
interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam qui-
dam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Et infrà:
Ibidem.d Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diui-
tiarum,sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere,
diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fun-
damentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Vnde meritò dixit
Eccli.10.b Sapiens: Auaro nihil est scelestius. Quid superbis terra & cinis? Nihil est iniquius
quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet; quoniam in vita
sua proiecit intima sua.

Qui vero diuites sunt aut facultatibus præstant moneantur,vt iuxta Psalmographum,
Psal.61. nolint sperare in iniquitate; neque rapinas concupiscere; & diuitiæ si affluant, no-
lint cor apponere. Sed indigentibus, viduis, pupillis, orphanis, & alijs pauperibus
subueniant, benefaciant, & eleemosynas erogent, Hospitalibus, Xenodochijs, No-
socomijs,& alijs pijs locis opem ferant,& pecunias suppeditent, ac alijs 28 miseri-
Iacob.1.d.seu cordiæ operibus indesinenter insistant: quoniam, sicut beatus Iacobus ait: Religio
in fine. munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in
tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Et sicut scriptum
Deut.15.b est in lege: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: Idcirco ego præcipio
tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. Et
Marci 14.a Dominus noster in Euangelio confirmat: Semper enim pauperes habebitis vobis-
Matth.26.a cum; & cùm volueritis potestis illis benefacere. Et ipse nos docet: Nolite thesau-
Matth.6.c rizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur. & vbi fures effodiunt
& furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque
tinea

tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus
tuus, ibi eſt & cor tuum. Et alibi: Vendite quæ poſſidetis & date eleemoſynam. *Luc.12.d*
Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quo
fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor
veſtrum erit. Et rurſus: Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona ini- *Luc.16.b*
quitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et alibi: Omni *Luc.6.d*
petenti te tribue. Et rurſus: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors *Ibidem.e*
eſt. Item date & dabitur vobis: menſuram bonam & confertam, & coagitatam & *Ibidem.*
ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Item: Beatius eſt magis dare quàm acci- *Act.20.g*
pere. Et Eccleſiaſticus dicit: Fili eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos *Eccli.4.a*
tuos ne tranſuertas à paupere. Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſpe-
res pauperem in inopia ſua, & quæ ſequuntur. Et iterum: Exorare & facere elee- *Eccli.7.a*
moſynam ne deſpicias.

Eleemoſynam autem non ex inani gloria; nec ad captandam popularem auram, ſed
recta animi intentione ad Dei gloriam & proximi ſubleuationem faciant: quomodo
Dominus in Euangelio docet: Cùm facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, ſi- *Matth.6.a*
cut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis; vt honorificentur ab hominibus:
Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, ne-
ſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua; vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pa-
ter tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Ac doceantur 19 quantæ virtutis, quantiq. pretij & meriti ipſa eleemoſyna ſit: in
primis verò quòd iratum propter peccata Deum placatum reddat, & peccatorum
pretium & compenſatio fiat, iuxta conſilium Danielis: Peccata tua eleemoſynis re- *Dan.4.e*
dime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. Et Dominus dicit: Beati miſeri- *Matth.5.a*
cordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Quin & peccata ipſa extinguat
& abluat. Nam ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis, & *Eccli.3.d*
Deus proſpector eſt eius qui reddit gratiam. Meminit in poſterum, & in tempore
caſus ſui inueniet firmamentum. Et Dominus: Quod ſupereſt, inquit date eleemo- *Luc.11.f*
ſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.

Sed & Deum miſericordem & benignum retinet eleemoſyna, ac ab omni peccato & ab
æterna morte liberat, iuxta Tobiam dicentem: Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, *Tobiæ 4.b*
& noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur fa-
cies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abun-
danter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præ-
mium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis; quoniam eleemoſyna ab om-
ni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia ma-
gna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. Et ipſum To-
biam alloquens Archangelus Raphael cõfirmat: Bona eſt oratio cum ieiunio & elee- *Tob.12.b*
moſyna, magis quàm theſauros auri recondere, quoniam eleemoſyna à morte libe-
rat, & ipſa eſt quæ purgat peccata & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.
Et Sapiens dicit: Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit *Eccli.29.b*
ab omni malo. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi *Ibid.c.& 17.c*
pupillam conſeruabit: & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem vnicuique
in caput illorum. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum *Eccli.29.c*
pugnabit. Quocirca Apoſtolus dicit: Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſe- *2.Cor.9.b.& c*
minat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnuſquiſque prout deſtina-
uit in corde ſuo: non ex triſtitia aut ex neceſſitate. Hilarem enim datorem diligit
Deus. Potens eſt autem Deus omnẽ gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus
ſemper omnem ſufficiẽtiam habentes abundetis in omne opus bonũ, ſicut ſcriptum
eſt: Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Qui autem ad- *Pſal.111.b*
miniſtrat ſemen ſeminanti, & panẽ ad manducandum præſtabit; & multiplicabit ſe-
men veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtrę, vt in omnibus locupleta-
ti abundetis in omnem ſimplicitatem, quę operatur per nos gratiarũ actionem Deo.

Elee-

Isaiæ 58.b. & c Eleemosyna præterea gratiam & gloriam impetrat, iuxta Isaiam dicentem: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq. induc in domum tuam: Cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Sed & sempiternam mercedem ac vitam etiam de re modica data comparat largitori: nec illum vnquam sine retributione dimittit, secundum *Marci 9.f* Domini verbum, sic enim inquit: Quisquis enim potum dederit vobis calicẽ aquæ *Mat.10. in fi.* frigidæ in nomine meo, quia Christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem *Luc.14.c* suam. Et alibi: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites: ne forte te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi *Luc.16.b* in resurrectione iustorum. Et rursus ait. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Qua- *Matth.25.d* re apud Matthæum in iudicij die dicturus est his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere &c. vbi paulo post, ostendens sibi ea omnia misericordiæ opera præstari, quæ pauperibus & amicis *Ibidem.* suis facta sunt, subijcit: Et respondens dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Sed & eleemosynis velut sacrificio quodam Deum ipsum promeremur, iuxta Apostolum dicentem: *Hebr.13.c* Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.

Et id quidem, si ab alijs qui sunt in statu gratiæ, vel in charitate fiant: alioquin, vt di- *1.Cor.13.b* cit idem Apostolus: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, scilicet ad æternam vitam promerendam, quamuis & ad se disponendum ad gratiam, & ad alia multa valdè vtilis sit; Angelo testante dum dicit: *Act.10.e* Corneli exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

Monendi item, vt Christianam modestiam tenentes, ›› amictu simplici, non superfluis vestibus ad mollitiem & vanitatem, sed modestis ad corporis necessitatem vtantur; *Eccli.11.a* memores eorum quæ scriptura dicit: In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.

Quia verò Iudæi & Mahumettani à quibusdam cibis velut immundis abstinent, vel eos etiam abominantur, vt carnes suillas & similes; vel quæ eorum more non fuerint præparatæ: ideo qui ex eis venerint Neophyti edocendi sunt ›› omnes cibos om- *Gen. 1. in fine.* niaq. esculenta bona & munda esse, & nihil eorum à fidelibus reijciendum: Cuncta *Gen.9.a* enim quæ Deus fecit sunt valde bona, ipseq. post diluuium omnia quæ mouentur & viuunt quasi olera virentia hominibus tradidit in cibum, & cibos, dicit Apostolus: *1.Tim.4.a. & b* Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & ijs qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et *Tit.1.d* alibi: Omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.

Verùm Christi fideles ad carnis macerationem & sensuum mortificationem ab aliquibus cibis, vt carnibus, ouis, caseo & lacte & similibus quandoque abstinere, vt Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, aliorumq. ieiuniorum ex præcepto Ecclesiæ, aut alijs diebus ex instituto regulari, aut peculiari voto vel deuotione, vel à carnibus tantùm, vel ab ijs omnibus feria quarta, sexta & sabbato pro consuetudine Ecclesiarum; ac ›› nonnullos Dei seruos etiam perpetuò ab eiusmodi escis & vino ex voto vel instituto similiter abstinere tanquam à fortiori cibo & potu pro sola corporis castigatione, non quòd eas damnent, aut tanquam immundas respuant aut

abomi-

abominentur, [93] sed quod præmium expectent, vt sensibilia despicientes, spirituali deinceps & cœlesti mensa fruantur.

Hæreticos autem fuisse & esse, & hos etiam maximè vitandos, qui vel [94] cibos tanquam creatura veri Dei non essent damnant, aut illis tempore debito vesci prohibent, vel [95] ijs abstinentiæ & ieiuniorum posthabita disciplina quibuslibet diebus sine delectu & indifferenter vtuntur; immemores eorum, quæ dicit Apostolus: Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc seruit Christo placet Deo, & probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt, sectemur; & quæ ædificationis sunt inuicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Et iterum: Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet. Atque alibi: Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

1.Tim.4.a *Rom.14.c.& d* *1.Cor.6.c* *Heb.13.b*

Proinde abstinentiam & sobrietatem sectentur, [96] audientes eundem Apostolum, qui de se dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et iterum ad Ephesios: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto. Et Apostolum Petrum: Ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam; in abstinentia autem patientiam; in patientia autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint & superent; non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

1.Cor.9.d *Ephes.5.d* *2.Pet.1.b*

Qui parentes fideles habent Neophyti, doceantur eos honorare, iuuare & fouere; illisq. obsequi, parere & obedire, vt naturali iure tenentur, quòd sibi fuerint [97] causa vitæ; & Dominus præcipit in Decalogo, dicens: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et iterum in innouatione legis. Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & benè sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Et Saluator noster comprobat in Euangelio, dum & hoc præceptum refert, volens vt in casu necessitatis parentum, etiam posthabito donario, seu oblatione facienda in templo, filius ope & subuentione honorificet patrem suum & matrem suam; ac redarguens Scribas & Pharisæos ab Hierosolymis, qui transgredientes mandatum Dei, seu illius verbum rescindentes propter traditionem suam; ex auaritia contrarium docebant. Et irritum, inquit, fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

Exod.20.c *Deut.5.b* *Matt.15.a.& Marci 7.b*

Hinc & beatus Apostolus Ephesijs scribens, idem & Neophytis & fidelibus præcipit: Filij, inquiens, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam: (quod est mandatum primum in promissione) vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram. Et iterum Colossensibus: Filij obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino. Et Tobias senior tunc se moriturum putans, monet Tobiam filium suum dicens: Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Idemq. docet Sapiens: Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ non obliuiscaris. Memento quod nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi. Ac idipsum Dominus confirmauit apud Ieremiam in benedictione quam dedit Rechabitis, quòd constanter & fideliter obtemperassent præceptis Ionadab patris eorum, quæ ipsi sic referunt: Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris; vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.

Ephes.6.a *Coloss.3.d* *Tobiæ 4.a* *Eccli.7.c* *Ierem.35.a.& b*

L Obedi-

Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab patris nostri in omnibus quæ præcepit nobis: ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filij & filiæ nostræ: & non ædificaremus domos ad habitandum; & vineam & agrum & sementem non habuimus. Sed habitauimus in tabernaculis & obedientes fuimus iuxta omnia quæ præcepit nobis Ionadab pater noster. Et quæ sequuntur. Et subinfert scriptura.
Ibidem.d Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa quæ præcepit vobis; propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.

Eccli.3.a Quare non immeritò Sapiens & ad idem præceptum vehementer hortatur, & huiusmodi atque alias permultas benedictiones obedientibus filijs à Deo dari asseuerat, dicens: Iudicium patris audite filij, & sic facite vt salui sitis. Deus enim honorauit patrem in filijs, & iudicium matris exquirens firmauit in filios. Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur. Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum vita viuet longiore, & qui obedit patri refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his qui se genuerunt. In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, sed confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore. Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui; & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua. Quàm malæ famæ est qui derelinquit patrem; & est maledictus à Deo qui exasperat matrem. hæc ille.

Proinde filij caueant, ne violata naturæ & Dei lege impias manus in patrem vel matrem inijciant; nam & in tales sceleratos filios, Deus etiam temporalis mortis supplicium comminatus est: ita enim in Exodo mandauit:
Exodi 21.c Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

Sed nec maledicta quidem in parentes proferant: nam & eadem diuina lege dicitur:
Ibidem. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Et rursus in Leuitico:
Leuit.20.b Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur: Patri, matriq. qui
Matth.15.a maledixerit, sanguis eius sit super eum. Et hoc ipsum Christus Dominus in Euangelio refert.

Prou.19.d Atque in alias maledictiones incurrũt, Salomon: Qui affligit patrem, & fugat matrem,
Prou.20.c ignominiosus erit & infelix. Et non multo post: Qui maledicit, inquit, patri suo &
Prou.30.b matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris. Et infrà: Generatio quæ patri
Ibidem. suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. Et rursus: Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.
Gen.9.c Exemplo fuit maledictio Noe in Chanaam, filium Cham, quod Cham pater eius vidisset verenda ipsius nudata, & nuntiasset fratribus suis foras.

Sed & olim in lege Moysi etiam contra filium contumacem & proteruum, qui nollet audire patris & matris imperium, & coercitus obedire contempsisset, & sic incorrigibilis factus esset, statuta erat pœna lapidationis & mortis; sic enim dicitur:
Deut.21.c Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit; apprehendent eum, & ducent eum ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentq. ad eos: Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus

nibus vacat, & luxuriæ atque conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat.

Ac insuper quemadmodum filij honorantes parentes, multiplices, vt prædiximus, benedictiones à Deo consequuntur; ita & qui non honorant, maledictionibus subijciuntur, eodem Moyse dictante: Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem, & dicet omnis populus. Amen. Et Salomon. Qui subtrahit aliquid à patre suo vel à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. *Deut.27.c* *Prou.28.d*

Contra verò commoneat eorum parentes, vt & ipsi suos filios in disciplina atque in timore Domini educare studeant, illosq. benignè & paternè tractent, non sæuientes in eos, ne nimium timidi aut pusillanimes reddantur; neque nimium durè aut asperè agentes cum ipsis, ne ad iracundiam vel indignationem prouocentur, neve sic prouocati in aliquam desperationem inducantur: quemadmodum idem docet Apostolus tum ad Ephesios dicens: Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini. Tum & ad Colossenses: Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. Ita Abel, Seth, Isaac, Iacob, Ioseph, Beniamin, filij Iob, Tobias, fratres Machabæi, & alij iusti in sancto Dei timore & amore à sanctis Patriarchis, & viris pijs suis parentibus educati sunt. *Ephes.6.a* *Coloss.3.d*

Sed „ etiam docebit, quòd ijs, qui loco parentum sunt, honor, obedientia & reuerentia debentur, præsertim verò Domini Sacerdotibus, Episcopis scilicet & presbyteris, qui spirituales patres sunt, necnon clericis & religiosis viris & seruis Dei. Et de Sacerdotibus quidem in lege Moysi scriptum est: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq. ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq. ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq. sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusq. populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Et in Ecclesiastico: In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica, in omni veritate tua dilige eum qui te fecit; & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua & honorifica Sacerdotes, & propurga te cum brachijs. Da illis partem sicut mandatum est tibi primitiarum & purgationis &c. Et apud Malachiam: Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirēt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Et in Euangelio Dominus de correptione fraterna loquens dicit: Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et Apostolus: Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Et iterum: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitū conuersationis, imitamini fidem. Et infrà: Obedite præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. hoc enim non expedit vobis. „ De omnibus verò tàm Sacerdotibus, quàm alijs Dei ministris & seruis ita idem Dominus dicit; Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam. Et iterum: Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit, & quicunque me receperit, recipit eum qui me misit. ac *Deut.17.b & c* *Eccli.7.c* *Leuit.2.a* *Malach.2.b* *Matth.18.c* *1.Tim.5.c* *Hebr.13.b* *Ibidem.c* *Matth.10.d* *Luc.9.f*

Luc.10.c rursus: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me sper-
Ioan.13.c nit, spernit eum qui misit me. Item: Amen amen dico vobis, qui accipit si quem mi-
sero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Et Apostolus do-
Rom.13.b cet: Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal;
cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis; nisi vt
inuicem diligatis.

Mulieres admoneat, vt 100 humiles, verecundæ, sobriæ, castæ, & modestæ sint; & iux-
Gen.3.c ta verbum Dei dicentis primæ parenti nostræ Euæ: Sub viri potestate eris, & ipse
dominabitur tui. viris suis in omnibus subiectæ in Ecclesijs velato capite orent &
taceant; domi autem discant à viris suis: fucos, pigmenta, capillaturas, cincinnos,
& omnem superfluum ornatum vitent, vt se verè pompis diaboli in Baptismo abre-
nuntiasse ostendant, & mulieres infideles ex earum pia & sancta conuersatione ad
Christianam fidem amplectendam prouocentur. Siquidem Apostolus ad Corin-
1.Cor.11.a. thios scribens, dicit: Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est, ca-
& b put autem mulieris vir: caput verò Christi Deus: Omnis vir orans aut prophetans
velato capite deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans
non velato capite, deturpat caput suum; vnum enim est ac si decaluetur. Nam si non
velatur mulier, tondeatur. Si verò turpè est mulieri tonderi, aut decaluari, velet ca-
put suum. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei
est: mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est; sed mulier ex viro.
Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideò de-
bet mulier velamen habere supra caput suum, & propter angelos. Veruntamen
neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de
viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Vosipsi iudicate: decet mu-
lierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem,
si comam nutriat, ignominia est illi; mulier verò si comam nutriat, gloria est illi,
1.Cor.14.g quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Et iterum: Mulieres in Ecclesijs ta-
ceant. non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut & lex dicit: Si quid
autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui
Ephes.5.e in Ecclesia. Et ad Ephesios: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quo-
niam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corpo-
ris eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omni-
Coloss.3.d bus. Et rursus ad Colossenses. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Do-
1.Tim.2.c. & mino. Item ad Timotheum: Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecun-
d dia & sobrietate ornantes se non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis vel ve-
ste pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.
Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non per-
mitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus forma-
tus est, deinde Eua, & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuari-
catione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fi-
1.Tim.3.c de & dilectione & sanctificatione cum sobrietate. Ac infrà: Mulieres similiter
pudicas (scilicet esse oportet) non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.
Tit.2.a Itemq. ad Titum. Adolescentulas vt viros suos ament, filios suos diligant, pru-
dentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis,
1.Petri 3.a vt non blasphemetur verbum Dei. Et beatus Petrus: Similiter, inquit, & mu-
lieres subditæ sint viris suis, vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuer-
sationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem
vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indu-
menti, vestimentorumve cultus: sed qui absconditus est cordis homo incorruptibili-
tate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando
& sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subiectæ proprijs viris, sicut Sara
obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius estis filiæ benefacientes, & non per-
timescentes vllam perturbationem. Atque eis proponat monita, quæ parentes Saræ

vxoris Tobiæ iunioris abeunti filiæ dederunt; honorare scilicet soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domū, & seipsam irreprehensibilem exhibere. Et quæ Sapiens dicit: Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens. Et alibi: Noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore Domini; gratia enim verecundiæ illius super aurum. Et paulò post: Mulier si est tibi secundum animam tuam, non proijcias illam: & odibili non credas te in toto corde tuo. Et inferiùs: Beatus qui habitat cum muliere sensata. Et rursus infrà: Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illorum duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis. Et iterum: Dolor cordis & luctus mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans. Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam quasi qui apprehendit scorpionem. Mulier ebriosa, ira magna: & contumelia & turpitudo illius non tegetur.

Tobiæ 10. d — *Prouerb. 18. d* — *Eccli. 7. c* — *Ibidem.* — *Eccli. 25. b* — *Eccli. 26. a* — *Ibid. a. & b*

Viros autem doceat, vt vxores suas, vt corpora sua diligant, illis adhæreant, cum eis cohabitent, & non sint amari ad illas; cùm inter legitimos coniuges fideles matrimonium magnum sit Sacramentum in Christo & Ecclesia, ac diuina & naturali lege indiuidua & perpetua vitæ consuetudo atque vinculum indissolubile esse debeat: quemadmodum dixit Adam, cùm Euam è sua costa ædificatam, & à Domino ad se adductam agnouit. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Et Dominus noster in Euangelio confirmauit: Non legistis, inquiens, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: Et erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Sed & Apostolus fusiùs eadem docens, ait: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit; sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, de carne eius & ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erūt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Veruntamen & vos singuli, vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat. Vxor autem timeat virum suum. Et alibi: Viri, diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Et Apostolus Petrus: Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri, impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ.

Gen. 2. ad fin. — *Matt. 19. a. & Marci 10. a* — *Ephes. 5. f. g* — *Coloss. 3. d* — *1. Pet. 3. b*

Ac subinde ipsi viri sciant cum legitimis vxoribus suis se perpetuò permanere debere, nec eas dimittere, aut deserere sibi fas esse: neque etiam apud Christianos repudium aut diuortium locum habere, nisi ex causa fornicationis siue adulterij quoad tori separationem, vt Dominus & Saluator in sermone in monte docuit: Dictum est autem quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis; quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. Et iterum: Interrogantibus Pharisæis, Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij & dimittere? ita respondit. Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: Et qui dimissam duxerit, mœchatur. Quod & ad Corinthios refert Apostolus; Ijs autem qui matrimonio

Matth. 5. c — *Matth. 19. a. b* — *1. Cor. 7. b*

iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.

Quamobrem admonendi sunt, vt vxoribus debitum reddant, nec inuicem se fraudent, nisi de consensu ad tempus, vt orationi seu sacrorum mysteriorum susceptioni vacent; prout idem Apostolus Corinthijs respondens docet: De quibus autem scri- *1.Cor.7.a.b* psistis mihi, Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat,& vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat:similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet,sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet,sed mulier. Nolite fraudare inuicem,nisi fortè ex consensu ad tempus,vt vacetis orationi:& iterum reuertimini in idipsum;ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic; alius vero sic. Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant: melius est enim nubere,quàm vri. Et ad Thessalonicenses scribit: *1.Thess.4.a.b* Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra; vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore; non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Et ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Et ad Hebræos: *Hebr.13.a* Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.

Quocirca exhortandi sunt viri ad seruandam perpetuoq. retinendam pacem, & concordiam cum vxoribus suis; nec tamen indulgeant earum vanis desiderijs & voluptatibus; sed satagant vt sint piæ & modestæ in omnibus; vt quietam & tranquillam vitam in mutua charitate ducant, ac præcipuè Domino placere possint, iuxta Sapientem cùm dicit: *Eccli.25.a* In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo,& hominibus. Concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. *Eccli.40.d* Et rursus: Amicus & sodalis in tempore conuenientes, & super vtrosque mulier cum viro.

Seruos doceat in sua vocatione propter Dominum permanere debere, dicente Apostolo: *1.Cor.7.d* Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: seruus vocatus es, non sit tibi curæ; sed & si potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus est seruus,libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est,seruus est Christi. Pretio empti estis,nolite fieri serui hominum. Vnusquisque ergo in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud Deum. Et idcirco vt iugum seruitutis libenter ferant, dominis carnalibus non ad oculum seruientes quasi hominibus, sed sicut Domino,& ob eius amorem,qui cùm in forma Dei esset,semetipsum exinaniuit formam *Philipp.2.a* serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo; illis in simplicitate cordis obediant, ac subditi sint,& ex animo eorum iussa faciant, in omnibus placentes,non contradicentes, non fraudantes, iuxta ea quæ sæpe docet Apostolus tum ad Ephesios: *Ephes.6.a* Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo,non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi,facientes voluntatem Dei ex animo,cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus; scientes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino siue seruus siue liber. Tum ad Colossenses: *Coloss.3.d* Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcunque facitis,ex animo operamini sicut Domino,& non hominibus: scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite: qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit, & non est personarum acceptio

apud

apud Deum. Tum etiam ad Timotheum: Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, dominos *1.Tim.6.a*
ſuos omni honore dignos arbitrentur; ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.
Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt, ſed magis
ſeruiant quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficij participes ſunt. Hæc doce & exhor-
tare. Tum denique ad Titum. Seruos (ſcilicet hortare) dominis ſuis ſubditos eſſe *Tit.2.c*
in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem
bonam oſtendentes, vt doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Et bea-
tus Petrus: Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & mo- *1.Pet.2.d*
deſtis, ſed etiam dyſcolis.

Dominos verò, cùm ſerui poſt Baptiſmum eis redduntur, aut cùm opportunum fuerit,
moneat vt ſeruos iam fideles non ægrè ſed hilariter, ac non vt ſeruos, ſed pro ſeruis,
chariſſimos [101] in Chriſto fratres ſuſcipiant, & benignè pertractent, ac eis quod
iuſtum & æquum eſt præſtent; curentq. vt Chriſtianè viuant; & eos qui dyſcoli fue-
rint, vt filios corrigant, & Chriſtianam charitatem in omnibus erga eos exerceant.
Etenim vt dicit Apoſtolus, in vno ſpiritu omnes nos in vnum baptizati ſumus, ſiue *1.Cor.12.b*
Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Et
alibi: Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu. Quicunque enim in Chriſto *Galat.3.d*
baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus, neque Græcus, non ſeruus neque
liber, non eſt maſculus neque fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.
Specialiter verò dominos doceat, quæ & dominis mandat idem Apoſtolus poſtquã
commonuit ſeruos. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes *Epheſ.6.b*
quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis; & perſonarum acceptio non eſt apud
Deum. Et iterum: Domini quod iuſtum eſt & æquum ſeruis præſtate, ſcientes quòd *Coloſſ.4.a*
& vos Dominum habetis in cœlo. Et quæ Sapiens monet: Non lædas ſeruum in *Eccli.7.c*
veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. Seruus ſenſatus
ſit tibi dilectus quaſi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem dere-
linquas illum. Et iterum: Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua; quaſi fra- *Eccli.33.d*
trem ſic eum tracta; quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum.

Dominicis & feſtis diebus non permittant illos ſeruilibus & mechanicis operibus va-
care, ſed potius iuxta diuinam legem, & Eccleſiæ præcepta eos faciant ab ijs quie- *Exod.20.b*
ſcere & abſtinere, ad Eccleſias accedere, ſacris miſſarum myſterijs intereſſe, verbum *Leuit.19.c. &*
Dei audire, frequenter ſua peccata Sacerdoti Confeſſario probato confiteri & de *Deut.5.b*
eius conſilio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere, atque alijs pietatis
actibus operam dare.

In archiuio domus Catechumenorum & Neophytorum habeatur [102] & aſſeruetur ſpe-
cialis liber, in quo deſcribantur ſingulorum qui in ea recepti vel catechizati & in-
ſtructi, ſiue maiores, ſiue minores natu fuerint baptizati ſunt nomina, cognomina,
patria, & Baptiſmi, & Confirmationis dies, quive eorum in Catechiſmo, Baptiſmo
& Confirmatione fuere ſuſceptores.

Sed & ipſorum omnium numerus ſeu catalogus in eodem libro vel in alio retineatur.

Vbi verò domus Catechumenorum non extat, parochus id faciat in communi libro
baptizatorum, & confirmatorum, ac loci Ordinarius ad futuram rei memoriam in
actis ſuæ Curiæ hæc ipſa adnotari mandet.

Et [103] quoniam per gratiam Baptiſmi ciues ſanctorum & domeſtici Dei efficiuntur,
longeq. dignius exiſtit regenerari ſpiritu, quàm carne naſci; ideo Apoſtolica aucto-
ritate ſtatutum eſt, vt Neophyti Ciuitatum & locorum in quibus ſancto Baptiſma-
te pro tempore regenerabuntur, verè ciues ſint, & priuilegijs & libertatibus, & im-
munitatibus quæ alij ratione natiuitatis & originis dumtaxat conſequuntur, gau-
deant. Proinde ea de re Neophyti ipſi poſt aliquot Baptiſmi dies certiores fiant, &
eorum præfecti ſeu parochi, aut alij qui ipſis præſunt, curent vt apud populi eius lo-
ci Magiſtratus inter ciues, ſiue in eorum catalogo deſcribantur.

Catechiſta aut alius Præfectus Neophytis ſæpius ad memoriam reducat; præſertim
verò cùm eos de domo Catechumenorum dimittit, [104] ſponſionem illam, quam

ante Baptismum fecerunt abrenuntiando Satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius.

Præscriptis porrò diebus elapsis, adulti siue maiores Neophyti, qui proprias domos habent, quibusve ad vitæ sustentationem suppetunt facultates, ad eas liberè redire permittantur, dum tamen cum infidelibus non cohabitent; sed potiùs quoad fieri poterit, procul ab eis domos habeant.

Qui verò domibus & facultatibus carent donec artificio, vel alicui operi se addixerint, aut artem aliquam professi fuerint, aut certum vitæ genus elegerint, aut se aliter sustentare valeant, in eadem Catechumenorum domo, vel apud supradictas personas retineantur. Minores 105 autem apud viros, vel mulieres boni nominis & timentes Deum, vel in aliquo religioso loco, Collegio, Monasteriove virorum, si mares; Virginum sanctimonialium aut puellarum, si fœminæ fuerint, collocentur: vt sub eorum, vel earum conuersatione, & disciplina, Christianæ religionis cultum addiscant; & tam in fide, quàm in moribus instituti in melius proficere possint.

Deligantur præterea aliqui viri probi & pij, qui ipsis interim Neophytis indigentibus habitationes artificia, supellectilem, alimenta, cæteraq. ad vitam necessaria iuxta eorum statum & conditionem, vel de reditibus prædictæ domus, vel de Christi fidelium oblationibus siue eleemosynis studeant procurare.

Verùm si neque reditus, neque oblationes aut eleemosynæ satis sint, locorum Ordinarij tam de fructibus & prouentibus Ecclesiarum suarum, quàm aliunde eisdem Neophytis, ne victus inopiam patiantur, donec per se ipsos sustentari valeant prouidebunt, prout 106 Innocentius III. alijq. Patres, & Summi Romani Pontifices suis literis mandauerunt.

Quod quidem & S. Gregorius 107 Magnus, rei Ecclesiasticę largissimus dispensator, pro præclarissima sua charitate egregiè præstitit, vt apparet ex eius literis scriptis ad Anthemium Subdiaconum, & Cyprianum Diaconum Rectorem patrimonij Siciliæ, & ad Fantinum defensorē Siciliæ, vbi & auream 108 illam sententiam pronuntiauit, quòd non esset grauiter ferenda diminutio reditus Ecclesiastici propter conuersionem Iudæorum ad fidem: Nec hoc, inquiens, inutiliter facimus, si pro leuandis pensionum oneribus eos ad Christi gratiam perducamus: quia etsi ipsi minus fideliter veniunt; hi tamen, qui de eis nati fuerint, iam fideliùs baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur; & ideò non est graue quicquid pro Christo dimittimus.

Sed & alij Romani 109 Pontifices se præclarum bonorum operum exemplar præbentes erga pauperes, & alios Neophytos liberaliter, & mirificè hactenus effecerunt; atque nostris temporibus, tum ex Cameræ Apostolicæ reditibus, locis montium, & pensionibus Ecclesiasticis eorum inopiam subleuando, tum etiam officijs, militijs & honoribus illos ornando, præstare consueuerunt.

Curent etiam ijdem viri pij, ne illi otio aut ignauia torpescant, sed alicui operi, vel licitæ arti siue negotiationi se applicent: dum tamen omninò inter Iudæos aut alios infideles proxenetarum, aut quamlibet artem exercere non præsumant.

Hos autem vel Domus Catechumenorum & Neophytorum Præfectos, aliosve probatos Sacerdotes, & ipsi Neophyti, vt in suis necessitatibus & casibus consulant, monendi sunt; iuxta id quod scriptum est: Consilium semper à sapiente perquire. *Tobiæ 4.c*

Et demum in fine Catechista benedicat eis, & cum Apostolo dicat: 110 Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima, & corpus sine quærela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. *1.Thess.5.d*

Nec propterea cùm ad propria domicilia dimittuntur saltem per annum, in omnimoda libertate relinquendi sunt: Sed vt Christianè viuant diligens cura habeatur; & ideo à religiosis personis sæpè visitentur, & in fide confirmentur; ac de eorum vita domestici, & vicini eorum percontandi sunt, An ad Ecclesias accedant: An diebus Dominicis & festiuis Missas audiant, & saltem singulis mensibus, si non frequentius, & præcipuis anni festiuitatibus confessionem peccatorum proprio Sacerdoti, vel alteri

teri

teri ab Episcopo approbato eis assignato faciant, & sacram Dominici Corporis communionem percipiant.

Aliquando etiam ad domum Catechumenorum accedant, & ibi Præfecto domus, aut ipsorum Superiori se præsentent, vt vel actionum suarum rationem reddant, vel ab eo documenta salutis accipiant.

Puellæ nubiles vt honestè nubant eleemosynarum subsidio iuuentur, & quantum fieri potest non nisi originarijs & antiquis Christianis matrimonio iungantur. Si quæ Monasterium ingredi voluerint, aut aliter cœlibem vitam ducere, eis non negetur, sed in sancto proposito confirmentur, atque si in ipso perseuerauerint, in aliquo religioso loco, aut Monasterio collocentur.

Decet autem vt vbi copia Neophytorum est, Monasterium proprium puellarum Neophytarum, vt in Vrbe, erigatur; quarum cura penes Moniales originarias, & antiquas Christianas sit: & ex ipsis puellis, cùm ad ætatem nubilem venerint, quæ cœlibes esse noluerint, nubant; aliæ verò ibidem maneant cum alijs puellis separatim viuentibus.

Similiter & ex Neophytis viris, qui voluerit vel ducere vxorem, vel aliquam ingredi religionem, non desit ei piorum hominum consilium & auxilium, vt quod saluti tum animæ tum corporis magis conducit id faciat, & exequi valeat. Et omnino qui præsunt curent, vt is, si commodè fieri potest, originariam, & antiquam potius Christianam mulierem, quàm Neophytam accipiat in vxorem.

Quod quidem & in alijs omnibus Neophytis vtriusque sexus generaliter quoad fieri poterit curandum est: Nam cùm III experientia teste compertum fuerit mutuam Neophytorum inter se conuersationem ipsos in fide Christiana fragiliores reddere, ac saluti eorum plurimùm officere, auctoritate Apostolica decretum est, vt locorum Ordinarij quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent & studeant Neophytos ipsos cum originarijs Christianis matrimonio copulare.

Commendentur præterea Parochis in quorum parochia degunt, vt eorum curam præcipuam habeant; & ab his postea Visitatores Neophytorum ad hoc designati sæpè cognoscant mores eorum, An piè & Christianè viuant; An in Pascha in Parochiali Ecclesia sacram Eucharistiam sumpserint; An Missas & diuina officia, ac prædicationes, & lectiones verbi Dei frequentent, & ad doctrinam Christianam audiendam veniant; An vocati ad comitandum Sacerdotem deferentem sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos præsto sint, & ad alia pietatis opera diligentes: Num in domos eorum Iudæi conueniant, aut familiariter commorentur, aut ad eos ventitent: Num inimicitias & dissensiones habeant cum alijs Neophytis aut antiquis Christianis, quas pro sua prudentia componere studeant, aliaq. inquirant, & & prout opus fuerit prouideant. Quod & ipsi Parochi pro officij sui munere faciant, vbi domus vel Confraternitas Catechumenorum & Neophytorum, illiusq. Præfectus & Visitatores non habentur.

Orationi vacent, Officium Beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ, qui Latinè legere sciunt, & defunctorum, septem Psalmos pœnitentiales, Litanias, & alias pias orationes, & preces cùm eis opportunum fuerit, recitent.

Coronam ac Rosarium eiusdem gloriosæ & beatæ Mariæ semper Virginis tam hi, qui legere sciunt, quàm qui nesciunt, discant, & similiter recitent.

Cùm cubitum eunt, & cùm è lecto surgunt semper signo crucis se signent, ac Pater noster, Aue Maria, & Credo in Deum saltem dicant. Antequàm cibum sumant, mensam benedicant, & sumpto cibo gratias agant.

Cùm prodeunt domo signent se signo crucis, & cùm iter aliquod aggrediuntur eodem signo crucis, & oratione se muniant.

Cùm aliquam Ecclesiam præsertim celebriorem prætereunt, intrent in eam, aqua benedicta se aspergant, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod in ea asseruatur, reuerenter adorent.

Orantes in Ecclesia Dei vtrumque genu flectant, nec in ea existentes collocutionibus alijsq.

alijsq. negotijs vacent, sed reuerenter & deuotè se habeant, & tota cordis humilitate Dominum deprecentur.

Moneantur vt sciant se omnibus Dominicis & festis diebus, quibus ex sanctæ Ecclesiæ præcepto ab operibus seruilibus abstinere oportet, ad Missam audiendam seu ad illius sacris mysterijs assistendum, ex eiusdem Ecclesiæ præcepto teneri, & obligatos esse. Et nihilominus hortandi sunt, vt pro maiori eorum deuotione, & profectu, si facultas detur, & aliquo impedimento non distineantur etiam singulis alijs diebus Missam audire studeant.

Hebr.4.c Ac proinde cùm, sicut Apostolus ait, Sabbatismus relictus sit populo Dei, ipsi Dominicos aliosq. festos huiusmodi dies de præcepto sanctificent, & religiosè colant, ad Ecclesiam potissimùm Cathedralem, vel parochialem, aut aliam pro loco & tempore accedant, Missarum solennijs, alijsq. diuinis officijs ac sermonibus, & concionibus attentè intersint; Sacramenta frequentent; & si iustè non fuerint impediti ad Vesperas audiendas reuertantur; totoq. die festiuo in orationibus ac sanctis operibus sedulò se exerceant. Et non modò ab operibus seruilibus omnino se abstineant, verumetiam, & multo magis à peccatis, quæ peccatorem verè seruum efficiunt, & ab eorum occasione, ludis, spectaculis, choreis, comessationibus, alijsq. similibus rebus illicitis, vt * supra dictum est, caueant. Neque ijsdem diebus diuinis officijs prætermissis huc atque illuc otiosi, & curis soluti vagentur: Quin potius beatorum Martyrum, aliorumq. Sanctorum Basilicas seu Ecclesias, & sacra oratoria visitent, & in eis ad Deum preces humiliter fundant. Aut etiam adeant Xenodochia, Orphanotrophia, aliorumq. pauperum & infirmorum Hospitalia, atque ægrotantibus & decumbentibus in eis tanquam Christo Domino ministrent. Sed & religiosorum Patrum, ac piorum & sanctorum virorum domos, Collegia, & Monasteria frequentent, vt ad suam ædificationem eorum spirituali consuetudine fruantur, & orationibus se commendent.

* supra §. Abstineant.

Ac præterea sæpe monendi sunt, vt tam dictis Dominicis festisq. diebus, quàm alijs, & Quadragesimæ tempore, qui possunt, prædicationes verbi Dei, & sacras lectiones in Ecclesia, & alijs locis, præsertim eas, quæ ad Iudæos per omne Sabbatum, & eas quæ in Ecclesia Catechumenorum ad ipsos habentur, vt Romæ moris est, frequenter ac attentè audiant. Rudiores autem vt ad audiendam doctrinam Christianam in sua Parochiali Ecclesia, aut alia eis designata libenter accedant, ne ea, quæ didicerunt obliuiscantur, sed firmiùs memoria teneant.

Sanctam Quadragesimam, vigilias, atque alia ieiunia ab Ecclesia instituta, nisi ægritudine, aliave legitima causa fuerint impediti, piè & cum sobrietate obseruent.

Galat.6.c Pietatis operibus incumbant, charitatem sectentur, operantes bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei; calumniantibus se, & persequentibus vicem non
1.Petr.2.d reddant, sed pro eis orent, ac pro Christi amore, qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, calumnias & persecutiones patienter ferant: imò in omnibus benedicentes Deum, pro ijs, & inimicis orent; & cùm occasio dabitur benefaciant illis, qui se oderunt, tam fidelibus, quàm infidelibus, vt in
1.Pet.3.c eo quod detrahunt de ipsis confundantur qui calumniantur eorum bonam in Christo conuersationem. Ab his autem cùm ob Christi nomen opprobria, contumelias, improperia, & obtrectationes, aut quid aliud patiuntur, beatos se existiment, neque erubescant in isto nomine, neque ob quamcunque iniuriam ab illis sibi illatam statim cursitent ad tribunalia, sed modestè cum eis se gerant, & patientia ac mansuetudine potius eos confundant, & erubescere faciant, quàm iudicio & vindicta persequantur.

Sæpe autem plebem suam Parochus moneat, vt huiusmodi conuersos ad fidem amplectantur, & foueant, benè viuendi eis exemplum præbeant, ab infidelium, & malorum Christianorum iniurijs, qui illis impiè fidem aut pristinam infidelitatem exprobrãt, defendant; quinimò eos de fide suscepta semper laudent, & vt Deo semper gratias agant hortentur. Secum eos ducant ad Ecclesias, ad conciones, & ad alia pia loca;

Chri-

Christianos mores, ritus, canonum præcepta, & consuetudines doceant, sanctis monitis, & consilio semper adiuuent, in necessitatibus eis subueniant, ægrotos visitent, discordes concilient, amicitiam cum eis colant, aliquos eorum incultos mores ac defectus sustineant, & tandem quemadmodum cæteros Christianos, ita eos, vt fratres habeant dilectos conciues, & cohæredes Regni cœlorum.

Cùm sæpe 113 malorum consortia etiam bonos corrumpant, & multo magis eos, qui ad vitia proni sunt, & Christifidelibus, præsertim verò Neophytis valdè 114 perniciosa sit infidelium consuetudo, illam ij maximè vitare, ac nullam cum Iudæis aut alijs infidelibus, aut impijs hominibus amicitiam, societatem, aut communionem habere debent: vt à Domino in diuinis scripturis sæpissimè admonemur, dicit enim
per Moysen: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ *Num.16. d*
ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum, & per Isaiam: Egredimini de *Isaiæ 48. d*
Babylone, fugite à Chaldæis. Et infrà: Recedite, recedite, exite inde, pollutum no- *Isaiæ 52. c*
lite tangere, exite de medio eius. Et per Ieremiam: Fugite de medio Babylonis, & *Ierem. 51. a*
saluet vnusquisque animam suam. Et per Apostolum Paulum: Nolite iugum ducere *2.Cor.6.c. & d*
cum Infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei
viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero *Leuit.26. b*
illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus: & quæ sequuntur. Et demum in Apoca-
lypsi: Exite de illa (scilicet Babylone) populus meus, vt ne participes sitis delicto- *Apoc.18. b*
rum eius; & de plagis eius non accipiatis.

Et hæc quidem de impiorum & infidelium consortio atque consuetudine fugienda non immeritò, sed ex necessaria, & manifesta causa periculi seductionis & subuersionis fidei, & participationis malorum & pœnarum tradenda sunt. Scriptum est enim:
Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Quo etiam spectant ea, quæ Dominus in *Eccli.13. a*
lege specialiter olim mandauit populo suo, vt cauerent, ne cum populis Chananæo- *Exod.23.g. &*
rum, seu cum illis septem gentibus vel hominibus earum regionum fœdus vel pa- *34. b. & c. &*
ctum inirent, aut amicitias iungerent, néve illos in sua terra permitterent habitare; *Deut.7. a*
ne fortè ipsos peccare facerent, quod sibi certè in scandalum esset futurum. Ac ita
deinde eis infeliciter contigit: prout & Iosue in commonitione ad eundem populum *Iosue 23. c*
ante fuerat contestatus: quod si earum gentium, quæ inter ipsos habitarent erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia atque amicitias copulare voluissent; scirent Dominum Deum illas ante faciem ipsorum non deleturum, vt essent eis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere suo & sudes in oculis eorum, donec Dominus ipsos auferret, & disperderet de terra ea optima, quam tradiderat eis.

Quare Neophyti cum Iudæis & alijs Infidelibus, nec societates, neque negotiationes
quantum fieri potest habeant: caueantq. iuxta Apostolum, ne eorum infructuosis *Ephes. 5. c*
operibus tenebrarum vnquam communicent, magis autem redarguant, atque se ab illicitis negotijs & mercaturis tam cum illis, quàm cum quibuslibet alijs omnino, ac perpetuò abstineant.

Catechista, & 115 qui ipsorum curam habent, & Diœcesani operam dent, ne cum Iudæis, seu infidelibus saltem per longum tempus conuersentur, ne sicut quandoque contingit ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam perditionem recidiuos efficiat. Et primo præsertim anno post Baptismum eos non nisi præsente Catechista aut Confessario sacerdote, vel alio antiquo & probato Christiano ex rationabili vel necessaria causa, & raro, & quam breuissimo sermone alloquantur. Illos tamen odio non habeant, nec vt bonos se Christianos ostentent, aut aliorum Christianorum beneuolentiam captent, ac sibi concilient, eos maledictis incessant, aut con-
tumelijs vel vlla iniuria afficiant, memores præceptorum legis naturæ: Quod ab *Tob.4. c*
alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Et omnia quæcunque vultis, *Matth.7.b*
vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ, vt ait Dominus. Quinimò sibi persuadeant ea Christianis viris maximè displicere, ac me-

minerint ſe quoque in illis tenebris infidelitatis aliquando fuiſſe; proptereaq. eos magna commiſeratione dignos putent, & pro eorum præſertim verò parentum, liberorum, aliorumq. conſanguineorum, affinium, & propinquorum qui in infidelitate remanſerunt conuerſione, ſupplices, aſſiduas, feruenteſq. ad Deum preces toto corde effundant; vt & ipſi participes ſint beneficij redemptionis humanæ, quam Chriſtus Saluator noſter pro ſua immenſa in nos dilectione operari dignatus eſt. Sed & erga eos benignitate & Chriſtiana charitate vtentes, beneficijs, cùm occaſio vel opportunitas dabitur, illos proſequantur.

Cæterùm qui ex Iudæis Chriſtiani facti ſunt, cum Iudæis nec verbum quidem Hebraicè loquantur, ſed cùm loquendum eis, vt dictum eſt aliquando erit, loquantur communi lingua, vt ab omnibus intelligi poſſint, niſi ſint viri docti, qui de veritate Chriſtianæ fidei tractantes, vel cum Iudæis differentes ex ſacris veteris inſtrumenti ſcripturis, vel alijs eorum libris, ad eiuſdem fidei confirmationem auctoritates & loca Hebraicè proferant, aut recenſeant.

Generaliter autem cauendum eſt, ne [116] Iudæorum, aliorumve infidelium filij iam baptizati, ſiue [117] impuberes ſiue puberes ſint, eorum parentibus, conſanguineis, vel affinibus infidelibus poſt Baptiſmum vllo modo reſtituantur, ne illorum inuoluantur erroribus, aut conſuetudine corrumpantur, aut falſis perſuaſionibus à Chriſti fide deficiant, & ad Iudaicam perfidiam vel priſtinam infidelitatem reuertantur. Et ſi ad eos redierint, omnino ab eorum conſortio ſeparentur, & educandi inſtituendive iuxta ſexum tradantur, vt ſuprà.

Sed & ſi infantes [118] fuerint, idem obſeruetur: Quinimò & ſi lactentes ſint, quos etiam inuitis parentibus aliquo caſu baptizatos eſſe compertum fuerit, nec etiam lactandi aut ad tempus nutriendi, & educandi matribus ſeu parentibus reſtituantur.

Neque [119] quorundam [120] iuris Canonici interpretum opinio probanda eſt, qui falſis rationibus perſuaſi, infantes ſiue impuberes filios Iudæorũ, vel aliorum infidelium baptizatos etiam poſt Baptiſmum reddendos ſeu tradendos eſſe parentibus vel conſanguineis vſque ad certam ætatem, vel quoad eſſent doli capaces, ſub idonea ſaltem cautione, de eis liberè dimittendis aut exhibendis cùm ad huiuſmodi perueniſſent ætatem, pro varia ipſorum opinione cẽſuerunt. Nam & in ſancta Romana, & vniuerſali Inquiſitione [121] aduerſus hæreticam & apoſtaticam prauitatem ad conſeruandam fidei puritatem in pueris baptizatis, ac ad illos in ea rectè inſtituendos, boniſq. & Chriſtianis moribus imbuendos, & ne in ipſa educatione, infideliũ parentum, vel ſuorum quibuſcum viuerent ſuperſtitione vel perfidia corrumpantur, aut eam cum lacte imbibant, illorum opiniones tanquam falſæ, erroneæ, & perículoſæ vnà cum earum auctoribus reiectæ, & improbatæ ſunt: ac generaliter Apoſtolica auctoritate declaratum, & decretum eſt, vt pueri & infantes Iudæorum, vel aliorum infidelium, quauis cauſa vel occaſione baptizati non reſtituantur Iudæis, vel infidelibus etiam eorum parentibus, vel conſanguineis, vel alijs quibuſcunque propinquis, quantumuis ſanguine & quouis gradu coniunctiſſimis, etiam ad tempus donec adoleſcant, aut infantiam tranſigant, vel etiam donec ablactentur; non obſtantibus prædictis opinionibus quorumuis Gloſſatorum Canoniſtarum aut aliorum Doctorum cuiuſuis ſint auctoritatis, aut exiſtimationis.

Ac iuxta ſacros Canones neque à Iudæis [122] vel hæreticis xenia munuſcula, ſeu donaria feſtiua, & quæ olim feriatica vocabantur, neque etiam Iudæorum [123] azyma accipiant aut comedant, aùt aliàs communicent impietatibus eorum. Nam & graue peccatum eſt, & in committentes graues etiam pœnæ ſtatutæ ſunt.

Quia verò Iudæi cum in eorum Paſcha azyma celebrant, vt Neophytos vel alios fideles, vt ſunt artifices quidam ſimplices & ignari, Iudaizare faciant, vel in ſuos errores inducant, azymos eis panes Iudaico ritu decoctos mittunt, erogant aut donant: & hi non animaduertentes malitiam Iudæorum, vel non diſcernentes libenter accipiunt, vt comedant; vel quod peius eſt, appenſos retinent in ſuis tabernis ſiue apothecis; Idcircò tam ipſi Neophyti, quàm alij Chriſtifideles prædicti ſpecialiter admonendi

monendi

monendi & diſtrictè prohibendi ſunt, ne à Iudæis [124] azyma huiuſmodi accipere, manducare, aut retinere præſumant.

Et cùm Chriſtianos Iudaizare [125] nefas ſit, Neophyti, qui ex Iudæis ſunt, ab omni Iudaicæ ſuperſtitionis ritu cauere debent. In Sabbato itaque ab operibus non vacent, ſed operentur in eadem die (niſi feſtum ex præcepto Eccleſiæ tunc occurrat) & Dominicam obſeruent, & in ea vacent. Sed ſi eis Sabbato vacare placet, vacent tanquam Chriſtiani, vel ex deuotione in beatam Virginem Dei genitricem Mariam, cuius memoria, eo præſertim die venerationi eſt; vel parantes ſe ad Dominicæ celebrationem; alioqui enim ex præſcripto ſacrorum Canonum anathemati & pœnis alijs ſubijciuntur.

Neque [126] Paſcha aut alios dies feſtos Iudæorum, qui iam velut vmbræ & figuræ tranſierunt, cum eis agant aut obſeruent; neque ad eorum, imò potius Satanæ ſynagogas, ſcenopegia, circuncisiones, aliasve ipſorum ſolennitates etiam curioſitatis ſtudio accedant: neque quicquam cum eis tractent.

Cum ipſis non [127] comedant, neque bibant, neque [128] quicquid comedi aut potari poteſt à Iudæis accipiant.

Neque ad eorum conuiuia accedant, neque eos ad ſua excipiant, aut inuitent. Quod omnibus Chriſtianis ſacri [129] Canones interdixerunt. quia cùm apud Chriſtianos cibis cõmunibus non vtantur, indignum eſt atque ſacrilegum eorum cibos a Chriſtianis ſumi; cùm ea quæ Apoſtolo permittente nos ſumimus ab illis iudicentur immunda; ac ſic inferiores incipiant eſſe Chriſtiani, quàm Iudæi, ſi nos, quæ ab illis apponuntur vtamur: illi verò à nobis oblata contemnant. 1.Tim.4.b

Cùm eis non [130] cohabitent, nec vllam familiaritatem habeant; ad eorum domos vel hoſpitia non adeant aut diuertant, neque cum eis pernoctent.

Nec viciſſim illos ſinant familiariter ad ſe venire, aut ſuas domos intrare.

Neque etiam cum ipſis in [131] balneis lauent; ludant, ſaltent, aut tripudient.

Sed nec etiam [132] in morbis & infirmitatibus ſuis Iudæos medicos accerſant; neque ab eis medicinas accipiant.

Quocirca in Vrbe iuſſu [133] Pij Papæ V. Iudæis ſub pecuniarijs, & corporalibus, nempe publicæ fuſtigationis, & carceris pœnis, etiam iteratò inhibitum fuit, ne audeant, aut præſumant Neophytos, & Catechumenos vtriuſque ſexus, etiam ſi pater, mater, frater, aut ſoror, aut etiam filius vel conſanguineus, etiamſi infantes cuiuſuis ætatis, in eorum domibus & habitationibus recipere & acceptare, neque ibidem cum eis comedere, & dormire, aut ſocietatem, vel negotium aliquod ſeu conuerſationem cum eis, aut mercaturam aliquam facere, habere aut tenere, neque cum eis ambulare aut laborare. [Quod & deinceps etiam amplius & grauioribus pœnis mandatum [134] eſt.]

Et vice verſa etiam iuſſu Domini Papæ Cardinalis [135] Protector & Iudex Ordinarius Catechumenorum & Neophytorum publico edicto etiam vetuit, & prohibuit vniuerſis & ſingulis Neophytis & Catechumenis vtriuſque ſexus, ne quiſquam eorum cuiuſcunque ſtatus & conditionis audeat aut præſumat poſt illius publicationem ſub quouis prætextu cauſa vel colore comedere, bibere, aut dormire in domibus vel apothecis Hebræorum aut aliorum infidelium, vel alio in loco intra eorum ſepta; vel illa noctu ingredi, aut in eis pernoctare: ab eis munera aut dona cuiuſcunque generis, ne cibos quidem, vel potum, & præſertim azymos panes & ſimilia, quæ pro eorum ſuperſtitione ſtatis temporibus parare ſolent, accipere: Neque ad eorum conuiuia & feſta accedere: neque circumciſioni puerorum eorundem Hebræorum intereſſe: Neque domos vel hoſpitia, in quibus Iudæi commorantur inhabitare; opera medicorum & ipſorum medelis vti: neque vllam denique cum eis familiaritatem, conſuetudinem & conuerſationem habere. Quod vt facilius fieri poſſet, vetuit etiam & prohibuit, ne quiſquam prædictorum Neophytorum & Catechumenorum per ſe vel alium cum illis in mercatura, aut alia negotiatione communicet, vel ſocietatem ineat; imò ſi quam fortè cœperit, debeat eam intra octo dies à die

publi-

publicationis huiusmodi dissoluisse, & rescidisse. Præterea ne audeant operari, aut operas suas locare in domibus aut apothecis Iudæorum, aut aliorum Infidelium, aut in domibus aliorum, in quibus ipsi Iudæi operantur. Prohibuit quoque omnibus, & singulis Neophytis, ne quisquam eorum audeat, vel præsumat in domos aut apothecas suas recipere & familiariter tractare cum quoquam Iudæo, etiam si pater, mater, frater, aut alio consanguinitatis vel affinitatis gradu sibi coniunctus esset: neque eis in domibus suis cibum, potum, aut lectum, quo dormiant præbere; neque in alio quocunque loco, domo, caupona, vel diuersorio cum eis comedere, bibere, aut dormire sub quouis prætextu aut colore; neque etiam ad sua conuiuia, nuptias aut festa illos inuitare, aut eorum opera & seruitio in domibus suis vti sub pœna vigintiquinque scutorum auri in auro, applicanda domui Catechumenorum, & etiam funis quoad viros.

Vt nulla denique [136] Iudæis præsertim, ad Christianam fidem conuersis, sit vltra communio cum his, qui in Iudaica superstitione permanent, ne fortè eorum participatione
1.Cor.5.c. & Galat.5.b tione subuertantur: cùm sicut dicit Apostolus, modicum fermentum totam massam corrumpat.

Ac doceat, vt omnia alia, quæ in decretis, & sacris [137] constitutionibus de Iudæis, deq. eorum vsu & consuetudine prohibita sunt, diligenter vitare debeant.

Caueantq. ne Iudæorum more Sabbato vestes mutent, aut melioribus se induant & ornent; sed Dominico aliove die, sicut reliqui eius regionis faciunt Christiani.

Quia verò Neophyti quidam ex Iudæis, adhuc superstitionis Iudaicæ obseruatores, alicubi, non Sabbato, ne Iudaizare videantur aut deprehendantur; sed præuenientes feria sexta bonis seu melioribus vestibus indui & vti dicuntur: Idcirco & id, si deprehenditur, vetandum, & coercendum est.

Idem quoque valdè curandum est, & de ijs, qui ex alijs infidelibus & Mahumetanis, vel Ethnicis, & gentilibus ad fidem nuper venerunt; ne rursus illorum erroribus inuoluantur; ne cum ipsis infidelibus Mahumettanis, [138] Gentilibus, & Paganis festa celebrent, & impietatis eorum societatem [139] habeant.

Illi ne Pseudoprophetæ Mahumeti vllam prorsus fidem aut venerationem habeant; Mesquitas autem eorum, & impietatem perpetuò horreant, & detestentur.

Hi verò, ne diabolo aut eius simulacris, [140] idolis, & Sacerdotibus caput aperiant aut inclinent, neque vllum omnino cultum exhibeant; neque eorum nomen inuocent; neque seriò vel ioco flores [141] aut frondes spargant, aut illa sertis coronent; neque eis soli, aut cum cæteris gentilibus clam vel palàm thus, odoramenta, munera aut cibos offerant, aut immolent, vel sacrificent, aut pateris vina libent: neque coram eis, vel in eorum templis ludant, choreas ducant, saltent, aut canant, aut profanas epulas sumant, etiamsi aliter quàm propter credulitatem id se facere asseuerarent.

Cùm verò contingit quosdam, qui ad sacrum Baptisma sponte & voluntariè accesserunt, veterem hominem non omnino exuere, vt nouo perfectiùs induantur, sed prioris quoque ritus reliquias retinentes, Christianæ religionis decorem tali commistione confundere: Prælati Ecclesiarum, iuxta Innocentij Papæ III. statutum in Concilio [142] generali, veteris ritus huiusmodi obseruantiam omni modo tollant, vt quos Christianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis
2.Petri 2.in fi. necessitas in eius obseruatione conseruet: cùm minus malum existat, viam Domini non agnoscere, quàm post agnitam retroire.

Ac demum solicitè inuigilandum erit non modò Catechistis, & Præfectis Neophytorum, verùm etiam parochis, & Præsulibus Ecclesiarum, & quibusuis Ordinarijs locorum, ne Neophyti siue recèns siue pridem baptizati, diaboli, aut impiorum hominum suasu insidijs, tentationeve aliqua, aut animi imbecillitate superati, à fidei constantia, & veritate deficiant, aut auertantur, & ad prioris vitæ ritus, superstitionesve redeant aut declinent. Quare & eis maximè curandum est, vt his Neophytis in errores huiusmodi relabendi omnis occasio tollatur, & præcidatur; eosq. eorumve

mores,

mores, vitam, consuetudines, amicitias, & societates explorent, & obseruent, atque ab alijs faciant explorari, & obseruari.

Expedit autem, vt & ipsi edoceantur, quòd iuxta sacras [143] constitutiones contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Iudæorum, etiam si ipsi redeuntes dum erant infantes, aut mortis metu (non tamen absolutè aut præcisè coacti) baptizati fuerunt, erit tanquam contra hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Iudæos conuicti, procedendum. Et sicut contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum; sic contra fautores, receptatores & defensores eorum similiter procedetur.

Quodq. Iudæi, qui Christianos ad eorum execrabilem ritum seu perfidiam inducere comperti fuerint, iuxta [144] easdem Constitutiones sunt pœna debita puniendi.

Sed & Neophyti, qui ex Agarena, seu Saracenica ac Turcica gente, & Mahumettana secta venerunt pariter edocendi sunt, idem statutum [145] esse de ijs, qui ad Christianam fidem conuersi, ad pristinam redeunt impietatem; vel de Christianis, qui fidei veritatem abnegantes, se damnabiliter ad Mahumeticam sectam transferunt, vt contra ipsos tanquam contra hæreticos; & contra fautores, receptatores, & defensores ipsorum, tanquam contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum procedatur. Et Saraceni seu Infideles prædicti, qui Christianos vtriusque sexus ad huiusmodi eorum perfidiam inducunt, pœna legitima puniantur.

Porrò si Neophyti in prædictis deliquisse, aut se suspectos reddere deprehendantur, ipsis locorum [146] Ordinarijs vel Inquisitoribus aduersus hæreticam, & apostaticam prauitatem per Ciuitates, Diœceses, & Prouincias institutis deferantur, qui pro sua prudentia & pietate rationem habentes, quòd recèns Christiani effecti, & nouellæ sint plantæ, eos ad rectam fidem melioremq. frugem reuocare studeant, & iuxta excessuum factorum & personarum qualitatem, vel in eos procedant, & animaduertant, vel illos leuiùs, aut acriùs, vt res postulat, ipsorumq. saluti magis expedire cognouerint, castigent, corripiant, & emendent.

Atque ea ratione his non modò semel in pristinæ infidelitatis errores lapsis, sicut & cæteris parcitur, verùm etiam sæpius lapsis seu recidiuantibus in eosdem, vel alios errores; si tamen verè ipsos pœniteat, & ad veritatis lumen redeuntes sinceræ pœnitentiæ manifesta signa dederint, atque in gremium sanctæ Matris Ecclesiæ recipi humiliter postulaueriat, ex auctoritate, & indulgentia sanctæ Sedis Apostolicæ ab Episcopis, vel Inquisitoribus pœna relapsis debita clementer remitti, & vel in perpetuam, vel in temporalem custodiam, aut in aliam leuiorem pœnam, vel in pœnitentias salutares factorum & personarum qualitate pensata mutari consueuit, aut alias cautè prouidetur.

Quod maximè obseruandum est in ijs, qui ingenio rudes, & mente imbecilles sunt, aut ex gentibus natura varijs, & inconstantibus progeniti sunt, quales putantur Mauri, Arabes, Indi, atque alij similes, cum quibus eadem [147] sancta Sedes super eorum receptione ad pœnitentiam & pœnæ condonatione, sæpius dispensari mandauit.

Et si quando Neophyti ex Iudæis, qui [148] postea blasphemantes in Christum, Iudaicos ritus perpetrare, & abominandas circuncisiones exercere dicuntur, diligenti inquisitione præcedente per Episcopos & Inquisitores locorum Ecclesiastica auctoritate correcti, ad cultum Christianæ religionis reuocentur, vt quos propria voluntas non emendat, animaduersio Sacerdotalis coerceat. Et si [149] moniti se corrigere neglexerint, & ad vomitum Iudaizantes, redijsse comperiantur, contra [150] eos tanquam contra hæreticos procedatur, & si in apostasia & perfidia pertinaces fuerint, post [151] consuetas monitiones, & inducias, iuxta [152] canonicas sanctiones seculari potestati relinquendi erunt debita animaduersione puniendi.

Filiorum tamen [153] eorundem Iudæorum baptizatorum, qui in Christum postea præuaricantes qualibet pœna damnati extiterint, si fideles fuerint, ea ratio haberi debet, circa ipsorum habilitatem vel successionem, quam Canonicæ, & Apostolicæ Constitutiones mandant.

Parochi

Parochi verò illos sæpe visitent, doceant, moneant, arguant, & paternè corripiant; commendent etiam eos alijs Christianis, vt benignè, humaniter, & cum omni charitate cum eis agant & versentur, habeantq. eos vt fratres in Christo, non autem euitent, vilipendant, aut contemnant, vel ab eis abhorreant, quòd ex infidelibus nati sint, imò maiori amore illos diligant, quòd relicta infidelitate Christianam religionem amplexi sunt: nec [154] propter nouam fidei susceptionem inter huiusmodi nouiter conuersos ad fidem, & alios Christianos antiquos discrimen faciant, nec verbo aut facto contumelijs afficiant, nec affici permittant; sed pro viribus contradicant, & pro eis se opponant, ac prohibeant, & eos omni charitate prosequantur, & demonstrent sine personarum acceptione omnes Christianos Catholicos vnum esse corpus
Galat.5.a cum Christo, in quo, sicut dicit Apostolus: neque circuncisio aliquid valet, neque
1.Cor.12.b præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Et iterum: Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in
Ephes.4.a vno spiritu potati sumus. Ac rursus: Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes & per omnia, & in omnibus nobis.

Cùm autem Christus se ijs communicauerit, & nos ipsis nostra communicare debemus; & quos Dominus noster per lauacrum regenerationis suo sanguine mundare & sanctificare dignatus est, iniquum profectò est, vt si in aliquo [155] culpabiles non inueniantur, nec nisi ratione originis suspecti sint, antiqui Christiani eos veluti immundos, & indignos ab officijs, honoribus, dignitatibus, & priuilegijs, quibus alij Christiani vtuntur & gaudent, arceant, ac matrimonia cum ipsis contrahere nolint, & huiusmodi alia in illos faciant, quæ alios infideles à conuersione plerunque auertunt, & ipsos Neophytos contristant, adeò vt imbecilles & debiles in fide quandoque cùm se despectos vident, intrinsecus pœniteat, quòd Christianam fidem susceperint, non sine magno animarum detrimento, & Christianæ religionis contumelia.

Quare publicè & priuatim non modò Parochi, sed etiam Episcopi, & Prælati seuerè arguant eos, qui nouos [156] Christianos sic despiciunt, & contemnunt: quiue ipsos probris, & conuitijs insectantur, aut alias eis cõtumelias aut iniurias inferunt, [157] aut pristinam conditionem contumeliosè exprobrant, & improperant, puta vocando eos Iudæos, Marranos, vel Turcas, aut Renegatos, quos etiam pro grauitate, aut atrocitate facti coërceant, [158] & puniant, aut ab alijs iudicibus coerceri, & puniri faciant.

Et cùm indignum [159] sit, & nequaquam ferendum, eos, qui relicto cæcitatis errore ad lucem venerunt fidei Christianæ, ab ijs, qui in ipsa cæcitate remanent, persecutiones, contumelias, & iniurias pati; ideo multo magis & grauiùs in Iudæos, & alios infideles quauis lingua vocantes Neophytos apostatas, aut משמדים Mesciummadim, hoc est perditos homines, aut eis contumelias, iniurias, & persecutiones inferentes animaduertere debent, aut animaduerti mandare.

Moneant præterea plebem suam Parochi, vt de ipsis, si quid viderint eos peccare, non illico scandalizentur; cùm ideo Neophyti dicantur, quod nouæ plantæ sint, quæ à vento tentationum sæpissimè concutiuntur, & vt paruuli, & imbecilles facilè cadunt.

Sed potius diligenter caueant, ne qui ex antiquis Christianis malo suæ vitæ exemplo recèns ad fidem conuersos ad vitia & scelera prouocent, aut adducant.

Verùm cùm eos delinquere viderint, fraternè corripiant, atque si sæpè moniti non se emendarint tunc ipsorum Episcopo, vel Prælatis eos denuntient, non odio sed charitate, ac zelo salutis eorum, atque vt illos lucrifaciant. In eis tamen corrigendis aut puniendis benigniùs agatur, ne tanquam infirmi pœnarum animaduersione deterriti, à fide deficiant, nisi grauitas seu qualitas delicti aliud postulet.

Sed & cùm Sedes Apostolica ex munere diuinitus sibi commisso pascendarum ouium

& agno-

& agnorum Christi [160] specialiter protegere, & tueri debeat nouiter conuersos ad fidem: Idcirco vt eius benignitate, & auctoritate foueantur, atque à grauaminibus, iniurijs, & indebitis molestijs subleuentur, & protegantur, ei pro tempore præsidentes summi Romani Pontifices Prælatis, & temporalibus Dominis, ac Officialibus locorum sæpissimè [161] rescripserunt, & mandarunt, vt eos benignè pertractent, charitatiuè foueant, gratijs & fauoribus muniant; ac ne deterioris sint conditionis post Baptismum, quàm ante, ipsis in personis, aut rebus eorum nullam molestiam inferant, neque per Iudæos, & infideles aut alios indebitè inferri permittant: quin potiùs in ijs, & alijs se fauorabiles exhibentes, eos ab iniurijs, & molestijs protegant, & defendant, atque in omnibus propitij eis assistant auxilijs opportunis.

Ac proinde [162] in Lateranensi Concilio constitutum fuit, vt qui ad fidem se conuerterint Christianam à possessionibus suis nullatenus excludantur, cùm melioris conditionis esse oporteat ad fidem conuersos, quàm antequàm fidem susciperent, habebantur: ac Principibus & potestatibus locorum sub pœna excommunicationis iniunctum, vt eis portionem hæreditatis & bonorum suorum ex integro facerent exhiberi.

Mandent præterea Principes & Domini terrarum, ne Neophyti & ad fidem conuersi tributis, oneribus, vectigalibus, & exactionibus plus solito aut æquo [163] grauentur, sed piè & humaniter cum eis agatur; ne alij infideles, qui ad eandem fidem libenter conuerterentur, ab huiusmodi conuersione propterea retrahantur.

Quin & Ecclesiarum Prælati etiam in exigendis decimis [164] ab his Neophytis seu conuersis sic benignè, & vrbanè, saltem quoad in fide perfecti, & plenè roborati fuerint se gerant, vt ijdem conuersi se grauatos non reputent; sed potius benigniùs pertractati, alios infideles ad Christianam fidem suscipiendam inducant, & ipsi in ea ferentiùs perseuerent.

Verùm Neophytos, seu qui nuper Baptismate sunt [165] illuminati, ad sacros Ordines & Sacerdotium, nisi post multam probationem promoueri non oportet, secundum Apostoli regulam, & sacrorum Canonum [166] censuram, ne in superbiam elati in iudicium, & laqueum incidant diaboli. *1.Tim.3.*

At si eis postmodum honesta vita, probati mores, clara virtus, vel spectata pietas, & religio, sufficiens doctrina, aliave merita suffragentur, & ad maiores ordines, & ad beneficia Ecclesiastica, ad [167] Canonicatus quoque, præbendas & dignitates, etiam in Cathedralibus Ecclesijs (nisi [168] alicuius Ecclesiæ specialis constitutio Apostolica auctoritate confirmata repugnet) atque etiam ad Parochiales, & curatas Ecclesias promoueri non prohibentur.

Sed & quandoque quis eorum adeò vir insignis, & omnibus qualitatibus abundè præditus esse potest, vt ei etiam Cathedralis Ecclesia regenda meritò committatur, vt & aliàs factum est.

Si quis eorum infirmatur, statim per designatos visitatores visitetur, & subsidio spirituali, & corporali, si opus fuerit, adiuuetur.

Similiter & aliorum pauperum, & indigentium Neophytorum cura habeatur, ne propter nimiam inopiam aliquando ad suos infideles confugere cogantur.

Horum verò indigentium Neophytorum numerus descriptus habeatur, vt quolibet mense saltem aliquid ex pijs fidelium eleemosynis vel domus Catechumenorum redditibus singulis tribuatur.

Concedatur autem aliquibus laicis etiam Neophytis viris probis, vt inter se & cum alijs Christianis collectas faciant pro huiusmodi pauperibus adiuuandis.

Cùm verò grauiter decumbunt vel ad extremum vitæ finem peruenerint, tunc potissimùm eos adiuuent, tunc infideles, & alios in fide suspectos ab eis arceant, & vt piè, religiosè, ac Christianè Sacramentis Ecclesiæ muniti decedant, procurent; ipsorumq. animæ in exitu à Parocho ac alijs Presbyteris & religiosis Domino commendentur; necnon cùm vita functi fuerint cum [169] hymnis & psalmis ad Ecclesiasticam sepulturam de more efferendos curent, ac pro eorum animabus Vigiliæ, & officia mor-

tuorum decantentur, atque diuinum Missæ sacrificium offeratur, & tertio, septimo, vel trigesimo eorum depositionis die exequiæ celebrentur.

Admoneantur autem ne 170 mortuos more Iudæorum aut aliorum infidelium sepeliant, quod si vnquam id facere deprehendantur, ab Ordinarijs locorum, seu ab ijs, ad quos spectat, ipsis, ne de cætero faciant, sub grauibus pœnis prohibeatur.

1 *S. Basil. in sermone 1. de Baptismo parte 1. & 2.*

2 *S. Hieron. in comment. super Matth. cap. 28. Tomo 6. & legitur pro homilia in Breuiario Romano reformato Feria 6. in Albis.*

3 *Concil. Nicæn. I. cap. 2. Tomo 1. Concil. & dist. 48. cap. 1.*
Ita & non absimiliter Innocen. III. ad Liuonen. Episcopum, & eos, qui cum eo sunt fratres, cap. Deus de pœnit. & remission. Et Patres Concilij Basiliensis sess. 19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §. Curent insuper. Et ex eis Paulus Papa III. in litteris in forma Breuis, de Iudæis & Infidelibus venientibus ad fidem. §. Curent insuper.

4 *Concil. Carthagin. III. cap. 86. Tomo 1. Concil. & apud Gratianum de consecrat. dist. 5.*

5 *S. Ambr. in lib. de ijs, qui mysterijs initiãtur citato cap. 1. Tom. 4. & in lib. de Sacram. eod. Tom.*

6 *S. Ambros. in lib. de ijs, qui myst. init. citat. cap. 1.*

7 *Ex Pontificali Armenico maiori in Ordine Catechismi.*

8 *Pont. Armen. vbi proxime.*

9 *Ex pluribus Patribus & præsertim S. Ambrosio in libro De ijs qui myster. initiantur præcitato cap. 1. vbi supra. Tomo 4. Et eodem S. Ambrosio in libro de Sacramentis in initio, eod. Tomo 4.*
S. Cyrill. Hierosolym. in Catechesi mystagogica 1.
S. Ioann. Chrysost. in homilia ad baptizandos Tomo 5.
S. Gaudent. Episc. Brixien. in secundo tract. in lectionem Exodi cap. 12. apud Bibliothecam SS. Patrum Tomo 7.

10 *S. Gaudent. vbi supra.*

11 *S. Ambros. in libro de initian. citato cap. 1.*

12 *Beda in homilia de Circumcisione Domini Tomo 7. &*
S. Cyrill. Hierosolymit. Catech. 10.

13 *S. Ioann. Chrysost. homil. 11. in Matth. cap. 3. Tomo 2. & ex*
S. August. de fide ad Petrum cap. 3. Tomo 3.
Sed & hoc ipsum docet idem S. Ioannes Chrysostomus homil. 9. in cap. 1. Ioannis. Tomo 3.

14 *Ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 13.*

15 *Beda in homilia in octaua Epiphaniæ colum. 4. inter homilias hyemales de Sanctis Tomo 7.*

16 *Concil. Trid. sess. 6. in decreto de iustificatione cap. 13.*

17 *Hactenus ex Concilio Tridentino.*

18 *Conc. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali.*

19 *Concil. Trid. sess. 6. in decreto iustificationis cap. 11. & can. 19. & 20.*

20 *Concil. Trid. ibid. cap. 16. & can. 26. & 32.*

21 *S. Gregor. Papa homil. 29. in Euang. Marci vlt. Recumbentibus vndecim &c. Quod & similiter docet B. Ioan. Chrysost. homil. 9. in Ioann. cap. 1. Tom. 3. ibi, Nolimus igitur, nolimus inquam &c.*

22 *Concil. Trid. sess. 6. in decreto iustificationis cap. 11. & ibidem can. 19. & 20.*

23 *Concil. Trid. sess. 6. in decreto iustificationis cap. 11. & can. 31.*

24 *Concil. Trid. sess. 6. in decreto iustificationis cap. 10. & can. 24.*

25 *S. Basil. serm. 1. de Baptismo par. 1. & ex Concil. Trid. in decreto iustificat. sess. 6. cap. 11.*

26 *S. Gregor. Papa homil. 30. in Ioan. 14. Si quis diligit me &c.*

27 *S. Basil. citato serm. 1. de Baptismo parte 2. vbi supra.*

28 *S. Basil. serm. 1. de Baptismo parte 2.*

29 *S. Basil. serm. 1. de Baptismo par. 2. &*
S. Gregor. Nazianz. in oratione in sanctum Baptisma.

30 *Concil. Trid. in decreto iustificationis sess. 6. cap. 11.*

31 *Concil. Trid. sess. 6. in decreto iustificationis cap. 16. circa fin.*

32 *Concil. Trid. ibid. in princ.*

33 *Concil. Trid. vbi sup. in princ.*

34 *Concil. Trid. ibid. cap. 16. & can. 26. & 32.*

35 *Concil. Trid. dicto cap. 16.*

Concil.

36 Concil.Trid.sess.6.in decreto iustificationis cap.13.
37 Concil.Trid.sess.6. in decreto iustificationis cap.16. in princ.
38 Concil.Trid.sess.6. citato cap.13. vt supra, & can.22.
39. S.Basil.serm.1. de Baptismo par.2.
40 S. Ioan. Chrysost. homil.24.in cap.7. Matth. Tom.2.
41 Compend. Theolog. verit. lib.3. cap.7. de effectu peccati.
42 S.Cyrill. Hierosol. Catechesi 17. ad finem. &
S.Basil.serm.1. de Baptismo parte 2.
Concil.Trid.sess.6. in decreto iustificationis cap.14.
43 Concil.Trid. in decreto iustificationis sess.6. cap.15. & can.27. & 28.
44 Cyrill.Hierosol. Catechesi 14. ad illuminandos.
45 Concil.Trid.sess.14. De Sacramento Pœnitentiæ cap.2. &
S.Gregor. homil.29. in Ascensione Domini.
46 Concil.Trid.sess.6. in decreto iustificationis cap.14.
47 Concil.Trid.sess.14. cap.1.
48 Concil.Trid.sess.6. cap.14.
49 Concil.Trid.sæpe citato sess.6. cap.14.
50 Concil.Trid. ibidem.
51 S.Basil. in præcitato serm.1. De Baptismo parte 2.
52 S. Augustin. de verb. Domini serm. 10. super verbis Matth. 11. Quoniam mitis sum &c. Tom.10.
53 S.Basil.serm.1. de Baptismo parte 2.
54 Concil.Trid.sess.6. in decreto iustificationis cap.11. & iuxta Concil.Mileuit.cap.6.7.& 8.quæ transcribuntur in Concil.Afric. cap.81.82.& 83. Tomo 1.Concil. &
S.August.in epist. ad Seleucianum de Baptismo & pœnitentia Petri contra Nouatianos.108. Tom.2.& habetur de pœnit.dist.1. cap.Tres sunt actiones.§.Est etiam Pœnitentia. & idem
S.August. homil.50. & vlt. cap. 4.5.& 6. in lib.50. homil. Tomo 10. & lib.de pœnit. medicina cap.2. Tomo 9. & in libro de vtilitate pœnitentiæ cap.2.eod.Tom.9. & idem
S. August.siue quis auctor in libro de fide ad Petrum cap.3.
55 S.Basil. serm.1. par.2.
56 S.Basil.serm.1. de Baptismo par.2.
57 S.Basil.serm.1. de Baptismate par.2.
58 S.Gregor. Nazian. in oratione in sanctum Baptisma De singulis membris & sensibus mortificandis.
59 Breuiario Romano leguntur in 1.Noctur. Dominicæ in Albis.
S.Basil.serm.1. de Baptismo par.2. & serm. 2. de Baptismo cap.1.
60 S.Basil. dicto serm.1. parte 2. & idem ibidem suprà.
61 Beda in homil. in octaua Epiphaniæ in describendis virtutibus columbæ.
62 Beda in homil. de circunc. Tom.7. inter hyemales de Sanctis, & in homilia in octaua Epiphaniæ Domini eod.Tom.7.
63 S.Basil.serm.1. de Baptismo par.2.
64 Pacian. in serm. de Baptismo circa finem.
65 S.Basil.serm. 1. de Baptismo parte 2. semel & iterum citat & infra ibidem.
66 S.Basil.serm.1. de Baptismo parte 2.
67 Pacian. Episc Barchinon. in serm. de Baptismo prope fin.
Item de huiusmodi peccatis à Christiano vitandis S.Epiph. lib.3. contra hæres. Tom.2. ad fin.
Item S.August. serm. 163. de tempore, alias 7. Dominicæ in octauis Paschæ superius citato Tom.10. cap.Vos ante omnia. de consecr.dist.4. & ex Iuone Carnotensi, qui eũ refert serm.1.
68 S.Epiphan. vbi supra. & S.Cyrill.Hierosol. Catechesi mystagogica 1.
69 Idem S.Cyrill. in eadem Catechesi 1.
70 S.Basil.serm.1. de Baptismo parte 2.
71 S.Augũst.supracitato serm.164. de tempore seu 8. Dominicæ in octauis Paschæ ad baptizatos vt bonos non malos in Ecclesia imitentur Tom.10.
72 S.Clem.epist.1.2.& 4.Tom.1. Concil. & in proprijs voluminibus.
73 Suprà eodem, §.Interim verò. & de recipien. & instruen. Catechumenis. §.Catechumenos qui ingenio.
74 Suprà eodem, §. Interim verò.
75. S.Ambros de Sacram.Tom.4. vbi instruit baptizatos de susceptis mysterijs,& in d.lib. de initiandis cap.1.

M 2 Super

76 *Super verbis 1.Pet.2. Deposita ergo omni malitia & omni dolo. Tom.10.*
77 *Seu primo Dominicæ in octauis Paschæ ad Competentes Tomo 10.*
78 *Seu septimo Dominicæ in octauis Paschæ ibidem Tomo 10.*
79 *Seu octauo eiusdem Dominicæ in octauis Paschæ ad baptizatos, vt bonos & non malos in Ecclesia imitentur. ibidem.*
80 *habito in die Dominico octauarũ Paschæ in Ecclesia Leontiana in lib.de diuersis eod. Tom.10.*
81 *Tomo 3.*
82 *Tomo 9.*
83 *Tomo 7.*
84 *S. Clem. Rom.lib.7.constit.Apostol.cap.39. Quomodo oporteat Catechumenos institui.*
85 *S.Basil. in sæpecitato serm.1. par. 2.*
86 *S.Basil. in serm.1. de Baptismo parte 2. Quomodo baptizetur aliquis Baptismate quod est in Euangelio.*
87 *S.Cyrill. Hierosolymit. in procatechesi.*
88 *S.August. vel alio Auctore de fide ad Petrum cap.3. Tom. 3. ibi: Nam & illi qui bene viuunt, &c.*
89 *Lucas de Penna in rubr.C.de valid.mendican.lib.11.& ex eo Guliel.de Rouille in Compendio descriptionum iustitiæ atque iniustitiæ lib.2. cap.12. tradunt eleemosynam decem bona conferre, quæ explicant.*
90 *S.Cyrill. Hierosolym.in Catechesi 5. de decem dogmatibus ad Illuminatos.*
91 *S.Cyrill.Hierosol. Catechesi 4. quæ de decem dogmatibus inscribitur. &*
S.August. siue alius Auctor de fide ad Petrum cap.3. Tomo 3. & idem eod.lib. cap.42.
92 *S.August.citato cap.42.vbi suprà de fide ad Petrum.*
93 *S.Cyrill in præcitata Catechesi 4. vbi suprà.*
94 *Dicitur de Encratitis Tatiano & Seuerianis Manichæis & similibus.*
95 *Dicitur de Lutheranis & recentioribus hæreticis.*
96 *Beda in præcitata homil. in octaua Epiphaniæ.*
97 *S.Thom.2.2.q.122.art.5.*
98 *S.Ioan.Chrysost. scribit lib.3. de Sacerdotio, paulò post princ.*
99 *Plura ad hæc de honorandis Episcopis, & Sacerdotibus habet Gratianus distin.96. cap. Quis dubitet.in princ.& cap.seq. in fine. & 11.q.3. cap.Si autem. cum tribus capp.seqq. & in decretalibus. de maiorit.& obed. ferè per totum.*
100 *Beda in homil.de circuncisione Domini, Tomo 7. inter hyemales de Sanctis.*
101 *Apostolus in Epistola ad Philemonem (vbi de Onesimo dicit) vt æternum illum reciperes, iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem maximè mihi; quanto autem magis tibi & in carne, & in Domino.)*
102 *Concil. Toletan. XII. cap.9. §.Item vt Episcopi omnes Iudæis, &c. ibi, & vt professiones eorum, vel conditiones in scrinijs Ecclesiæ condant. &*
Concil.Trid sess.24.de reform.matrim.cap.2.§.Parochus antequam.
103 *Paulus Papa III. in suis litteris in forma Breuis de Iudæis & Infidelibus venientibus ad fidem, incip. Cupientes Iudæos. datis Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Martij 1542. Pontificatus sui anno 8. §. Et quoniam. ad verbum desumpto ex Patribus Concilij Basiliensis sess.19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §.Et quoniam.*
104 *S.Gregor.Nazianz. in oratione in sanctum Baptisma. &*
S.Basil. in serm.2.de Baptismo cap.1.
105 *Concil.Toletan.IIII. cap.59. apud Gratianum. 28.q.1. cap. Iudæorum filios. de quo Iacobus Episcopus Pacen. in instit.Cathol. cap.29. de Filijs & Minor. num.8.*
106 *Innocen.III.ad Eduen.Episcopum lib.2.regesti impressi Tom.1. &*
Ad Abbatem & Conuentum sanctæ Mariæ de Prato de Leincestre eod. libro secundo Regesti Tom.1. ac
Ioan. XXII. in Extrauag. Dignum arbitrantes cap. 2. de Iudæis in extrauag. communibus. &
Patres Concil.Basilien.sess.19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §.Et quoniam.
Paulus Papa III. in dictis litteris in forma Breuis, incip.Cupientes.
107 *S.Gregor.lib.3.Regesti epist.31.seu cap.31. ad Anthemium subdiaconum. &*
Lib. 4. eiusdem Regesti epistola seu cap. 50. ad Cyprianum Diaconum Rectorem patrimonij Siciliæ.
Facit etiam, quod scribit idem Gregor. lib.7. epistola seu cap. 24. ad Fantinum defensorem Siciliæ.

Idem

108 Idem S.Gregorius d.cap.50.epistola ad Cyprianum.
109 S.Gregorius. Leo X. Paulus IIII. Pius V. Gregorius XIII. atque alij, vt postea Clemens VIII.
110 S.Cyrill.Hierosol. in Catechesi mystagogica 5.
111 Paulus III. in præcitatis litteris de Iudæis, & alijs Infidelibus ad fidem venientibus. §. Et quoniam experientia teste. Ex
Patribus Concilij Basiliensis sess. 19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §. Et quoniam experientia teste.
112 Concilium Toletanum IX. cap.17.Tomo 2.Concil. &
Patres Concilij Basilien.sess.19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §.Prohibeatur & his &c.
Et ex ijs Paulus III.in litteris de Iudæis & alijs Infidelibus venientibus ad fidem. §.Et quoniam experientia &c. eadem dicit ad verbum.
113 Concil.Toletan.IIII.cap.61. apud Gratianum cap. Sæpe malorum. 28.q.1.
114 Ad idem suprà de recipien.& instruen. Catechumenis §.1.vbi alia auctoritas citatur. Et Quocirca moneat eos, etiam ex S.Basilio serm.1.de Baptismo parte 2.ad finem, vbi loquitur & de baptizando, & de iam regenerato, vt mutet locum & vitæ pristinæ consuetudinem.
& S.Io.Chrysost.ad Populum Antioch.homil.22.col.4.vbi de pristinis vitijs, moribus, & vita mutandis pleniùs &c.
115 Patres Concilij Basiliensis sess. 19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §. Curent insuper. vers. Et tam ipsi. & ex eis
Paulus Papa III. in supracitatis litteris de Iudæis & alijs venientibus ad fidem simili §.Curent insuper. vers. Et tam ipsi.
116 Concil.Toletan.IIII. citato cap.59.apud Gratianum 28.q.1.cap.Iudæorum filios.
117 Ad idem supra Tit. præcedenti. §.Quod si habuerit.
118 Supra eod.tit.proximo §.Neque filij infantes, & § Lactentium verò.
119 Additio decreti sub Sixto V.
120 Calderin. Felin. & quidam alij.
121 Sub Sisto Papa V. die 22. Octobris feria 5. 1587.
122 Canon.Apostolorum 69.aliàs 70. iuxta Theodorum Balsamonem. &
Concil.Laodic.cap.37. iuxta secundam editionem.
123 Citato Canone Apostolorum 69. ac
Idem Concil. Laodic. cap.38. iuxta secundam editionem. &
Sexta Synodus canone 11. & habetur apud Gratianum cap.Nullus eorum. 28.q.1.
124 Citatis canone Apostolorum 69. &
Concil. Laodic. cap.38. &
Sexta Synodo canone 11.
125 Concil.Laodic. cap.29. iuxta secundam editionem.
Patres Concilij Basilien.sess. 19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §. Prohibeatur & his Neophytis. Et ex ijs
Paulus III. in litteris de Iudæis, & alijs venientibus ad fidem.§.Et prohibeant eisdem.
Ad idem S.Vincentius Ferrarius serm. 2. Dominicæ iiij. post octauam Paschæ. vers. Nota 1. Parte sermon. æstiual.
126 Citatis canone Apostolorum 69. &
Laodicen. Concil. cap.37. &
S.Ignatius in epistola ad Philippenses.
127 Concil. Eliberin. cap.50. Tomo 1. Concil.
Concil. Metense cap.4. Tom.4. Concil.
Licet aliter sit cum Gentilibus, sicut dicit S. Ambrosius in Euangelium Lucæ cap. 5. super verbis, Non veni vocare iustos &c. &
S.Ioan.Chrysost.in epist.ad Hebræos cap.21 homil.25. & habetur 11.q.3. cap.ad mensam, vel nisi causa conuersionis, vt dicitur 23. q. 4. cap. Infideles. ex S. Augustino vbi dicitur infideles non possumus Christo lucrari, si eorum colloquium vitamus & conuiuium, vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus manducauit & bibit, &c.
128 Concil. Metense citato cap.4.
129 Concil.Agathen.cap.40. Tomo 1.Concil.& habetur apud Gratianum 28.q.1. omnes deinceps.
Item Concil.Veneticum cap.12. Tomo 2.Concil.
Item citat. Concil. Meten. cap.4.
Item Concil.Matisconen.I. cap.xv. eod.Tom.2.Concil.
Item Concil.Aurelianen.III. cap.13. eod. Tom.2.Concil. ibi: Item Christianis conuiuia in-

terdicimus Iudæorum, in quibus si forte fuisse probantur; annuali excommunicationi pro huiusmodi contumacia subiacebunt.

130 *Sexta Synodus canon.11. apud Gratianum cap.Nullus.28.q.1.*

131 *Eadem sexta Synodus canon.11.& 28.q.2.citato cap.Nullus.*

132 *Sexta Synodus citato can.11.& apud Gratianum 28.q.1.dicto cap.Nullus.*

133 *In præcepto seu inhibitione Vicarij Vrbis die 30.Iulij 1569.*

134 *Vt in edicto Reuerendissimi Domini Hieronymi Card. Rusticutij Vicarij Vrbis postea edito die 17. Iulij 1592.*

135 *Iulius Antonius tit. S.Bartholomæi in Insula presbyter Card. S. Seuerinæ vocatus, in eius edicto 18. Iulij 1592.*

136 *Concil.Toletan. IIII. cap.61. apud Gratianum 28.q.1. cap.Sæpe malorum.*

137 *Apud Gratianum præsertim 28.quæst.1. per totam, & de Iudæis etiam per totum. & alibi & infrà.*

De Iudæorum conuersione procuranda tit. Quomodo in Iudæorum, & aliorum Infidelium excessu procedendum sit.

138 *Concil.Laodic.cap.39. Tomo 1.Concil.*

139 *S.Ambros.in Euang.Lucæ cap.5. & S.Ioan.Chrysost.in epist.ad Hebreos cap.11 homil.25.& extat in decreto, cap.Ad mensam.11.q.3.*

140 *Concil.Eliberin.cap.1. de his, qui post Baptismum sacrificant, cap.2.de Sacerdotibus gentium qui post Baptismum immolauerunt, & cap.3. de eisdem, qui munus tantum idolis obtulerunt, Tomo 1.Conciliorum.*

141 *L.Nemo. C. de paganis, vbi Valentinianus, & Martianus Augusti plura ex his prohibuerunt.*

142 *Cap.70. Tomo 1.Concil, pag.754. quod habetur tit.de apostatis, cap.Quidam.4. vbi Petrus de Anchar.nu.1. Card.Florent. nu.1. Abb.in princ. Ioan. de Ana. in princ. & nu.1. & Marianus Socin.senior in princ. quòd qui efficitur Christianus debet & compellitur dimittere ritus Iudæorum, & sic aliorum Infidelium; alioquin est apostata, vt dicunt ibidem Card. Florent. & Ioan.de Anania.*

143 *Bonifacius Papa VIII. in cap.Contra Christianos de hæret.in 6. (vbi hæc ad verbum.) Ita & Gregorius Papa X.in litteris ad Inquisitores hæreticæ prauitatis ordinis Fratrum Prędicatorum & Minorum incip.Turbato corde audiuimus, sub Datum Lugduni Kal.Martij Pontificatus sui anno secundo.*

Clemens Papa IIII. in litteris ad Inquisitores hæreticæ prauitatis Fratrum Prædicatorum & Minorum etiam incipien. Turbato corde audiuimus. sub Datum Viterbij vij. Kal. Augusti Pontificatus sui anno tertio.

Nicolaus Papa IIII. in similibus litteris etiam incipien. Turbato corde audiuimus, sub Datum Romæ (seu Reate) ix.Septemb.Pontificatus sui anno primo.

Latinus Episcopus Ostien. & Veletran. Legatus in litteris ad Inquisitorem Ferrariæ, sub Datum Bononiæ viij.Kal.Septemb.Pontificatus Domini Nicolai Papæ III. anno secundo.

Patres Concilij Basilien.sess.xix. in decreto de Iudæis & Neophytis §.Contemptores, cum duobus seqq.

Paulus III. in citatis litteris de Iudæis & infidelibus venientibus ad fidem, incip. Cupientes Iudæos.§.Contemptores cum tribus seqq.

Gregorius Papa XIII. in Bulla seu constit.73. de blasphemijs, & sceleribus Iudæorum per Inquisitores punien. incipien. Antiqua Iudæorum improbitas. sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1581. Kal.Iunij, Pontificatus sui anno decimo.

144 *Citato cap. Contra Christianos. sed expressius Gregorius X. in præcitatis litteris Turbato corde.§.Iudæos autem.*

Clemens Papa IIII. in similibus litteris Turbato corde, etiam §.Iudæos autem.

Nicolaus Papa IIII. in litteris etiam Turbato corde §.Iudæos autem; & Latinus Card. Legatus sub Nicolao Papa III. in citatis etiam litteris ad Inquisitorem Ferrariæ.

145 *Gregorius Papa XI. in similibus litteris incip. Admodum dolenter audiuimus, Datis apud Villamnouam Auenionen.diœc. iij.Non.Augusti, Pontificatus sui anno secundo.*

146 *Patres Concilij Basilien. in præcitato decreto §.Contemptores, & §. De his omnibus. & §.Neophyti verò.*

Paulus III. in prædictis litteris similiter §.Contemptores.& §.Et insuper de ijs omnibus, & §. Neophyti verò.

147 *Scilicet in litteris Apostolicis, in forma Breuis, facultatum absoluendi huiusmodi Apostatas, præsertim in Regnis Hispaniarum.*

Clementis

Clementis Papæ Septimi datis die xvj. Iunij 1525. Pontificatus sui anno secundo. Et alijs eiusdem.

Clementis Septimi datis, die ij. Decembris 1530. Pontificatus sui anno octauo. Et alijs sanctæ memoriæ.

Pauli Papæ Quarti, datis die xxiij. Iunij 1556. Pontificatus sui anno secundo. Et alijs.

Pij Papæ Quarti, datis die vj. Nouembris 1561. Pontificatus sui anno secundo. Et alijs eiusdẽ.

Pij Papæ Quarti, datis die xxv. Augusti 1565. Pontificatus sui anno sexto. Et alijs beatæ memoriæ.

Pij Papæ Quinti, datis die vj. Septembris 1567. Pontificatus sui anno secundo. Et alijs sanctissimi Domini Nostri Gregorij Papę Decimitertij, datis die vj. Augusti 1574. Pontificatus sui anno tertio. [Additio] & alijs

Sanctissimi Domini Clementis Papæ Octaui datis die xxxj. Maij 1593. Pontificatus sui anno secundo.

148 *Concil. Toletan. IIII. cap. 58. Tom. 2. Concil. apud Gratianum de consecrat. distin. 4. Plerique qui ex Iudæis. & apud Gulielmum Durandum lib. 6. Rationalis diuinorum officiorum cap. 83. sub num. 23.*

149 *Patres Concilij Basilien. in præcitato decreto de Iudæis §. Neophyti verò, & Paulus III. in prædictis litteris de venientibus ad fidem, etiam §. Neophyti verò.*

150 *Præcitatis cap. Contra Christianos. de hæreticis lib. 6. & concordan. litteris diuersorum summorum Pontificum suprà memoratis, & decreto Patrum Concilij Basilien. & litteris Pauli Tertij proximè relatis.*

151 *Cap. Conuenientibus. vers. Item Petrus Apocrisarius. 1. q. 7. & faciunt sæpe citatum decretum Patrum Concilij Basilien. §. Neophyti verò, ibi, post canonicam monitionem &c. Et litteræ Pauli Tertij §. Neophyti verò. ibi, post monitionem canonicam.*

152 *Cap. Ad abolendam. & cap. Excommunicamus. de hæreticis. & citato cap. Contra Christianos cum concordantibus.*

153 *Concil. Toletan. IIII. cap. 60. Tomo 2. Concil. & apud Gratianũ 1. q. 4. cap. Iudæi baptizati. At de hæreticorum filijs, cap. Vergentis de hęreticis. cap. Quicunque. cap. Filij, & cap. Statutum ij. eod. tit. lib. 6.*

154 *Ex litteris Apostolicis seu Bulla Nicolai Papæ V. approbationis & confirmationis ordinationum, & decretorum Alfonsi, Henrici, & Ioannis Castellę, & Legionis Regum, anno Incarnationis Dominicę* M. CCCC. XLIX. *Pontificatus sui anno tertio, incipien. Humani generis inimicus.*

155 *Thom. Cardinalis Caietanus Tom. 2. opusculorum, opusculo decimoseptimo Responsionum, responsione sexta.*

156 *Ex Nicolao Papa V. in supradictis litteris Humani generis inimicus. §. Ac omnibus. vt in eis. & §. & quia parum est, &c.*

157 *Ex edicto Iacobi Regis Aragonum, confirmato ab Innocentio Papa Quarto. §. Statuimus.*

158 *Ex eisdem litteris Nicolai citato §. Et quia parum est, & dicto edicto Iacobi Regis, eodem §. Statuimus.*

159 *Ex litteris Latini Cardinalis Exposuit nobis, datis Imolæ xiij. Martij Pontificatus D. Nicolai Papæ Tertij, anno secundo suprà relatis.*

160 *Innocent. Tertius in epistola ad vniuersos Christifideles in Saxonia, & Vuestphalia, & in alia, in Sclauia (forsan in Sclauonia) & in alia ad Transalpiam. (fortasse Transalpinam) constitutos. lib. 1. Regesti impressi Tom. 1. fol. 281. & seq.*

161 *Nicolaus Papa Tertius seu Quartus in Bulla incip. Vineam Soreth &c.*

Ioannes Papa Vigesimussecundus in supracitata extrauag. Dignum arbitrantes. cap. 2. de Iudęis in extrauag. communibus. His adde

Sæpecitatas litteras Latini Cardinalis Ostien. Apostolicæ Sedis Legati ad Inquisitorem Ferrarię.

Ad idem extant litterę eiusdem Ioannis Vigesimisecundi in eius Regesto apud Bibliothecam Vaticanam, ad Angelum Episcopum Viterbien. sub Datum Auenione iiij. Nonas Iulij Pontificatus sui anno sexto.

Et alteræ eiusdem Ioannis Vigesimisecundi in eodem Regesto ad eundem Angelum.

Item alię einsdem, ibidem, ad Archiepiscopos, Episcopos, Electos, Abbates, Priores, & alios Ecclesiarum Pręlatos in Regno Hungarię cõstitutos, sub Datum Auenione viij. Idus Maij Pontificatus sui anno duodecimo.

162 *Alexander Tertius in Concilio Lateranen. cap. 26. Tomo 3. Concil. & habetur cap. Iudæi 2. §. 1. de Iudæis.*

163 *Hęc ponuntur argumento infrà citandarum litterarum Ioannis Papę Vigesimisecundi.*
164 *Ex litteris Ioannis Papæ Vigesimisecundi ad Prælatos Regni Hungarię, quę in scholijs ad §. Sed & cùm Sedes Apostolica citatæ sunt.*
165 *Canone 3. Concilij Laodiceni secundum primam,& tertiam versionem.*
166 *Concil.Nicęn. can.2. apud Gratianum dist.48.cap.1.*
Concil.Laodicen.can.3.Tomo 1.Concil.secundum triplicem versionem.
Concil.Arelaten.cap.2. eodem 1.Tomo Concil, vbi dicitur ordinari ad Diaconatus vel Sacerdotij officium Neophytum non debere.
167 *Cap.Eam te. ex Innocen.Tertio,de rescriptis.*
168 *Vt in Ecclesijs Toletan.Corduben. & alijs in Hispanijs.*
169 *S.Hieronymus in vita S.Pauli primi Eremitę,Epistolarum Tomo 1.*
170 *Patres Concilij Basilien.sess.19.in decreto de Iudęis & Neophytis §. Prohibeatur. & his Neophytis &c. & ex ijs*
Paulus Tertius in litteris de Iudæis, & alijs infidelibus venientibus ad fidem. §. Et quoniam experientia &c.

HOrum autem occaſione, quæ primò de recipiendis & inſtruendis Catechumenis, tum de Neophytis inſtruendis atque iuuandis tradita ſunt, non abs re fuerit, vt & nonnulla, quæ ad infidelium & Iudæorum conuerſionem procurandam pertinent ſubiungantur; & hæc quidem obiter. Nam ſi principaliter de his fuiſſet agendum, ſuperius ante Ordinem Baptiſmi adultorum agi oportuiſſet.

DE INFIDELIVM CONVERSIONE procuranda, & de eorum conſuetudine cum Chriſtianis.

QVoniam Saluator noſter Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, illud potiſſimum Sacerdotalis curæ munus eſſe debet, vt ij qui adhuc in tenebris cæcitatis & infidelitatis iacent, omni ſtudio & diligentia ad lucem veritatis, quę Chriſtus eſt, perducantur; Iudæi præſertim inter Chriſtianos degentes, qui etſi propter obfirmatam perfidiam, obſtinationem, & ſcelera multa ac flagitia, quibus repleti ſunt, deteriores cæteris infidelibus ſunt effecti, diſperſiq. in nationibus & excæcati careant vero Deo, à quo per incredulitatem & peccata penitus alieni facti, & derelicti, cunctiſq. gentibus deſpecti & in opprobrium dati fuerunt, ſicut prædixit Oſeas Propheta: Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim. ac etiam Azarias: Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero & abſque Sacerdote, abſque Doctore quoque, & abſque lege. Quia tamen, vt idem Oſeas ſubiungit: Et poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum ſuum; & Dauid Regem ſuum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius nouiſſimo dierum. Et ſimiliter Azarias ſubijcit: Cumq. reuerſi fuerint in anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael & quæſierint eum, reperient eum. Et Iſaias Propheta dicit: Reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo: conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiæ. Et ex eo confirmat Apoſtolus Paulus dicens: Iſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. verbum enim conſummans & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram. Et quòd ſi aliqui ex ramis oliuæ, vt inquit Apoſtolus, fracti ſunt propter incredulitatem; ſi tamen non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos, non eſt deſperanda eorum ſalus: ſed memores Chriſtiani, quòd ſalus ex Iudæis, & quòd de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem: quodq. idem Apoſtolus ait: Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum & gloria & teſtamentum & legiſlatio & obſequium, & promiſſa: quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Epiſcopi & Eccleſiarum Prælati nihil prætermittere debent, quò eos ad fidem perducant, & aliqui ſaltē ex eis ſalui fiant.

1.Tim.2.a · *Oſeæ 3.b* · *2.Paral.15.a* · *Oſeæ ibid.* · *2.Paral.ibid.* · *Iſai.10.e* · *Rom.9.f* · *Rom.11.c* · *Ibidem.* · *Ioan.4.c* · *Iſai.2.* · *Rom.9.a*

Et ideo in quibus Ciuitatibus, Oppidis & locis Iudęi habitant ſingulis Sabbatis lectiones legis & Prophetarum, qui in eorum Synagogis illis diebus legūtur, per aliquem Theologum Hebraicę linguę & Rabbinorum doctrinę non ignarum, ex vera ſcripturarum intelligentia ſecundum Eccleſię Catholicę ſenſum eis declarentur & explicentur, aliæq. conciones à viris doctis ad eos habeantur, quibus apertè oſtendatur, veriſſimisq. argumentis demonſtretur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Meſſiam fuiſſe in lege, & Prophetis promiſſum, neque alium expectandum eſſe. Quibus ipſi Iudæi intereſſe Eccleſiaſtica auctoritate compellendi ſunt, vt infrà dicetur,

tur, siue in eisdem ipsorum Synagogis, siue in alio certo loco vel Oratorio, vel Basilica, loco semoto, cessantibus diuinis officijs. Nam sunt qui arbitrantur maximè expedire conuersioni Iudæorũ vt in ipsorummet Synagogis ex veteris legis & Prophetarum libris Saluator noster Iesus Christus & Euangelium eis annuntietur, vt in actis Apostolicis Beatum Paulum, & alios Apostolos sæpe fecisse legitur: ac aliquando Gregorius Papa XI. per suas litteras Ioanni Alcherij Neophyto Auenionensi commisit, vt Iudæos per eorum Synagogas modis & vijs salutaribus iuxta datam sibi à Domino prudentiam exhortaretur, ita vt ipsi errore huiusmodi penitus derelicto viam veritatis agnoscerent, & ad Christi fidem conuerterentur. Incipiunt autem. Ad illa libenter intendimus. sub Datum Auenione xij. Kal. Martij, sui Pontificatus anno primo, prout in eius Regesto, quarum tenor talis est.

Dilecto filio Ioanni Alcherij laico Auenionen. salutem &c. Ad illa libenter intẽdimus, & opem Apostolicæ solicitudinis adhibemus, quæ Catholicæ fidei exaltationem respicere dignoscuntur. Cum itaque sicut pro parte tua nobis fuit nuper expositum, tu qui olim Iudęus existens, Spiritus sancti gratia illustratus, Iudaicæ cæcitatis errore relicto ad fidem Catholicam conuersus, & sacri Baptismatis fonte renatus fuisti, ad cuius exhortationem & instructionem multi Iudæi & Iudææ ad fidem eandem postmodum sunt conuersi & etiam baptizati, diuina tibi opitulante gratia, incredulos Iudęos exhortari & eos pro viribus inducere & vt ad fidem ipsam conuertantur intendas. Nos qui fidem ipsam propagari & dilatari intentis desiderijs affectamus huiusmodi tuum laudabile ac meritorium propositum in Domino commendantes, volumus & Apostolica tibi auctoritate concedimus, quòd tu præfatos Iudęos per Synagogas eorum modis & vijs salutaribus iuxta datam tibi à Domino prudentiam exhorteris: ita quòd ipsi errore huiusmodi penitus derelicto viam veritatis agnoscant, & ad fidem conuertantur eandem. Nulli ergo &c. nostrę voluntatis & concessionis infringere &c. Datum Auenione xij. Kal. Martij anno primo.

Sed & Franciscus Torrensis pius & insignis Theologus Apostolicus librum, qui est secundus, edidit, De Iesu in Synagogis Iudæorum ex lege & Prophetis ostendendo & annuntiando. Atque ita Romæ tempore sanctæ mem. Pauli Papæ IIII. aliquando seruatũ fuit, vt post lectionẽ Rabbinorum Theologus vel Rabbinus factus *Christianus secundum verum sensum refutatis erroribus, illã Hebræis pręlegeret & explanaret.

* Andreas de Monte.

Quod oporteat ab Episcopis & Prælatis Ecclesiarum institui & mitti prædicatores, non solùm Iudæis, sed etiam alijs infidelibus, qui ad eos pertinere possunt.

Oportet insuper Episcopos & Prælatos non modò Iudæorum conuersionis & prædicationis ad eos curam habere, verumetiam aliorum infidelium, siue Mahumetani, siue alterius sectæ, siue etiam Ethnici in extremis orbis terræ oris fuerint, qui ad ipsos quoquomodo pertinere possunt; ac prædicatores verbi Dei ad eos mittere & instituere, qui ipsis Christi Euangelium annuntient, & à quibus ad veræ fidei cognitionem per prædicationem ducantur, dicente Apostolo: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Nam, vt idem dicit Apostolus: Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Et paucis interiectis concludit quod suprà dicitur: Ergo fides ex auditu, auditus per verbum Christi. sicut & de gentibus ait Psaltes: Populus quem non cognoui seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.

Rom. 10. d — *Ibidem.* — *Psal. 17.*

Quare alij cuiuscunque generis infideles, qui in terris & locis Christianorum sub ipsorum dominio degunt, siue liberi sint, siue serui; siue inter se amici & fœderati, benignè & humaniter tractandi sunt: tum & ad Christi fidem inuitandi & hortandi sunt officijs charitatis, mansuetudine verborum, & studio benefaciendi potiùs quàm vi & asperitate aut acerbitate minarum compellendi.

Christianiq. meminisse deberent eandem ipsos & communem nobiscum habere naturam, quam pro omnibus, sine peccato tamen, Dominus assumere dignatus est, pro quibus etiam crucis patibulum subire voluit.

Quodq. in Deo non est masculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber; sed omnia & in omnibus Christus. Neque enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. *Coloss.3.b* *Rom.10.c*

Maiores quoque nostros olim fuisse infideles, sed Dei bonitate misericordiam consecutos: & ideo oportet dominos misereri seruorum suorum, ne erga eos se gerant sicut gentes, quæ ignorant Deum.

Benignitatem igitur & charitatem Christianam seruis & subditis exhibeant, qua prouocati facilius conuertantur. Domini seruos suos infideles assiduè hortentur, vt Christiani efficiantur: ad prædicationes mittant, aut secũ ad eas audiendas ducant; non autem alia de causa Ecclesias intrare, aut diuinis officijs interesse permittant.

Sinant imò maximè curent, vt ij piorum & religiosorum hominum consuetudinem & familiaritatem habeant; & tandem nil prætermittant quo minus eos ad fidem perducere possint.

Caueant autem ne vllo modo, vel ob timorem amittendi eorum dominium si Christiani efficiantur; vel fortè quod cùm Christiani effecti fuerint non tam grauiter eis dominari, aut eos angariare, siue assiduo seruitio aut duro labore premere & fatigare possint, eam diligentiam quam deberent ad eos conuertendos adhibere omittant. Et quod perniciosius est, ne propterea eos, qui ad seruos exhortandos ad fidem ventitarent, à domibus suis arcere, aut quouis modo seu prætextu impedire vel exturbare audeant: quia tunc cùm de eorundem seruorum proba ac prompta credendi voluntate constat, dominis inuitis in domum Catechumenorum ducendi sunt. Et nihilominus ipsi domini, qui conuersionem & Baptismum seruorum impediunt, velut non rectè de Christiana fide sentientes ab Ordinarijs vel Inquisitoribus locorum puniendi sunt; & eorum præterea serui postea baptizati in pœnam ipsorum perpetua essent libertate donandi.

Serui quoque ipsi, si domum Catechumenorum, seu ad Ecclesiam propterea confugiunt vt Christiani fiant, ibidem sunt retinendi, & nequaquam dominis, nisi postquã fuerint baptizati, restituendi. Et tunc, si illorum sæuitia timeatur, non restituantur, nisi præstita idonea fideiussoria cautione sub congrua pœna de eisdem seruis humaniter benigneq́. tractandis, deq́. eis non vendendis aut distrahendis in seruitium triremium, vel aliud corporale.

Cæteri autem infideles in eorum terris aut regnis cũ Christianis degentes, quoad fieri potest, pro loco & tempore Christi fidem edoceantur. Et cùm id non facilè conceditur aut non permittitur, saltem exemplo bonorum operum & sanctis moribus Christiani eos prouocent ad fidem, quemadmodum B. Petrus Apostolus nos commonet: Conuersationem vestram, inquiens, inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Et paulo infrà: Quia sic est voluntas Dei, vt benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Et quemadmodum Apostolus Paulus nos edocet ad Philippenses scribens: Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes, *1.Petri 2.c* *Philipp.2.b*

Vnde infideles ex sancta conuersatione Christianorum plerunque commoti & allecti, ad regiones Christianorum Baptismi suscipiendi causa confugiunt: Sicuti è contrario, ex mala conuersatione nostrorum multi scandalum accipiunt, & nomen Domini blasphematur & inter fideles & inter gentes.

Quapropter Pastores Christianorum degentium in terris infidelium & Christiani nominis hostium, enixè plebes suas hortentur, vt sanctè, piè, castè & irreprehensibiliter

ad

ad eos qui foris ſunt ſe habeant; & patienter moleſtias,vexationes, & perſecutiones infidelium ferant: nec à fide Ieſu Chriſti Domini & Saluatoris noſtri,ob quaſcunque graues & vehementes tentationes vel tribulationes, in perniciem ſuarum animarum,deficiant.

Recognoſcantq. peccata ſua & parentum ſuorum, propter quæ iugo infidelium & hoſtium barbarorum ſubijci meruerunt: & iram Dei non irritent magis contra ſeipſos eadem peccata perpetrando. Deum autem per veram pœnitentiam aſſiduè propitium reddere ſtudeant, ac bona ſpe ſe ſuſtentent fore aliquando,vt ſi diuinam maieſtatem vlteriùs offendere deſierint,ac reiectis hęreſibus & ſchiſmatibus Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vnitatem,pacem atque obedientiam (quemadmodum patres noſtri multis locis admonent) amplexantes ſeruauerint, placatus Deus à tyrannica barbarorum & infidelium eos ſeruitute eruat, & in libertatem priſtinam reſtituat.

Hæc autem omnia prudenter & diſcretè conſiderent atque perpendant tum prædicatores ad infideles deſtinati, tum præfecti Catechumenis & infidelibus inſtruendis.

Quia verò opus conuerſionis Iudæorum & aliorum infidelium ad Chriſtianam fidem valdè arduum & difficile eſt; idcirco aſſiduis precibus, ieiunijs, alijsq. pœnitentiæ operibus & laboribus ad cœleſte auxilium & diuinam opem implorandam præmiſſis, id ſolicitè & cum omni charitate & feruore præſtandum eſt, non autem molliter aut ſegniter: & ideo complures ſancti Patres, ac ſummi Romani Pontifices ad illud diligenter obeundum Præſules Eccleſiarum ſæpius admonuerunt & excitarunt.

Clement. 1 de magiſtr. Clemens Papa V. in Concilio Viennenſi ad id inſtituit ſcholas & lectiones trium linguarum Hebraicæ, Chaldææ & Arabicæ in Romana Curia & in Studijs generalibus Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi & Salmanticenſi, quæ aliquando viguerunt & obſeruatæ ſunt. Ita autem habet eius conſtitutio.

Inter ſolicitudines noſtris humeris incumbentes perpeti cura reuoluimus, vt errantes in viam veritatis inducere, ipſosq. lucrifacere Deo (ſua nobis cooperante gratia) valeamus: hoc eſt quod profectò deſideranter exquirimus, ad id noſtræ mentis ſedulò deſtinamus affectum,ac circa illud diligenti ſtudio & ſtudioſa diligentia vigilamus. Non ambigimus autem, quin ad huiuſmodi noſtrum deſiderium aſſequendum diuinorum eloquiorum ſit expoſitio congrua, ipſorumq. fidelis prædicatio admodum opportuna. Sed nec ignoramus quin & hæc promi noſcantur inaniter, vacuaq. redire, ſi auribus linguam loquentis ignorantium proferantur. Ideoq. illius, cuius vicem in terris,licet immeriti,gerimus,imitantes exemplum,qui ituros per vniuerſum mundum ad euangelizandum Apoſtolos in omni linguarum genere fore voluit eruditos,viris catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles, præcipuè abundare ſanctam affectamus Eccleſiam, qui infideles ipſos ſciant & valeant ſacris inſtitutis inſtruere, Chriſticolarumq. Collegio per doctrinam Chriſtianæ fidei ac ſuſceptionem ſacri Baptiſmatis aggregare. Vt igitur peritia linguarum huiuſmodi poſſit habiliter per inſtructionis efficaciam obtineri: hoc ſacro approbante Concilio, ſcholas in ſubſcriptarum linguarum generibus vbicunque Romanam Curiam reſidere contigerit; necnon in Pariſienſi & Oxonienſi, Bononienſi & Salamantin. Studijs prouidimus erigendas; ſtatuentes vt in quolibet locorum ipſorum teneantur viri Catholici ſufficientem habentes Hebraicæ,Arabicæ & Chaldææ linguarum notitiam: duo videlicet vniuſcuiuſque linguæ periti, qui ſcholas regant inibi,& libros de linguis ipſis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipſas ſolicitè doceant,earumq. peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant; vt inſtructi & edocti ſufficienter in linguis huiuſmodi fructum ſperatum poſſint Deo auctore producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles.

Cap. 9. §. Item vt concurſus Tom. 3. Concil. Et quidem quantum ad Iudæorum conuerſionem attinet, Concilium Toletanum XII. ſtatuit, vt propterea concurſus Iudæorum inſtitutis diebus ad Epiſcopum fieri deberent.

Et Nicolaus Papa . . . hoc prædicationis munus ad Iudæos in diuerſis mundi partibus

bus diuerſis verbi Dei prædicatoribus piè & diligenter commiſit: ſpecialiter verò Priori Prouinciali Fratrum Prædicatorum in Lombardia, & alijs dicti Ordinis Fratribus ab ipſo eligendis in eius Prouincia, ſub his verbis:

Porrò quia Iudæorum ipſorum quaſi per vniuerſum mundum diuino iudicio præuiſa diſperſio, ipſos ad recipiendum Sacramenta fidei ac doctrinam commodè in vnum conuenire non patitur, neceſſitate nos voluntariè vrgente compellimur per diuerſas mundi partes diuerſos ſeminatores eligere, per quos ſemen verbi Dei prout poſſibile eſt, ſpargamus in ſingulos, quorum ſalutem vniuerſaliter & ſingulariter affectamus. Ad te igitur inter alios ſub ſpe diuinæ gratiæ mentis noſtræ oculos conuertentes, cùm tui Ordinis claritate reluceas, & credaris vbilibet per opera vtilia & exempla laudabilia fructuoſus, & ex data tibi diuinitus gratia ſcire te confidamus & poſſe fructus vberes in domo Domini germinare: diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus confidens in illo, cui proprium eſt ſpirituales gratias elargiri, tales vmbrarum tenebris obcæcatos in commiſſa tibi Prouincia per te ac alios fratres tui Ordinis, quos ad hoc honeſtate morum, experta ſcientia, probatis virtutibus, circumſpectione prouida & experientia comprobata idoneos eſſe cognoueris, & quorum induſtria atque doctrina diuinis donis à Domino fœcundata intrepidè pro Catholica fide reluceat, & in ſui claritate non titubet, ſed tenebroſas mentes radiorum repercuſſione clarificet, & obſtinatas ceruices reprimat peruerſorum; Iudæos eoſdem in terris & locis, in quibus habitant generaliter & ſingulariter conuocando ſemel & pluries ac toties repetitis inſtantijs, quoties proficere poſſe putaueris, prout meliùs fieri poterit, prædicationibus, ſalutaribus monitis & diſcretis inductionibus Euangelicis doctrinis informatis, ipſos ſtudeas, iuxta datam tibi à Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis, vt renati fonte baptiſmatis reducantur in lumine vultus Chriſti, & exinde chorus Angelicus delectetur.

Nicolaus Papa in ſuis litteris ſeu Bulla ad Priorem Prouincialem Fratrũ Predicatorum in Lombardia, incip. Vineam Soreth, ſub Datum Viterbij ij. Non. Auguſti, Pontificatus ſui anno j. quę habetur in Archiuio Inquiſitionis Bononien. apud Conuentum ſancti Dominici de Bononia, & eius vnũ tranſumptum in Archiuio ſanctæ Romanę & vniuerſalis Inquiſitionis: alterum verò in Archiuio domus Catechumenorum & Neophytorum. Sed ex exemplis priùs habitis impreſſa eſt in Directorio Inquiſitorum ante fin. ſub tit. Litterę Apoſtolicę diuerſorum Roman. Pontific. pro Officio ſanctiſſ. Inquiſitionis ſub nomine Nicolai Papę, & ſub dubio an iij. vel iiij. & in Bullario ſub nomine Nicolai Papę Tertij inter aliquas eius Bullas Tomo 1.

Iacobus q. Rex Aragonum perpetuo ſuo edicto 1 in fauorem conuerſorum ad fidem in omnibus regnis & dominijs ſuis (quod deinde Innocentius Papa Quartus per ſuas 2 litteras Apoſtolica auctoritate confirmauit) voluit & ſtatuit, vt quandocunque Archiepiſcopus, Epiſcopi vel fratres Prædicatores aut Minores acceſſiſſent ad villas vel loca vbi Saraceni vel Iudæi moram facerent, & verbum Dei dictis Iudæis vel Saracenis proponere voluiſſent, ij ad ipſorum vocationem conuenirent, & patienter audirent prædicationem eorum; & Officiales eius, ſi ſponte venire noluiſſent, eos ad hoc omni excuſatione poſtpoſita compellerent.

Petrus de Luna in ſua olim obedientia appellatus 3 Benedictus XIII. poſt publicas etiam diſputationes cum Iudæis, & conuerſionem aliquot millium ipſorum & damnationem Thalmudicorum & aliorum librorum, ſtatuit & ordinauit vt in quibuſcunque Ciuitatibus, Villis, ſeu locis, in quibus Iudæos in competenti multitudine ſecundum arbitrium Diœceſani contigiſſet habitare, per Magiſtros ſacræ paginæ, aut alios viros idoneos, quos ad hoc Diœceſani ipſi duxiſſent deputandos, fierent ſermones publici ter in anno: quorum primum in ſecunda Dominica Aduentus, ſecundum in craſtinum reſurrectionis Dominicæ, tertium verò in Dominica qua cantatur Euangelium, Cùm appropinquaſſet Ieſus Ieruſalem, videns Ciuitatem fleuit ſuper eam. præſentibus omnibus Iudæis vtriuſque ſexus à duodecim annis ſuprà, qui in Ciuitate, villa ſeu loco potuerint reperiri, omnino fieri voluit & mandauit.

1 Sub Datum Ilerdæ anno à Natiuitate Domini 1242. iiij. Idus Martij.

2 Ad Archiepiſcopũ Tarraconenſem, & incipiunt: Ea quę ad Regis æterni gloriam cum præinſerto tenore edicti ſub Dat. Lugduni xiij. Kal. Septemb. Pontificatus ſui ann. iij. Et habentur in conſtitutionibus Conciliorum Tarraconen. collectis 1555. lib. 5. tit. 5. de Iudæis & Saracenis conſtitutione 4.

3 In ſua Bulla ſuper condemnatione librorum Hebraicorum Thalmud & Mace Ieſu etiam de prædicando Iudæis Chriſti Euangelio, & de vita & conuerſatione Iudæorũ inter Chriſtianos, & de pignoribus & vſuris Iudæorum & alijs. §. Demum verò.

uit. Contra Iudæos autem, qui interesse neglexissent, procedi voluit per dictos Diœcesanos per subtractionem communionis Christianorum, quousque ad Diœcesani arbitrium satisfecissent competenter. Ac vt materia primi sermonis veri Messiæ Iesu Christi Saluatoris nostri diutius optatum aduentum apertissimè declararet, & per auctoritates, quibus Iudæi refragari non possunt eis ostẽderet Messiam, quem ipsi venturum sperant longè iam retroactis temporibus aduenisse; prout ex processu contra Iudæos in eius Curia formato facilè colligere posset, cui onus incumbet prædictum proponendi sermonem. Secundus verò sermo circa illam versetur materiam, in quàm varias hæreses & errores Iudaica cæcitas postquàm Christum Dominum venientem in carne videre intellectualibus oculis cognoscendo renuit, inciderit, videlicet circa hoc vanitatibus ridiculosis, damnatis erroribus, mendacijs & hæresibus execrandis, contentis in Iudæorum Thalmud, confecto per illos nequam ipsius auctores, quos tamen ipsi Iudæi maximæ auctoritatis & prudentiæ viros putant, prout etiam ex prædicto processu facilè colligi poterit & videri. Qui verò tertium sermonem proponent, ad hoc principaliter intendant, vt eisdem Iudæis destructionem templi & Ciuitatis Hierusalem, prout Christus cum sanctis concordando Prophetis prædixerat, perpetuitatemq. captiuitatis eorum ex parte declarent; & demum in fine sui sermonis ipsius constitutiones publicè legerent voce intelligibili eas prout meliùs potuissent omnibus declarando, vt efficaciùs memoriæ commendarentur. Et quia parum prodesset ordinare salubria, nisi foret qui ordinata executioni mandaret, Diœcesanis locorum in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandauit, quatenus in exequendis præmissis adeo se promptos solicitosq. exhiberent in fidei Christianæ de ipsius hostibus triumphalem victoriam, sanctæ matris Ecclesiæ de nouæ prolis fœcunditate lætitiam, & cunctorum fidelium de fratrum in Christo noua progenie sibi aucta consolationem & gloriam, sicut ad eorum spectat officium quærere subiectis sibi populis manifesta experientia se ostendat.

Concil. Basilien. sess. 19. in decreto de Iudæis & Neophytis.

Sed non multo post patres, qui in Basiliensi Concilio olim conuenerunt, cupientes vt omnes euangelicam veritatem agnoscerent, & in ea postquam agnouissent fideliter perseuerarent; ac proinde vt Iudæi alijq. infideles ad orthodoxam conuerterentur fidem, quiq. ad ipsam conuersi fuissent, in illa constanter permanerent, salutaria quædam decreta excogitarunt, in primis vt omnes Diœcesani viros quosdam in litteris diuinis benè eruditos aliquot vicibus annuatim deputarent in locis vbi Iudæi aut alij infideles degunt ad prædicandum & explanandum ita Catholicæ fidei veritatem, vt ipsi infideles qui audiunt suos valeant errores recognoscere. Ad quam prædicationem sub pœnis tam commercij per fideles illis interdicendi, quàm alijs ad hoc opportunis ipsos infideles cuiuscunque sexus in annis discretionis constitutos accedere compellerent. Ipsi autem Diœcesani ac prædicantes ita se erga illos propitios ac charitate plenos exhiberent, vt non solùm propalatione veritatis, sed & alijs humanitatis officijs ipsos Christo lucrifacerent. Christiani autem cuiuscunque dignitatis aut status quomodolibet impedientes ne Iudæi ad huiusmodi prædicationem conuenirent aut arcerentur, notam fautoriæ infidelitatis incurrerent ipso facto.

Vt autem hęc prædicatio eò esset fructuosior, quo prædicantes linguarum habuissent peritiam, omnibus modis seruari præcipiebant constitutionem editam in Concilio Viennensi de duobus docere debentibus in studijs ibidem expressis linguam Hebraicam, Arabicam, Græcam, & Chaldæam: quæ vt efficaciùs obseruarentur, Rectores ipsorum studiorum inter alia quæ in assumptione Rectoratus iurarent, hoc etiam addi volebant, operam se pro ipsius constitutionis obseruatione daturos. In Concilijs etiam illarum Prouinciarum, in quibus huiusmodi studia constituta sunt omnino disponeretur, vt hi qui prædictas linguas docturi essent, stipendia percipere valerent.

Prædicata clem. I. de Magistris.

Et ad extremum sanctissimus D. N. Gregorius diuina prouidentia Papa XIII. in dies

semper

ſemper aliquid excogitans vnde Iudęorum conuerſioni & ſaluti opportuniùs prouideretur, ipſiq. ad intelligentię viam, quam ſibi præcluſerunt, valerent Deo propitio peruenire, ſpecialem & ſalutarem conſtitutionem edidit de prædicatione verbi Dei facienda Iudæis ſemel in hebdomada, quæ cùm omnino perpetuò Deo volente retinenda & ſeruanda ſit, non ab re fuerit potiſſimam eius tenoris partem hic inſerere, qui is eſt.

Incip. Sancta mater Eccleſia ſub Datum Romæ apud S. Marcũ anno Incarnationis Dominicæ 1584. Kal. Septemb. Pontif. ſui anno xiij.

Præſenti conſtitutione generali pręcipimus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Pręlatis, etiam Cardinalatus honore pręditis, vt in ſuis quiſque Ciuitatibus, terris & locis, in quibus competens aliquis numerus Iudęorum, qui Synagogam conſtituat, commoratur, curent Sabbati vel alio cuiuſcunque hebdomadis ſtatuto die ad Iudęos ipſos in locum pręſtitutum, non tamen ſacrum, nec vbi ſacra confici ſolent, conuocatos, per aliquem Magiſtrũ in Theologia, aliumve idoneum virum ab eis eligendum cum mercede congrua, illis ex ipſorum Hebręorum collatione, aut aliàs prout commodiùs eis videbitur, Hebraicæ, ſi fieri poterit, linguæ peritum, ſermones vel lectiones haberi, in quibus illis exponantur ſcripturæ veteris Teſtamenti Moyſis ſcilicet & Prophetarum, præſertim verò quæ eo Sabbato leguntur ſeu lectæ in eorum ſunt Synagogis iuxta ſanctorum tamen Patrum interpretationes, & verum Catholicæ Eccleſiæ ſenſum, ac in eis diſſeratur de veritate Chriſtianæ fidei, de certo aduentu & incarnatione filij Dei, illiusq. Natiuitate, vita, miraculis, paſſione, morte, ſepultura, deſcenſu ad inferos, reſurrectione, in cœlum aſcenſione, de eius Euangelio in toto terrarum orbe per Apoſtolos eius & alios ſanctos prædicato, innumeris atque clariſſimis virtutibus, & illuſtrium miraculorum gloria confirmato, ac de eius ſpirituali & vero regno, & de impio idolorum cultu ſublato & gentium vocatione; de perpetua tum Hieruſalem & terræ eorundem Iudæorum deſolatione, tum ipſorum vbique terrarum diſperſione & captiuitate, & de alijs ſimilis argumenti dogmatibus & articulis ex lege & Prophetis: de diutina pręterea & irrita Iudęorum aduentus Meſſię, & carnalis illius regni expectatione: de vana eorum, quę ſępe, quinimo quotidie eos fruſtrata eſt, ſpe reditus in terram promiſſionis & reſtaurationis tertij templi: & demum de multiplicibus & varijs erroribus & hęreſibus eorum, in quas miſerrimè ſe demerſerunt poſtquàm Chriſtum Dominum in carne venientem agnoſcere noluerunt: & de falſa per eorum Rabbinos tradita ſacrarum ſcripturarum interpretatione, quarum litteram & ſenſum fabulis, mendacijs & varijs dolis & modis detorquentes corruperunt & deprauarunt, & hactenus corrumpere & deprauare non deſinunt: deq. omnibus alijs quæ eos poſſint ad agnitionem fidei, ad errorum ſuorum correctionem ad orthodoxamq. fidem conuertere, pro loci, temporis, ſumptiq. argumenti ratione prudenter agant veris & ex ſacra Scriptura depromptis demonſtrationibus, nulla cum obtrectatione aut iracundia, ſed magna cum charitate & modeſtia, veritatis lumen illis aperire conentur. Ad quos ſermones & lectiones volumus vniuerſos & ſingulos vtriuſque ſexus Iudæos à duodecim annis ſupra, infirmitate aut alia legitima cauſa, de qua Ordinarios docere debeant, non impeditos, in Ciuitate & locis vt præfertur habitantes, vel aliunde aduenientes, etiamſi inibi domicilium non habeant, ita per circuitum conuenire, vt tertia ſaltem eorum pars, nec vnquam minor, ſemper adſit. Quod ſi facere neglexerint, interdicti cum fidelibus commercij & alijs pœnis arbitrio Ordinarij pro contumaciæ modo imponendis, donec ſatisfecerint competenter, ad ipſos ſermones audiendos compellantur. Si quis verò de numero fidelium ita fuerit ſalutis, aut ſuæ, aut proximi ſui, de quo vnicuique mandatum eſt, immemor, qui eos à ſalutaribus huiuſmodi ſermonibus ſeu lectionibus directè vel indirectè abduxerit aut impediuerit, ſeu contenderit quoquomodo, excommunicationis ſententia ſit eo ipſo ligatus, & cõtra eum ad alias pœnas Ordinarij arbitrio omnino procedatur. Cæterùm Imperatorem, Regesq. & Principes omnes, necnon Reſpublicas, Magiſtratus & dominos temporales ſeculares rogamus & obteſtamur in Domino, vt Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & alijs Ordinarijs pręclictis, eorumq. Vicarijs & mini-

miniſtris ſuum in præmiſſis auxilium præſtent, ampliſſimum ab omnipotenti Deo prҿmium in ſupremis gloriæ æternæ tabernaculis habituri.

IN Euangelio autem Iudæis annuntiando, diuinarũ Scripturarum prҿſertim veteris inſtrumenti teſtimonijs vtatur, ac eorum errores & dolos tam rationibus & auctoritatibus ex eiſdem ſacris Scripturis producendis, quàm etiam ex varijs priſcorum ſanctorum Patrum & poſteriorum Doctorum opuſculis, libris & tractatibus aduerſus eorum errores & impietatem conſcriptis; quin & ex veteribus ipſorummet Rabbinis in quamplurimis ſcriptorum ſuorum locis & commentarijs ſancto Spiritu adiuuante refutet & redarguat, ipſorumq́. peruicaciam & obſtinationem reuincat & retundat.

Sancti verò Patres & Doctores, quibus ad id pro rei argumento, loco, tempore & perſonis commodè & opportunè vti poterit inter cæteros ex veteribus ſunt.

Vbi de prædictionibus Propheticis de Christo & de infidelitate & obſtinatione Iudæorum & de impia doctrina eorum hæreſum.

S. Clemens Romanus libro v. conſtitutionum Apoſtolicarum cap. xvij. & xxj. & vltimo, & libro vj. cap. iij. & cap. v. & cap. vj.

S. Iuſtinus philoſophus martyr in Dialogo cum Tryphone Iudæo de veritate Chriſtianæ religionis.

Tertullianus in libro aduerſus Iudæos.

S. Cyprianus Epiſcopus & martyr in libris primo & ſecundo contra Iudæos, ad Quirinum; & in tractatu ſibi aſcripto de montibus Sina & Sion aduerſus Iudæos.

Quæ habetur apud multos & Simeonẽ Metaphraſtem in vita S. Patris noſtri Silueſtri Papæ Romani Tomo 5. Vitarum Sanctorum, & ex eo apud Laurentium Surium Tomo 6 Vitarum Sanctorum in vita eiuſdem. Et apud Georgium Cedrenum in Compendio hiſtoriarum in eodem Conſtantino. De qua etiam meminerunt Marianus Scot. lib. 2. Chronicorum ætate ſexta, anno Domini 321. Martinus Polonus in ſupputationibus in S. Silueſtro Papa, & in libello de mirabilibus Vrbis in Conſtantino Magno Imperatore.

Diſputatio B. Silueſtri Papæ cum Iudæis præſente Conſtantino Magno Auguſto, & eius matre Helena Auguſta, anno Imperij eius quarto.

Euſebius Cæſarienſis libro primo & reliquis ſequentibus de Demonſtratione Euangelica; cuius etiam libri de præparatione Euangelica conferunt in permultis capitibus.

S. Ambroſius in libris de vocatione gentium.

S. Auguſtinus tum in oratione de quinque hæreſibus aduerſus Paganos, Iudæos, Manichæos, Arianos & Sabellianos: in concione ſeu oratione ad Catechumenos contra Iudæos, Paganos, & Arianos: item in alia oratione aduerſus Iudæos; & apud eum incerti auctoris Dialogus de altercatione Eccleſiæ & Synagogæ: tum in lib. L. homiliarum homil. xxxvj. & in ſermonibus de Natali & Epiphania Domini vj. & vij. in ſermonibus de tempore xxxiiij. & xxxv. & cciiij. tum etiam in epiſtola cc. ad Aſellicum, de cauendo Iudaiſmo; & in libris de Ciuitate Dei, præſertim xviij. & alijs multis in locis & tractatibus.

S. Hieronymus in varijs commentarijs veteris & noui Teſtamenti, & in compluribus opuſculis & epiſtolis, vt ad Fabiolam epiſt. cxxvij. de xlij. manſionibus: epiſt. cxxviij. de veſtitu Sacerdotali cxxix. de vera terra promiſſionis. & cxxx. ad Dardanum, & ad Rufinum cxxxj. & ad Damaſum cxlvj. De parabola filij prodigi: & in libro de traditionibus ſeu quæſtionibus Hebraicis in ſacros libros.

S. Athanaſius in hiſtoria paſſionis ſacræ imaginis Domini.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione panegyrica in ſancta lumina.

S. Gregorius Nyſſenus in libro de Trinitate aduerſus Iudæos, & in libro ei aſcripto De cognitione Dei.

S. Ioannes Chryſoſtomus in homil. xliiij. in Matthæum cap. xij. Cum ſpiritus immundus. in homilia ſeu ſermone de Euangelio Nuptiæ factæ ſunt. contra Iudæos, gentiles & hæreticos; & in quinque orationibus contra Iudæos.

S. Cyrillus Alexandrinus in libro aduerſus Iudæos, & in libris contra Iulianum Apoſtatam.

Rufinus Aquileienſis in expoſitione Symboli Apoſtolorum.

Apud S. Cyprianum & S. Hieronymum Tomo ix.

S. Leo Papa Magnus in ſermone ix. De Natiuitate Domini: vbi contra Iudæos expectantes Meſſiam hominem.

Euagrius

Euagrius Secundus in libro Altercationis Simonis Iudæi & Theophili Christiani.

S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis in libro 1. contra Iudæos, & in libro secundo de vocatione gentium ad sanctam sororem suam Florentiam.

Ammonius philosophus in libro de consonantia Iesu & Moysi.

Iulianus Pomœrius Archiepiscopus Toletanus in libro de demonstratione ætatis sextæ ad Eruigium Regem.

Habetur apud Bibliothecam SS. Patrum Tomo 5.

Euthymius Zygabenus Monachus in suę Panopliæ dogmaticæ parte prima seu volumine primo, tit. viij. in Hebræos: vbi plura ex Gregorio Nysseno, Ioanne Chrysostomo, Leontio Cyprio & Damasceno.

B. Petrus Damianus in libro Antilogion contra Iudæos.

Vuilbertus Episcopus Carnotensis in libro contra Iudæos.

Ex posterioribus autem.

Petrus Bles Archidiaconus Bathon. in suis scriptis contra perfidiam Iudęorum.

Habetur M. S. in bibliotheca Iul. Ant. Card. S. Seuerinæ.

Petrus Alfonsus quondam Iudæus, baptizatus anno Domini M cvj. in natali SS. Apostolorum Petri & Pauli, & ita à S. Petro, & ab Alfonso Imperatore Hispaniarum eius susceptore appellatus, in libello seu Dialogo contra Iudæos & Saracenos, collocutoribus ipso Petro iam Christiano, & ipsomet Iudęo Moyse antea vocato.

Abb. Trittenhem. de scriptoribus Ecclesiasticis in eodem Petro Alfonso.

De quo Petro Alfonso & eius libello seu Dialogo meminerunt plures auctores in eo, præcipuè verò

Vincentius Belluacensis in Speculo historiali lib. xxv. cap. cxviij. inscripto, De conuersione Petri Alfonsi quondam Iudęi, & editione libelli sui (vbi refert de libello ab ipso Petro Alfonso edito, in quo modum suę conuersionis exponit; & quòd anno M cvj. in Ciuitate Oscensi à Stephano eiusdem Vrbis Episcopo die natali SS. Petri & Pauli Apostolorum baptizatus fuit, & ei Petri in memoriam illius diei & venerationem Apostoli, & Alfonsi ab Alfonso Imperatore Hispaniæ susceptore suo nomen impositum.

Et deinde idem Vincentius à sequenti cap. cxix. & sequentibus, vsque ad cap. cxxxix. plurima ex eodem libello transcribit.

Scilicet cap. 119. De errore Iudęorum circa legis intellectum (vbi quòd Iudęi legis superficiem solùm attendunt, litteramq. non spiritualiter sed carnaliter exponunt. Cap. 120. De errore eorum circa Deitatis simplicitatem. Cap. 121. De erroribus ipsorum circa ipsius immensitatem diuinitatis. Cap. 122. Et hoc quòd fingunt Deum infirmum quotidie irasci, & flentem orare pro eorum captiuitate. Cap. 123. Sugillatio prefati erroris (vbi disputationem contra huiusmodi Iudęorum errores concludit) Cap. 124. Quòd corporalia dicuntur de Deo in scriptura non propriè sed tropicè. Cap. 125. Rationes de Deo philosophicę (vbi ex eis probat Deum non esse corporeum.) Cap. 126. De mundi creatione. Cap. 127. De formatione rerum per interualla sex dierum. Cap. 128. De quibusdam fabulis libri Thalmud, idest doctrinę Iudęorum. Cap. 129. De quibusdam alijs fabulis eiusdem. Cap. 130. Iterum de cęteris fabulis eiusdem. Cap. 131. Quòd causa vltimę captiuitatis non fuit eadem quę prioris. Cap. 132. Quòd vltima fuit grauior & diuturnior quàm prior. Cap. 133. Dę portentis quę pręcesserunt vltimam captiuitatem, & de tolerantia Dei erga Iudęos. Cap. 134. Quibus testimonijs probari possit, quòd eius causa passio Christi fuerit. Cap. 135. Quòd Iudęi malè intelligunt articulum de resurrectione mortuorum. Cap. 136. Expositio super hoc in Prophetia Ezechielis. Cap. 137. Improbatio prefati erroris. Cap. 138. Iterum sugillatio eiusdem. Cap. 139. De euacuatione cultus Iudæorum.

Et S. Antoninus in secunda parte Chronicorum tit. xvj. cap. xij. De Petro Alfonso ex Iudaismo conuerso, & de erroribus Iudęorum (vbi in principio ex eodem Vincentio in speculo historiali, scribit quòd circa annum Domini M c. claruit Petrus Alfonsus quondam Iudęus Moyses appellatus, qui relinquens Iudęos, contra Saracenos egregiè disputauit, & libellum composuit, in quo modum suæ conuersionis exponit, quòd scilicet inspirante Deo, ac tenuem prius oculorũ albuginem discutiente, anno M cvj. in festo SS. Petri & Pauli in ciuitate Oscensi baptizatus fuit, & Petri à S. Petro Apo-

ſtolo, & Alfonſi ab Alfonſo Hiſpaniæ Imperatore ſuſceptore ſuo nomen acceperit. Et de cauſis quare huiuſmodi libellum compoſuerit, ac de errore Iudæorum circa legis intellectum, vt ibi in principio & deinceps per quinque §§. ſequentes, vbi ex eo ponit & refert de alijs erroribus Iudæorum.

Nempe §.1. De quibuſdam corrigijs & pyxide, quas Iudæi ridiculè Deo attribuunt in Thalmud ordine 4. tract. 8. diſt. 5. (vbi differit aduerſus hunc & alios eorum errores, quibus Deum tantùm in Occidente eſſe, & in loco ex partibus determinato, ipſum ſingulis diebus iraſci, quotidie ſemel plorare, eiusq. fletus cauſam captiuitatem eſſe Iudæorum.)

§.2. (vbi ex Vincentio cap. 125. adductis nonnullis rationibus philoſophicis de Deo & mundi creatione, probat Deum non eſſe corporeum: & refert nonnullas fabulas ex libris Thalmud.)

§.3. (vbi quòd cauſa captiuitatis Iudaicæ factæ per Titum & diſperſionis Iudæorum per orbem fuit paſſio ab eis Chriſto illata.)

§.4. (vbi confutat errorem Iudæorum circa reſurrectionem.) &

§.5. (vbi oſtendit quòd Iudæi legem non ſeruant.)

Rabbi Samuel Iſraelita oriundus de Ciuitate Regis Marrochi in vulgatiſſima epiſtola ſeu diſputatione ad Rabbi Iſaac Magiſtrum Synagogæ in Subiulmeta in Regno Marrochorum, de veritate fidei Chriſtianæ, quæ dicitur ſcripta anno Domini milleſimo, & annis ferè ducentis & triginta à Iudęis occultatę: tranſlata autē ſub anno Domini M cccxxxviij. per Fratrem Alfonſum Bonihominis Ordinis Prędicatorū ex Arabico in Latinum, qui eam inſcripſit, Tractatulus multum vtilis ad conuincendum Iudæos de errore ſuo, quem habent de Meſſia adhuc venturo, & de obſeruantia legis Moſaicę, vt adnotatur in prima impreſſione, & notat etiam Auctor Bibliothecæ Fratrum Ordinis Prædicatorum in Alfonſo Bonihomio, quem ſic cognominat. Impreſſa autē Mantuę anno Domini MCCCCLXXV. vt adnotatur in procemio & in fine eius impreſſionis, & conſtat ex xxvij. capitulis, ac etiam hodie habetur tam Latina quàm vulgari Hiſpanica & Italica lingua ſeorſum typis excuſa, vel etiam cum aliorum opuſculis, vt apud S. Antoninum poſt ſecundam partem Chronicorum extra ordinem, & apud Bibliothecam ſanctorum Patrum Tomo 5. vbi dicitur liber de Aduentu Meſſię quem Iudæi expectant. & poſt Scrutinium Scripturarum Pauli Burgenſis ad finem, & poſt librū Zelus Chriſti vocatū, ſtudio Doctoris Martini Alfonſi Viualdi poſita & edita.

Nicolaus de Lyra paſsim in ſuis expoſitionibus veteris & noui Teſtamenti, ſed ſpecialiter in [1] libello contra Iudaicam perfidiam & pro fide Catholica; & in alio [2] libello contra Iudæum impugnatorem Euangelij ſecundum Matthæum.

1 Qui habetur in fine ſuæ gloſſę poſt gloſſam ordinariam in Apocalypſim vol. ſeu parte 5. & alibi ſeorſum impreſſus poſt Chronica Summorum Pontificum & Imperatorum Romę in 4. fol. menſe Februario 1476. vbi inſcribitur Quæſtiones diſputatæ per Magiſtrum Nicolaum de Lyra contra Hebręos.

2 Qui ſequitur poſt gloſſ. ordinariam vbi proximè, aliàs inſcripto contra quendam Iudæum ex verbis Euangelij impugnantem Chriſtum & eius doctrinam.

Paulus de S. Maria Magiſter Theologię Epiſcopus Burgenſis, Archicancellarius Ioannis Regis Caſtellę & Legionis in libro inſcripto Scrutinium ſcripturarum.

Quem compoſuit poſt additiones per eum conſcriptas ad Poſtillam Nicolai de Lyra, anno Domini 1434. ætatis ſuæ 81. vt dicitur in eius initio, impreſſo anno Domini 1475. & conſtat ex duabus partibus; in prima eſt Dialogus Sauli & Pauli, in ſecunda Diſcipuli & Magiſtri; & in fine primæ partis Typographus vel alius appellat etiam Capiſtrum Iudęorum: nam ſic dicit: Prima pars Scrutinij huius ſcripturarum ſiue Capiſtri Iudæorum finit.

Petrus Barchinonenſis Frater Ordinis Prędicatorum, qui dicitur etiam fuiſſe Epiſcopus Tinenſis in libro conta Iudæos inſcripto Pugio Iudęorum.

Qui floruit anno Domini 1295. vt ſcribit Auctor Bibliothecę Fratrum Ordinis Prędicatorum pag. 192. & ſequenti.

Raimundus Martini Frater Ordinis Prędicatorum Barchinonenſis in libris contra Iudęos, altero vocato Capiſtrum Iudęorum, altero Pugio Hebraicè & Latinè.

Quo tempore claruerit non habetur ſecundum auctorem dictæ Bibliothecæ Fratrum Prædicatorum pag. 286. & ſeq. (vbi quòd iſte liber Pugio habetur manuſcriptus in Bibliotheca Monaſterij S. Dominici Neapolitan.)

Petrus

Petrus de Caualleria Hispanus ex ciuitate Cæsaraugustana in tractatu inscripto Zelus Christi, contra Iudęos, Saracenos & Infideles composito iam ab anno 1450. & à Doctore Martino Alfonso Viualdo etiam Hispano reuiso & glossis illustrato atque typis edito.

Lautherius seu Laurentius de Vbaldinis de Florentia, Frater Ordinis Prædicatorum, in libello inscripto Capistrum Iudęorum.

Qui floruit anno Domini 1418. vt refert Auctor Bibliothecæ Fratrum Ordinis Prædicatorum, pag. 163. & seq.

Robertus de Lycio Ord. Minorum Episcopus Aquinas, de Laudibus Sanctorum sermone sexto de incarnatione Christi contra errores Iudęorum, qui in Christum credere nolunt.

Stephanus de Lycio Ordinis Cœlestinorum Magister Theologiæ in libello M. S. quem inscripsit de Iudęis, deq. eorum cum Christianis consuetudine ad Regis Ferdinandi Neapolitani filium D. Cęsarem de Aragonia, vbi plura more Canonistarum scribit. Et ponit Bullam Nicolai Papę V. Super gregem Dominicum.

Petrus Brutus Venetus Episcopus Catarensis in libro aduersum Iudæos.

Ex Trithem. de scriptoribus Ecclesiasticis, 1485.

Porchetus de Saluaticis Genuensis, Monachus Carthusiensis in libro De victoria contra Iudęos, inscripto, Victoria Porcheti (vbi ex ipsismet Rabbinis eorum perfidiam plenissimè conuincit.)

Ex Augustino Iustiniano Ord. Prędicatorum, Episcopo Nebiensi, qui recognouit dictum librum in epistola dedicatoria operis.

Marsilius Ficinus in libro de Christiana religione (vbi contra Ethnicos, Mahumetenses & Iudęos.)

Petrus Galatinus in duodecim libris de arcanis Catholicæ veritatis contra obstinatam Iudęorum perfidiam ad Maximilianum Cęsarem.

In quorum primo tractatur de Thalmud, deq. ad ipsum pertinentibus: in secundo de diuinarum personarum Trinitate, deq. diuinæ essentię vnitate, ac de diuinis nominibus, per quæ & ipsa diuina Trinitas cum indiuidua naturę vnitate & ipsius perfectiones optimè insinuantur: in tertio de filij Dei incarnatione & Messię diuinitate, & eius nominibus diuinam ipsius naturam designantibus, deq. Dei & hominis consortio, participatione & coęquatione. In quarto de primo Messiæ aduentu. In quinto, de argumentorum Iudæorum nostri temporis Messiam nondum venisse probare nitentium confutatione. In sexto, de humani generis redemptione & salute propter quam Messias venturus erat. In septimo, de sanctissima Matre Messiæ. In octauo, de Messię mysterijs, quę omnia prorsus in Domino nostro Iesu Christo consummata sunt. In nono, de ęterna Iudæorum reprobatione, & de gentilium vocatione & saluatione. In decimo, de nouę legis diuinę institutione, quæ per Messiam condenda erat. In vndecimo, de veteris legis diuinę cessatione in aduentu nouæ. In duodecimo, de secundo Messiæ aduentu, deq. in eo futuris.

Petrus Figuerola contra Iudęos in Regno Valentię.

Habetur manuscriptus in Biblioth. Valentinę Ecclesiæ tribus voluminibus distinctus.

Ludouicus Viues in libris de veritate fidei Christianę contra Ethnicos, Iudęos, & Mahumettanos, quorum integer tertius est contra Iudęos quòd Iesus est Messias.

Doctor Iacobus Simanca Septimacensis Episcopus, postea Ciuitatensis, deinde Pacen. modò Zamorren. in suis Institutionibus Catholicis cap. 35. de Iudęis.

Petrus Costus, in libro inscripto Typus Messię & Christi Domini ex veterum Prophetarum pręsensionibus contra Iudęorum perfidiam.

Christophorus de S. Antonio Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, in libro inscripto Triumphus Christi Iesu contra infideles, qui fuit examinatus per Magistrum Ioannem Siliceum Cathedraticum Vniuersitatis Salmanticensis (qui deinde fuit Archiepiscopus Toletanus, & à Paulo IIII. factus Cardinalis) & per Licentiatum Didacum Perez, Commissarios Inquisitorum & Prouisoris Episcopi Salmanticensis, distinctus in 20. titulos principales, & cum additionibus ex Petro Galatino.

Adrianus Finus Ferrariensis in libris, quos inscripsit Flagellum Iudæorum.

Michael Thomasius in libello inscripto, Breuis Christianæ & Catholicæ fidei defensio, & Iudæorum Mahumettanorum atque hæreticorum oppugnatio: qui deinde sub Gregorio XIII. factus est Episcopus Ilerdensis.

Atque alij propemodum innumeri.

In prædicatione autem contra Saracenos seu Agarenos, Mauros, Turcas, & reliquos Mahumettanos habenda, præter libros illos veteris Testamenti, quos ipsi recipiunt, & si non integrè, vti poterit Patribus & Scriptoribus, qui contra impium Mahumetem, eius errores & Alcoranum, & eius vanæ & fœdissimæ legis sectatores scripserunt, vt sunt.

Sed B. Thomas de Aquino libro j. contra gentiles cap. ij. Tomo ix. dicit Machometistas & Paganos non conuenire nobiscum in auctoritate alicuius scripturæ per quam possint conuinci: sicut contra Iudæos disputare possumus per vetus Testamentum; contra hæreticos per nouum. Hi verò neutrum recipiunt, & ideò necesse est ad naturalem rationem recurrere, cui omnes assentire coguntur: quæ tamen in rebus diuinis deficiens est.

B. Ioannes Damascenus in libello, qui inscribitur Disceptatio Christiani & Saraceni.

Theodorus cognomento Abucaras, Episcopus Carum in 15. disputationibus per dialogos, contra plerosque sui temporis hæreticos, potissimum autem contra Saracenos seu Arabas & Agarenos, Tritheitas, Theopaschitas, Iacobitas, Monophysitas, Iudæos, Nestorianos, & Origenistas.

Euodius Monachus in suis scriptis, quem citat Euthymius, vbi infrà, & alij.

Euthymius Monachus Zygabenus in volumine secundo seu parte secunda Panopliæ dogmaticę tit. xxiiij. aduersus Saracenos (vbi de Moamath origine, educatione, morbo, vxore, conficta visione, & Monacho hæretico coadiutore, fallacijs, fabulis, erroribus & impijs dogmatibus haustis ex Iudęis Arianis & Nestorianis & falsa prophetia, & lege eius asseclis tradita plenè scribit.

Adelphius Abbas Ordinis S. Benedicti, in libro contra Saracenos.

Abb. Trittenhem. in eo circa annum Domini M CXL.

Iacobus de Vitriaco Episcopus Achonen. in Palęstina, deinde S.R.E. Cardinalis Episcopus Tusculanus similiter in libro contra Saracenos.

Idem Abb. Trittenhem. in eo, vbi quòd claruit M CCXX.

S. Thomas inter eius opuscula opusculo tertio, de quibusdam articulis contra Græcos, Armenos, & Saracenos ad Cantorem Antiochenum Tomo xvij.

Accoltus de Florentia Frater Ordinis Prædicatorum, in volumine magno contra perfidiam Saracenorum; & in libro, de modo disputandi contra infideles.

Qui floruit anno Domini 1265. Auctor Bibliothecæ Fratrum Ord. Prędicatorum in eo.

Ricoldus seu Ricardus de Florentia Frater Ordinis Prædicatorum, in libro inscripto Confutatio Mahumettanæ legis, seu improbatio Alcorani, quæ continet 17. capita, in quibus & errores Saracenorum, & modum, quo contra illos est disputandum ostendit.

Qui in peregrinatione in Asiam suscepta litteris Arabicis operam dedit in Baldach (quę est Babylonia Assyrię) & Alcoranum ex Arabicò in Latinum conuertit, & contra illum commentarium edidit, inscriptum Confutatio Mahumettanæ legis. qui incipit; Quot sunt dies serui tui &c. & eum Demetrius Cydonius postea in Græcum transtulit, & demum Bartholomæus Picernus de Monte Arduo de Gręca lingua in Latinam, sed comptam & ornatam vertit, & Ferdinando Regi Aragonię dicauit, & passim Gręcè & Latinè editus inscribitur improbatio Alcorani, vt suprà. Et quòd claruit anno Domini 1295. refert Auctor Bibliothecæ Fratrum Ord. Prędicatorum in eo.

In Bibliotheca Iulij Ant. Card. S. Seuerinę habetur impressus Parisijs anno Domini 1509. vnà cum alio libello De moribus, conditionibus, & nequitia Turcorum, à quodam Christiano Prouinciæ Septemcastrensis diu in manibus Turcorum captiuo edito.

Ioannes Cantacuzenus Græcorum olim Imperator.

Nicolaus Card. de Cusa in tribus libris, inscriptis Cribratio Alcorani, Tomo 2. operum suorum.

De quo & Abb. Trittenhem. de Scriptoribus Ecclesiasticis in eo, & Auctor Bibliothecæ Fratrum Ord. Prædicatorum in eo.

Ioannes Cardinalis de Turrecremata in Opusculo contra principales errores Machometi.

Habetur in Bibliotheca Vaticana M.S. & in Monasterio Vallisoleti etiam M.S.

Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus in Dialogo seu libello summam quandam Christianæ fidei complectente, inscripto Via salutis humanę, in quo ipse cum Amurathe Machometano de quibusdam eiusdem fidei capitibus differit, Turco interrogante, & ipso Patriarcha respondente.

Habetur Græca & Latina lingua impressus Viennę Austriæ anno Domini 1530. Item habetur Latinè ex interpretatione Hieronymi Spartani Tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum (vbi dicitur quòd hic libellus Vita salutis hominum appellatur) in quo cum Machomete Turcarum Imperatore de quibusdam religionis Christianæ articulis disseritur.

Pius Papa II. in epistola ad Machometem Turcarũ Imperatorem, quę inter eius epistolas est nu.cccxcvj. & amplitudine est velut tractatus: in qua improbat errores & falsitates Mahumettanæ legis, & confirmat veritatem fidei Christianæ: & in sequenti oratione habita in Conuentu Mantuano de suscipiendo bello contra Turcos, quæ habetur inter eius epistolas nu.cccxcvj.

Idem in Dialogo contra Turcos pro defensione fidei Catholicæ, quem imperfectum reliquit.

Dionysius Rikel Carthusianus in quatuor libris contra perfidiam Mahumeti, & contra multa dicta Saracenorum, incip. Regi magno ac præpotenti Imperatori Saracenorum, & omnibus legis Mahumeti Doctoribus atque cultoribus, quidam religiosus &c. Item in Dialogo inter Christianum & Saracenum de lege Christi, & contra perfidiam impijssimi Mahumeti, incip. Sic Deus dilexit mundum &c. Item in epistola parænetica ad Principes Catholicos de instituendo bello aduersus Turcam, incip. Vniuersis Principibus Christianis &c.

Hæc omnia ex ipsomet Dionysio in Catalogo suorum scriptorum & opusculorum, qui habetur post eius vitam scriptam in fine voluminis in quartum sententiarum: Abbas verò Trittenhem. in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum in eo meminit de Dialogo Christiani & Saraceni tantùm. Possouinus autem lib.ix. Bibliothecæ selectæ, dicit Dionysius &c. opere grandi ad Pium Pont. Maximum.

Hieronymus Sauanarola Frater Ordinis Prædicatorum libro quarto de veritate fidei Christianæ cap.vij. & in Opusculo de Triumpho crucis Christi.

Doctor Iacobus Septimacensis iam Episcopus Zamorrensis in suis Institutionibus Catholicis cap.xxxix. de Mahumetanis.

Vbi multa de eis ex Sauanarola citato cap.vij. refert, & de alijs multis se remittit ad dictum Dionysium Carthusianum, quem plenum in ea re tractatum edidisse dicit.

Siluester Prieras Ordinis Prædicatorum.

Gabriel Prateolus de vitis & sectis hæreticorum, lib.xj. cap.iij. De Mahomete (vbi plurima de erroribus.)

Ioannes Andreas olim Maurus & Alfacquinus Ciuitatis Sciatiuiæ, deinde Christianus & presbyter in Opusculo inscripto, Confusio sectæ Mahumetanæ.

Quod habetur Hispanicè & Italicè.

Libellus, qui olim in partibus Transmarinis ferebatur de fallacijs Mahometi, cuius meminit Vincentius Belluacensis in Speculo historiali lib.xxiij. cap.xl. ex quo etiam aliquas illius fallacias ibi refert, & de eius libro Alcorano.

Libellus item disputationis cuiusdam Saraceni & cuiusdam Christiani de Arabia, super lege Saracenorum & fide Christianorum habitæ, cuius meminit idem Vincentius Belluacensis in eodem cap. xl. (vbi quòd dicti Saracenus & Christianus ambo fuerunt probati philosophi, & viri in secta sua perfecti, & * Emirammolini Regis Saracenorum familiares & noti, & inuicem sibi amici charissimi; & quòd hunc librum * Miramamolini
Petrus cognomento Venerabilis Abbas Cluniacensis in Hispania existens cum Aldefonso Imperatore transferri fecit de Arabico in Latinum à Magistro Petro Tole-

tano, iuuante Petro Monacho scriptore, eodem anno quo idem Imperator Choriam Ciuitatem cepit,& inde Saracenos fugauit; & quòd ex eodem libro ipsi Vincentio aliqua libuit inserere,prout facit 1 à cap.seq.xlj.vsque ad cap.lxvij.inclusiuè (vbi de Machometi exortu,vita,vidua domina sua ducta in vxorem,conficta visione Gabrielis Archangeli,falsa prophetia,reuelationibus & imposturis, latrocinijs, impudicitijs, crudelitate, & alijs eius flagitijs, fallacijs & erroribus & Alcorani libro plenissimè refert.)

Et apparet ex eiusdem Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis epistola xvj.ad beatum Bernardum Claræuallis Abbatem libro quinto epistolarū,vbi meminit de huiusmodi disputatione sua opera translata ex Arabica lingua in Latinam per Magistrum Petrum Toletanum vtriusque linguæ peritum, quem quia Latinam linguam non ita promptam habebat, adiuuari fecit per doctum virum Fratrem Petrum suum Notarium &c.

1 *Siquidem citato cap.xlj.ex eodem libro scribit de origine & vita ipsius Machometi. Et cap.xlij. De furtis & latrocinijs eius. Et cap.xliij. De crudelitate ipsius. Et cap.xliiij. De eius impudicitia & flagitijs. Et cap.xlv. Quòd falsò Propheta dictus sit. Et cap. xlvj. De fabulis ab eo confictis. Et cap.xlvij. De morte ipsius. Et cap.xlviij. De instabilitate sectatorum eius. Et cap. xlix. Quòd lex eius non sit diuina. Et cap.l. Qualiter per fallaciam fuit data. Et cap.lj. Qualiter Alcorani liber connexus sit, & de Sergio Monacho apostata & excommunicato. Et cap. lij. Qualiter eiusdem scriptura dilacerata sit. Et cap.liij. De iterata collectione illius, & dissipatione. Et cap.liiij. Qualiter recollecta dissipata sit. Et cap.lv. De vtilitate styli eius & materia. Et cap.lvj. De imperitia & fictione illi adhærentium. Et cap. lvij. De nomine Machometi, quòd falsò dicatur in throno scriptum. Et cap. lviij. De superstitiosis ieiunijs & lauacris Saracenorum. Et cap.lix. De circuncisione, prohibitione carnis porcinæ, & vxoris repudio. Et cap. lx. De peregrinatione ad domum Mecha. Et cap. lxj. De hoc quòd in domo illa dicantur fieri mira. Et cap. lxij. De hoc quòd Machometus iubet homines ad sectam suam violēter cogi. Et cap. lxiij. De vanis promissionibus & minis Machometi. Et cap. lxiiij. Expositio cultus Saracenici. Et cap.lxv. & lxvj. Descriptio paradisi iuxta figmenta Machometi. Et c.lxvij. Descriptio inferni. vbi in calce Vincentius hæc se excerpsisse ait de illa disputatione duorum philosophorum Pagani & Christiani ad insinuanda figmenta & fallacias Machometi.*

Et S.Antoninus in secunda parte Chronicorum Tit.xiij. cap.5. de Machomete Agarenorum legislatore fœdissimo (vbi tum in principio, tum in §§.seqq.j.ij.iij.iiij.v.vj.vij. & viij. plurima ex eodem Vincentio transcribit.

Nam in principio refert quòd imperante Heraclio circa annum Domini 640. Machometus pestilentem doctrinam suam spargere cœpit. & ex Vincentio vbi supra quod fuit Magus pessimus de genere Ismäelis, quòd mercaturam exercuit; & cùm eius causa in Corozaniam Prouinciam profectus esset, cum quadam muliere ditissima familiaritatem contraxit, eamq. suis prestigijs in vxorem excepit, credentem ipsum esse Messiam, quem Iudei expectant. Qua opinione decepti multi ex Iudeis & Saracenis ei adhæserunt, quibus nouas leges cœpit tradere ex veteri & nouo Testamento confictas, easq. quibusdam imposturis & falsis signis confirmare nisus est, & in sua lege multa turpia & obscœna reposuit. Et cùm morbo caduco laboraret, atque hinc vxor eius tristaretur, ad illam placandam asserebat sibi tunc Angelum Gabrielem apparere & loqui. Et quòd quidam Sergius Monachus Nestorianus Machometum instruxit de illa lege: vel secundum alios, quidam Archidiaconus Antiochenus Iacobita. Quòd dictæ mulieris locupletatus diuitijs & hæres, vt regnum Arabū vsurparet se Prophetam finxit, dictumq. Sergium absconsum tenens, ipsius consilijs adhærebat, & quæ ab eo hauriebat populo referens, ab Angelo Gabriele se habuisse testabatur. Quod Machometani Deum quidem vnum confitentur, Trinitatem autem negant. Ieiunium per vnum mensem quotannis habent, in quo toto die vsque ad noctem cibo abstinent, & vsu vxorum: post solis verò occasum vsque ad sequentis diei crepusculum, ijs vti licet. Semel singulis annis ad domum Dei, quæ est Mecha, ire tenentur. Circuncisionem obseruant cùm tamen Machometus non fuerit circuncisus, nec hoc præcipiat, idq. faciunt exemplo Abrahæ & Ismaelis, à quibus descendunt. Quatuor legitimas vxores habere possunt etiam de propria cognatione, illasq. ter tantùm repudiare, emptitias verò quot libet. &

§.j. De paradiso Machometi.

§.ij. De inferno Machometi.

§.iij. De eius tetra morte (vbi quòd pleuritide, & ventris tumore extinctus sit, & corpus eius, quod

mortuum

mortuum iusserat non sepeliri, dicens se tertia die ascensurum in cælum, vsque ad vesperam quartæ feriæ asseruatum propter grauem fœtorem longè à domibus proiectum est.)

§.iiij. Aduersus Machometum disputatio.

§.v. Alcoranum quomodo concinnauit Machometus.

§.vj. Quam vana sit Alcorani doctrina perpenditur.

§.vij. Lex Machometi est à diabolo.

§.viij. Machometum non fuisse Prophetam probatur.

Petrus Alfonsus in memorato libro seu Dialogo contra Iudæos & Saracenos, ex quo etiam multa transcribit idem Vincentius Belluacensis libro xxv. sui Speculi historialis à cap.cxl. vsque ad cxlv.

Etenim cap.cxl. refert de expositione legis Saracenorum, & cap.cxlj. De præmio eius obseruatorum, & pœna contemptorum secundum Machometum, & cap.cxlij. De descriptione vitæ Machometi, & cap.cxliij. quòd non fuit verus Propheta sed falsus. & cap. cxliiij. De disputatione contra legem ipsius. & cap.cxlv. & vltimo, de eodem, & de fallacia eiusdem.

Ferdinandus de Loajes in libro de conuersione infidelium Regni Valentiæ.

Auctor libri inscripti Antialcoranus.

Impressus in Ciuitate Gandiæ Regni Valentiæ.

Atque alij complures.

Ad quod etiam conferunt historiæ de origine, vita, flagitijs & falsa prophetia, doctrina & persecutione Machometis & eius successorum in Christianos, vt sunt

Auctor Annalium Constantinopolitanorum siue Græcus quispiam, siue Landulphus Sagax, vt quidam antumant, in prosecutione historiæ Eutropij & Pauli Diaconi de gestis Romanorum libro xviij. sub anno xv. & sub anno xviij. Imperij Heraclij, & circa finem eiusdem libri, atque libro xxj. & libro xxij.

Enimuerò sub anno xv. imperij eiusdem Heraclij meminit de Mahumete, quem Mahammath vocat, quòd Muhammath Arabum Princeps habebatur. Et sub anno xviij. Imperij Heraclij refert, quòd Mahammath Princeps Arabum seu Saracenorum sub Persis degens sextum agebat annum (scilicet sui Principatus) peruenturus ad nonum. Et infra circa finem eiusdem libri xviij. dicit quòd quidam Iudæi principio putarunt Mahammat Messiam Christum esse, qui expectabatur ab eis, & decem ei adhæserunt; & refert de ipsius Mahammath genere, ministerio, morbo epilepsiæ, Eadiga eius affini & vxore, cōficta visione S. Gabrielis Archangeli ad se excusandum cum ea, simulata Prophetia & falsa lege, ac delirijs, & de eius successoribus.

Et libro xxj. & libro xxij. De eiusdem Muhammath successoribus Ducibus Arabum, & eorum seditionibus & persecutione in Christianos & Imperium Romanum.

Georgius Cedrenus in compendio historiarum sub anno xxj. xxiij. xxvj. & sequentibus Imperij Heraclij Imperatoris.

Scribit enim, quòd anno xxj. Imperij eiusdem Heraclij extinctus est Moamedus, quem deinde Muchumetum appellat, Saracenorum Dux, qui se Prophetam falsò perhibuerat, mandata rei summa cognato suo Abubachari. Et quòd ab Hebræis principio existimatus sit Messias quem expectabant, & ei decem ex eis primarij adhæserint: & similiter de eius genere, vita, morbo, & propinqua vidua in vxorem ducta; de conficta visione Gabrielis Archangeli, erroribus & falsa prophetia & scriptis ex impijs dogmatibus Iudæorum Arianorum & Nestorianorum diuersimodè acceptis, & per ipsum nefariè traditis suis assectis, rebusq. alijs & eius successoribus, iuxta ea, quæ commemorat Auctor ad Eutropium & Paulum Diaconum, & Euthymius citato tit. xxiiij. suæ Panopliæ.

Et infra sub anno xxiij. Imperij eiusdem Heraclij de obitu Abubacharis successoris Mohamedi, & de successione Vmari.

Et anno xxvj. & seqq. & deinceps sub alijs Impp.

Ioannes Zonaras Monachus Tomo iij. De Imperio Heraclij, & deinceps eodem Tomo iij. in vitis aliorum Impp.

Vbi de Moameto Saracenorum Principe falsò propheta & de eius origine, & quòd suis præstigijs viduam cui seruiebat in sui amorem pellectam vxorem duxerat, & de comitiali morbo quo laborabat: & quòd callido consilio Monachi apostatæ ob peruersam religionem Byzantio exacti, ad placandam vxorem confinxit visionem Gabrielis Archangeli & reuelationem. Et quòd vxoris mortuæ hæreditate locupletatus, Ismaeliticę gentis Princeps, Doctor, & legislator est habitus; & quomodo Heraclium Imp. redeuntem de Perside conuenit, & regionem ad inhabitandum petijt & obtinuit, & de eius progressu.

Leo Imp. Sapiens in libro de bellico apparatu, cap. xviij. De diuersarum gentium & Romanorum studio in aciebus instruendis.

Vbi à num. 109. vsque ad num. 143. De Saracenorum origine, & superstitione & impietate, & blasphemijs & Mahumete Auctore, & moribus militaribus, & quomodo expugnandi sunt, & aduersus eos acies instruendæ &c.

Michaelus Glycas Siculus Græcus scriptor annalium mundi parte quarta in Heraclio Imperatore.

Vbi ferè eadem quę alij de Moametho falsò Vate tunc exorto apud Ismaelitas, qui cùm apud diuitem quandam mulierem seruiret, tandem eam vxorem accepit. Et quia laborabat comitiali morbo, quem vt tegeret Angelum se Gabrielem conspicere dictitabat, & ideo fieri vt eius aspectum tolerare nequiens, animo deiecto collaberetur. Et quòd in Palæstinam profectus, incidit in Iudæos, Arianos, & Nestorianos, à quibus omnibus quasi collectam quandam peculiarem religionem & legem suis tradidit: & refert plerosque eius errores.

Pomponius Lætus in libello de origine seu exortu Maomethis.

Qui etiam habetur in volumine historiæ Roberti Monachi, de bello Principum Christianorum contra Turcas. Vbi sicut & alij.

Ioannes Nauclerus Chronographiæ suæ vol. ij. Generatione xxij. in principio.

Vbi aliqua primùm ex Blondo libro ix. Decadis primæ. De Mahumetis origine anno salutis 630. Heraclij 19. & Honorij Papæ I. tertio, ingenio & falsa doctrina. Deinde ex se plura, quòd instructus à Sergio Apostata à suis expulsò propter errorem Nestorij, & quòd usus præceptore quodam Iacobita ex his qui circumcisionem prædicant, & Christum non Deum, sed hominem tantùm dicunt iustum & sanctum. Et quòd multi ex Saracenis, & Iudæis ei adhæserunt; de eius vxore, & falsa visione Angeli Gabrielis, deq. impia lege, & alijs eius præceptis & gestis: vt & cæteri.

Vincentius Belluacensis in suo Speculo historiali libro xxiij. cap. xxxix. de hæresi Heraclij Imp. & Principatu & lege Machometi.

Et infrà cap. xlj. ex dicto libro disputationis de eius origine & vita, & libro xxv. cap. cxlij. ex Petro Alfonso de vita Machometi.

Vbi quòd ea tempestate Saraceni Machometh Pseudopropheta eis ducatum præbente, à suis sedibus exierunt, & Imperium Heraclij grauiter deuastare cœperunt; & quòd iste Machometh Saracenorum & Arabum Princeps & Pseudopropheta fuit de gente Ismael filij Abrahæ, & primùm mercator cum camelis suis pergebat in Aegyptum & Palæstinam cum Iudæis & Christianis, à quibus tam vetus quam nouum didicit Testamentum. Et quòd Magus factus Cadicam viduam conuenit, & suis incantationibus, & præstigijs in errorem induxit, dicens se esse Messiam, quem Iudæi expectant venturum, & Iudęos etiam decepit, & Saracenos ad se cateruatim uenientes, quibus etiam nouas leges tradidit, adhibens etiam testimonia ex vtroque Testamento, & ipsa Cadica accepit eum in maritum: & cùm epileptica passione frequenter caderet, & illa de hoc tristaretur, quod impurissimo homini & epileptico nupsisset, ipse ad eam placandam, dicebat ex visione Gabrielis Archangeli se cadere, non ferens splendorem vultus eius, quod illa & omnes Arabes crediderunt.

Ioannes Andreæ in glossa Clementinæ vnicæ in verb. Machometum, de Iudæis & Saracenis 1, & ibi

Card. Zabarella quæstione prima 2 super ipsa glossa. Et ibidem

Ioan. de Imola super eadem gloss. 3 in verb. Machometum nu. 7.

1 *Vbi aliter ex incerta quadam historia Ecclesiastica, quòd nutritus fuit à quodam clerico nobili Romano, qui tempore Bonifacij Papę IIII. cùm quędā petita impetrare nequiuisset, apostatauit à fide, & nutriuit illum cum quadam columba alba, quæ accipiebat grana de aure eius, & quando volebat Machometus, illa publicè ponebat os ad aurem, & sic dicebat quod Spiritus sanctus eum alloquebatur, & instruebat. Et quòd is postea legem dedit Saracenis, vt plenius in historijs Ecclesiasticis.*

2 *Vbi & quæ Ioannes Andreæ memorat, & quæ alij dicunt.*

3 *Vbi eadem ferè quæ Ioan. Andreæ, & erroneè (vt credo) citat quasdam historias, & insuper historiam de Machometo.*

Auctor libelli de moribus, conditionibus & nequitia Turcorum, qui fuit quidam Prouinciæ Septemcastrensis eorum captiuus per integros viginti annos.

Qui constat ex xxiij. capitibus, & habetur etiam impressus Parisijs MDIX. simul cum libello Ricoldi prędicti de impugnatione legis Turcorum, vt in eo suprà memini.

Nicetas in fragmento libri xx. Thesauri Orthodoxiæ, De modo & ordine recipiendi eum, qui à Saracenismo ad veram nostram Christianorum fidem venit.

Quod extat apud Bibliothecam SS. Patrum Tom. V. in fine. Vbi de Saraceni anathematismo, seu abrenuntiatione, catechismo & institutione, exorcismo seu adiuratione, & de anathematismis imposturarum Mahumeticarum, & confessione Christianæ fidei.

ADuersus autem Ethnicos seu Gentiles, & idololatras præsertim veteres, ac falsarum religionum cultores & sectatores atque impios atheos, prædicator vti poterit alijs antiquis & sanctis Patribus & Doctoribus, vt sunt

S. Iustinus philosophus & martyr Christi in oratione parænetica seu cohortatoria ad Græcos siue Gentiles: & in oratione apologetica pro defensione Christianorum ad Senatum Romanum: & in alia simili ad Antoninum Pium, pro Christianorum defensione; & in libro Ethnicarum quæstionum & Christianarum responsionum, atque in alijs eius opusculis.

De eo Eusebius in historia Ecclesiastica, & in Chron. & S. Hieronymus de scriptoribus.

S. Theophilus sextus Antiochenus Episcopus, in tribus libris contra Christianæ religionis calumniatores, ad Autolycum.

S. Hieronymus de eo. & habetur Tomo v. Bibliothecæ SS. Patrum.

Athenagoras 1 Atheniensis philosopus Christianus, in Apologia pro Christianis ad M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum, & in libro 2 de mortuorum resurrectione.

1 Apud Philonis Iudæi opera, & apud S. Iustinum.
2 Apud Philonem.

Aeneas Gazæus in Dialogo Theophrasto, de immortalitate animarum & corporum resurrectione.

Apud Philonem Iudæum.

Tertullianus in Apologetico aduersus gentes pro Christianis, & libello De testimonio animæ aduersus gentes, & in libello ad Scapulam. Item in libro de Idololatria.

S. Cyprianus in opusculo, Quòd idola Dij non sint, & quòd per Christum salus credentibus data sit, alias inscripto, De idolorum vanitate; & in epistola ad Donatum quæ est secunda lib. ij. in editione Romana.

Clemens Alexandrinus in oratione adhortatoria ad Græcos, seu ad gentes, & in tribus libris Pædagogi; vt omittam octo libros Stromatum velut difficiliores.

Origenes in libris contra Celsum.

Iosephus in duobus libris, quos scripsit contra Appionem Alexandrinum, & in alijs pluribus locis librorum de Antiquitatibus Iudæorum, & de bello Iudaico.

Eusebius Cæsariensis in libris de præparatione Euangelica, & in libris De Demonstratione Euangelica, & in libris contra Porphyrium.

S. Hieron.

Lactantius Firmianus in libris septem diuinarum institutionum aduersum Gentes, & in eorum Epitome, & in libello De ira Dei.

S. Hieron.

Arnobius Afer in libris septem disputationum contra gentes: nam octauus est Dialogus Octauius, Minutij Felicis, ex errore cum eo impressus pro octauo libro.

S. Hieron. impressus Romæ simul & seorsum cum epistolis Nicolai I. & Innocentij III.

Minutius Felix in Dialogo Christiani & Ethnici dispu tãtium, qui Octauius inscribitur.

S. Hieron. & etiam olim Romæ impressus post epistolas Nicolai I. & Innocentij III. & seorsum cum disputationibus Arnobij.

Iulius Firmicus Maternus V. C. in libro de mysterijs, & erroribus profanarum religionum ad Constantinum & Constantem Augg.

Tomo v. Bibliothecæ SS. Patrum, vbi notatur quòd est alius à Iulio Firmico Mathematico.

S. Athanasius in oratione contra idola.

S.Gre-

S. Gregorius Nazianzenus in prima & secunda oratione inuectiua contra Iulianum Augustum.

S. Cyrillus Alexandrinus in libris contra eundem Iulianum.

S. Ioannes Chrysostomus in demonstratione contra Gentiles, quòd Christus sit Deus. Item in sex sermonibus de prouidentia vel fato, & in oratione de prouidentia.

S. Augustinus in præcitatis libris de Ciuitate Dei, & orationibus contra Iudæos, Paganos & Arianos. & in epistola xlij. ad Madaurenses. Tomo II.

Conferunt etiam &

Paulus Orosius presbyter in septem libris historiarum aduersus Paganos.

Theodoretus Episcopus Cyrensis in libris, De curandis Græcanicis affectionibus, in decem orationibus de Prouidentia.

Saluianus Episcopus Massiliensis in libris octo de vero iudicio & prouidentia Dei, & ipsius gubernatione hominum & rerum mundi huius.

S. Thomas de Aquino in Summa contra gentes, seu in quatuor libris, De veritate Catholicæ fidei contra gentiles.

Beatus Dionysius Rikel Carthusianus in octo libris sui Tractatus, quem inscribit Dialogion de fide Catholica contra Gentiles.

Ipsemet in Catalogo suorum operum, qui habetur post eius vitam scriptam in fine voluminis in quartum Sententiarum.

His etiam addi possunt testimonia seu 1 vaticinia Sibyllarum, quæ vel habentur in octo libris, qui extant, seu potiùs fragmentis 2 Sibyllinorum oraculorum impressa, vel referuntur ab aliquibus 3 patribus & scriptoribus, ex Erythræa præsertim & Cumana seu Cumæa, quæ eadem est.

1 *De quibus Diodorus Siculus libro v. M. Varro in libris rerum diuinarum.*
M. Tullius libro ij. De diuinatione (vbi de illis versibus acrostichijs, qui sunt de Christo Domino, quorum primæ litteræ ita sonant.)

Iesus Christus Dei filius, Saluator seu Seruator, Crux.

Vergilius Ecloga quarta, & libro vj. Aeneidos.
Dionysius Halicarnassæus libro quarto Antiquitatum Romanarum.
Seruius in quarto Aeneidos.
Iosephus libro primo Antiquitatum Iudaicarum, cap. ix.
Suidas in Lexico suo littera S, in verbo Sibylla (vbi de Chaldæa & alijs omnibus Sibyllis) & in verbo Ilion Phrygiæ (vbi de Sibylla Erythræa.)

2 *Vbi etiam in fine referuntur versus illi acrostichij de Christo Domino, & ex alijs Sibyllis.*

3 *Iustino, Clemente Alexandrino, de quibus supra, Theophilo Antiocheno ad Autolycum lib. xj. Lactantio Firmiano diuinarum Institutionum libro primo, De falsa religione à cap. vj. & seqq. & libro ij. De origine erroris, cap. xij. & libro quarto De vera sapientia, cap. xv. xvj. & xvij. (vbi minutatim Sibyllę carmina explicat) & libro septimo De diuino pręmio, cap. xxiij. & xxiiij. & in libro de ira Dei cap. xxij. & vlt. Constantino Magno in oratione ad Sanctorum cœtum (quæ habetur apud Eusebium Cęsarien. post eius libros de vita Constantini) cap. xvij. de Sibylla Erythræa, & eius carminum Acrostichide, in quibus exprimit Christi passionem &c. & cap. xix. (vbi quòd non potuerunt confingi ab aliquo Christiano) & cap. xx. vbi de vaticinio Sibyllę Cumææ ex Vergilio Marone Ecloga quarta de aduentu & natiuitate Christi quod explicat) & cap. xxj. (vbi quòd ista dici non poterant de homine tantùm, sed de Deo & homine.)*

S. Augustinus libro primo de consensu Euangelistarum cap. 20. Tomo iiij. (vbi in genere, & specialiter libro xviij. de Ciuitate Dei, cap. xxiij. Tomo v. vbi integrè latius eadem ponit, & ibi plenius Ludouicus Viues in scholijs ad eum. Et in oratione contra Iudæos, Paganos & Arianos Tomo vj. (vbi vtrobique versus illos acrostichios Latinè refert.)

Sozomenus lib. ij. historiæ Ecclesiasticæ cap. j. (vbi de Sibyllino carmine, O felix lignum in quo Deus ipse pependit.)

Idem vaticinium Sibyllæ Erythrææ à Ioanne Lango è Græco Latinè versum, De extremo in terris Domini & Seruatoris nostri iudicio, seu Acrostichis, hoc est primæ carminum litterę componunt dicta verba.

Iesus Christus Dei filius seruator Crux.

Habetur

Habetur in calce historiæ Ecclesiasticæ Nicephori Callisti.
Sanctus Antoninus in quarta parte Summæ Tit.viij.cap.primo. §.primo (vbi quomodo Sibylla prophetauit de Christo, eius passione & fide &c.)
F.Bartholomæus de Pisis de conformitatibus vitæ S. Francisci ad vitam Christi lib. ij. parte j. primo fructu, & fructu xiiij.
F. Xystus Senensis libro ij.Bibliothecę sanctæ in verbo Sibyllarum oracula (vbi de omnibus Sibyllis, licet aliam faciat Cumęam à Cumana, & male.)

Quantum verò pertinet ad Ethnicos & Gentiles noui Orbis seu Indiarum Occidentalium & Orientalium, Sinarum & Insularum Iaponij, quibus rationibus Christus, & eius Euangelium eis annunciari debeat, iudicium esto religiosorum & piorum virorum, qui & prudentia & magno salutis proximorum zelo præditi, in illis partibus diu versati sunt aut versantur. In primis enim ipsorum credulitatis & falsę religionis impij cultus & errorum plenam cognitionem & scientiam habere debent, vt eis occurrere & eos refellere possint, tum magna charitate & pietate commiserari eorum cæcitatem, & ipsos complecti, & demum verbum Dei Christianæq. fidei initia cum magna discretione proponere, & eorum conuersionem prosequi, prout per eos, præsertim patres Iesuitas instructiones factæ ac traditæ sunt: ac aliter cum Indis Orientalibus, & aliter cum Indis Occidentalibus, pro eorum captu & ingenij celeritate aut imbecillitate vel magnitudine agendum esse.
Illud autem valdè expedire creditur, vt qui in eisdem Prouincijs & Regnis sunt, etsi diuersorum ordinum patres, eandem prædicandi formulam, & doctrinæ Christianæ docendæ modum teneant, ne diuersam fidem aut religionem annuntiare videantur.

Ad Iudæorum quoque & aliorum infidelium conuersionem facilius procurandam expediret etiam vt libelli de eorum erroribus, vel etiam aliqui ex prædictis vulgari sermone, ac etiam ipsorum lingua conscriberentur & ederentur, & editos Episcopi & Prælati Iudæis & infidelibus ad se pertinentibus traderent & erogarent.
Ex Concil. Toletano XII. cap. ix. Tomo iij. Concil. §. Item vt Episcopi. sic statuitur. Item vt Episcopi omnes Iudæis ad se pertinentibus libellum de suis editum erroribus tradant.

Vt non cessetur à prædicatione propter duritiam ipsorum Iudæorum.

NEc Prælati Ecclesiarum & ab eis præfecti seu deputati desistere debent ab huiusmodi prædicatione verbi Dei siue propter duritiam & obstinationem ipsorum Iudæorum, siue quòd infructuosa videatur, cùm eo magis in ea constanter perseuerare ad eorum cordis cœcitatem tollendam, & ad oppugnanda machinamenta diaboli, quibus ipsos in incredulitate detinet alligatos, memores verbi Pauli Apostoli, quòd Romæ de Iudæis dixit: Quia benè Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eum: aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Quorum etiam incredulitas & cæcitas in diuinis scripturis significata est per velamen, quod Moyses ponebat super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur, vt idem dicit Apostolus, sed obtusi sunt sensus eorum: vsque in hodiernũ enim diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet nõ reuelatum, quoniam in Christo euacuatur, & beatus Stephanus dicebat eis: Dura ceruice, & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis sicut patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu Iusti, cuius vos nunc proditores

Act. 28. & vlt. f
Isai. 6. c
Act. 7. f

tores & homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.

Porrò deceret vt annuntiantibus Christi Euangelium in partibus infidelium, vel ipsis infidelibus & Iudæis, aliquæ Indulgentiæ & remissiones peccatorum à sancta Sede Apostolica concederentur, & præsertim plenaria, quæ proficiscentibus ad liberandam terram sanctam, vel assumentibus crucem, vel in eius subsidium præstantibus quod iniungitur, siue mittentibus olim in Concilio Claromontensi ab 1 Vrbano II. 2 Cœlestino III. & 3 Alexandro III. & in Concilio generali ab 4 Innocentio III. & 5 Gregorio X. in Concilio Lugdunensi, & postmodum etiam in alijs expeditionibus contra Turcos à 6 Nicolao V. & 7 Calixto III. 8 Pio II. & 9 Pio V. alijsque 10 Romanis Pontificibus concessæ sunt, vel concedi solent: vel etiam ab eis peterentur, cùm à liberalissima matre facile obtineantur.

1 *Gulielmus Archiepisc. Tyrensis libro primo de bello sacro cap xv.*
2 *In suis litteris Cruciatæ.*
3 *In suis litteris, in quibus innouat litteras Cœlestini III.*
4 *In bulla Cruciatæ seu expeditionis pro recuperatione Terræ sanctę, incip. Ad liberandam terram sanctam, cuius fit mentio in cap. Ad liberandam. de Iudæis & Saracenis. §. vlt. quæ habetur Tomo iij. Concil. post constitutiones editas in eodem Concilio generali, & Tomo j. operum ipsius in fine.*
5 *B. Antoninus in tertia parte Chronicorum seu historiæ tit. xx. cap. ij. §. vj.*
6 *In Bulla Cruciatæ.*
7 *In sua Bulla Cruciatę in qua inserit Bullam Nicolai V.*
8 *In pluribus suis epistolis & speciatim in Bulla seu epist. ccccxij. de profectione contra Turcos.*
9 *In suis litteris in forma Breuis expeditionis contra Turcos, anno sui Pontificatus vij. quibus ad bellum illud proficiscentibus concedit easdem quæ conceduntur euntibus in subsidium Terrę sanctę.*
10 *Gregorio XIII. Sixto V. & S. D. N. Clemente VIII. concessæ sunt Visitatoribus & Nuntijs Apostolicis ad terras & partes Christianorum tyrannidi infidelium & Turcarum subiectas destinatis.*

Sciant Præsules & Sacerdotes, qui causa prædicationis inter Paganos seu infideles versantur aut degunt sibi & socijs eorum ex Apostolica dispensatione concessum esse ijs cibis cum modestia & gratiarum actione seruata temporum qualitate iuxta canonicas sanctiones vti, qui eis ab ipsis infidelibus apponuntur.

Clemens Papa III. in Decretali, Quam sit laudabile. primo responso, de Iudæis, & gloss. ibi. & in cap. Iudæi ij. eod. tit.

Ac insuper quod quicunque religiosi seu clerici idonei ad annuntiandam gentibus Euangelicam veritatem ipsos sequi, & eis adhærere voluerint, requisita & habita licentia suorum Prælatorum, id absque contradictione qualibet liberam habent eadem auctoritate Apostolica exequendi facultatem.

Citato cap. Quam sit laudabile. secundo responso: & ita facimus in expeditionibus Visitatorum & Nuntiorum, qui ad terras Turcis & infidelibus subiectas, vt sunt regiones Sclauoniæ, Bossinæ, Argentinæ, & Samandriæ, Hungariæ, Albaniæ, Seruiæ, & aliarum Syriæ, Mesopotamiæ, Aegypti, & alias plures destinantur.

Quomodo Iudæi tractandi vt veniant ad Fidem.

QVi huic muneri conuersionis infidelium incumbunt, maximè studere debent, vt alieni à Christiana religione ad eam blandimentis non asperitatibus adducantur.

S. Gregor. in Regesto lib. xj. Indictione sexta epistola seu cap xv. ad Paschasium Episcopum Neapolitanum in princ. vbi ait: Qui sincera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam ducere, blandimentis non asperitatibus debent studere, ne quos reddita ad planum ratio poterat reuocare, pellat procul aduersitas &c.) & habetur in decreto distinct. xlv. cap. Qui sincera.

Stephanus de Lycio in libro de Iudæis, deq. eorum cum Christianis consuetudine §. Debent in primis Iudæi, vt ait Gregorius, auctoritatibus, rationibus & blandimentis potius quàm asperitatibus

tibus

tibus ad fidem Christianam de nouo suscipiendam prouocari, non autem compelli &c.

Quare & cum Iudæis, ex sententia B. Gregorij, ita agendum est, vt ratione potius & mansuetudine prouocati sequi nos velint, non fugere; vt eos, ex eorum codicibus ostendentes quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesię Deo possimus adiuuante conuertere.

Oportet autem in prędicatione, vt eorum peccata, quibus alligati detinentur, ne facile ad Christum conuertantur, ipsis cum commiseratione aperiantur; & quàm grauia sint eis ostendatur, vt ipsis displiceant, & illorum pœniteat; non autem vt ad iracundiam prouocentur, vel vt à Christianis odio habeantur.

Quinimò placidè & non asperè corripi debent; ac monendi sunt Christiani, ne eos contumelijs aut iniurijs afficiant, sed charitate & sanctarum virtutum exemplis eos ad conuersionem prouocent.

Principes quoque tam Ecclesiastici quàm seculares, ad insinuandam Iudæis, & alijs infidelibus Christianam benignitatem, eos grauibus impositionibus, vectigalibus, aut nimijs vexationibus non premant, imò quandoque vt eos Christo lucrifaciant aliquid ipsis cōdonent & remittant. Nam & ad fidem inuitari possunt imminutione tributi, & onerum ciuilium & publicorum immunitate & exemptione, necnon pensionum & prouisionum promissione, exemplo etiam S. Gregorij Papæ, qui mandauit Cypriano Rectori patrimonij Sicilię, vt mitteret epistolas ad Iudęos, qui erant in possessionibus dicti patrimonij, quibus eis promitteret, quod quicunque ex ipsis ad verum Dominum Deum nostrum Iesum Christum conuersus fuisset, onus possessionis eius ex aliqua parte imminueretur. Quod ita quoque, inquit, fieri volo, vt si quis ex eis conuersus fuerit, si solidi pensionem habet &c. & taxat portionem imminutionis oneris.

Stephanus de Lycio de Iudæis. §. Possunt insuper induci Iudæi.

S. Gregor. lib. iiij. Regesti indictione xiij. epistola seu cap. l. ad Cyprianum Diaconum Rectorem patrimonij Siciliæ.

Sed & prę mijs & honoribus, ac alijs temporalium rerum promissionibus infideles ad Christianam fidem allici possunt.

Hermas Letmatius lib. ij. de instaur. relig. cap. 12. &

Iacob. Simanca in prioribus Institut. Catholicis cap 35. de Iudæis, nu. x.

Magister Stephanus de Lycio de Iudæis. §. Promissionibus quoque ac muneribus inuitari possunt &c.

Generaliter autem Iudęi, Saraceni, & alij infideles propter hoc quod Iudęi, Saraceni vel infideles sint, indebite grauandi non sunt, neque iniurijs afficiendi aut opprimendi, & sicut eorum personis legibus prouidetur; ita monendum est ne ipsi Iudęi propterea forsitan insolescant, elatiq́. sui securitate quicquam pręcipites in Christianam reuerentiam vltionis admittant.

Habetur in l. Nullus. C. de Iudæis. vbi ab Impp. Honorio & Theodosio sic dicitur. Nullus Iudæus cùm sit innocens obteratur, nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscunque proficiat: non facile eorum Synagogæ vel habitacula concrementur vel perperam sine vlla ratione lædantur &c.

Et idem similiter dicitur in Constitutione Regni Siciliæ, Si quis in posterum §. Iudęis & Saracenis lib. ij. Constitutionum Regni tit. De defensis impositis & contemptis, vbi Fridericus Rex de eis sic dicit: quos non propterea quòd Iudæi vel Saraceni sunt, arctari volumus innocentes, & ibi gloss. in verb. Iudæis notat pro concord. d. l. Nullus. C. de Iudęis, & l. Christianis. C. de Paganis, & Andr. ab Esernia in glossa sua.

Ex verbis d. l. Nullus. ibi, sed vt in hoc personis Iudæorum volumus esse prouisum; ita id quoque monendum esse censemus &c. C. de Iudæis.

Et sicut Iudęis (vt B. Gregorius scribit ad Victorem Episcopum Panormitanum, & complures Summi Romani Pontifices (nempe Alexander Tertius, Clemēs Tertius, & Innocentius Tertius, ac alij astipulantur, non debet esse licentia quicquam in Synagogis suis, vltra quam permissum est lege, pręsumere; ita in his quę eis concessa sunt nullum debent pręiudicium sustinere.

Libro septimo Regesti epistola seu cap. 26.

Ale-

Alexander III. in collectione constitutionum suarum tit. seu parte xx. de Iudæis cap. primo, Sicut Iudæis in principio tom. 3. Conciliorum. Clemens 3. cap. Sicut Iudæis in princ. de Iudæis (licet ibi extensè non habeantur) & Innocent. III. lib. ij. Regesti impressi epistola vlt. fol. 445. à tergo in princ. ibi. Sicut ergo Iudæis &c.

Quare & super eorum Synagogis, veteribus tamen iuxta eundem S. Gregorium, molestandi aut inquietandi non sunt; sed in ijs quæ ipsis permissa sunt tolerandi.

Libro vij. Regesti, Indictione ij. epistola v. & cap. v. ad Ianuarium Calaritanum, ex qua desumptum est cap. Iudæi. j. de Iudæis, & eodem lib. vij. Indictione prima, epistola, & cap. 27. ad Victorem Episcopum Panormitanum, vbi qualiter in eorum Synagogis tolerandi sunt.

Et idem libro xj. Regesti, Indictione vj. epistola xiij. & cap. xv. ad Paschasium Episcopum Neapolitanum, vbi mandat ne Iudæis vsus festiuitatum feriarum, & cæremoniarum ipsorum prohibeatur.

Et seculari lege Christianorum Impp. prohibitum est ne milites etiam sub hospitij obtentu, irruant in Synagogas Iudæorum.

L. in Synagogam. C. de Iudæis.

Iudæos quoque indebite molestari vel affligi contra ordinem rationis non licere; sed sicut Romanis viuere legibus permittuntur, ita annuente iustitia de se & actibus suis, vt norunt, nullo disponente disponant.

S. Gregorius ad verbum libro xij. Regesti, Indictione vij. epist. & cap. xviij. ad Bacandam & Angelum Episcopos.

Stephanus de Lycio de Iudæis §. Nullus debet Iudæum occidere, vel offendere, nec bonis explicare, aliàs puniri debet.

De Iudæis communi Romano iure viuentibus, l. Iudæi. j. C. de Iudæis & Cælicolis.

Statuta Vrbis Romæ dicunt Iudæos ciues esse Romanos, & Ciuium Rom. priuilegijs gaudere.

Nam & lege ciuili Christianis sub graui pœna in contrafacientes mandatum est, vt Iudæis & Paganis, quando cum eis permistim habitant, quietè degentibus, nihil tentantibus turbulentum, legibusq. contrarium, non audeant manus inferre, vel eorum bona diripere religionis auctoritate abusi; proposita etiam pœna in Rectores Prouinciarum & Officiales si talia non vindicent, vel fieri permiserint.

L. Christianis. C. de Paganis & sacrific. & templis eorum.

Et idem etiam habet locum de Iudæis & Saracenis, vt dicit Petr. de Anchar. in Clement. vnica. in princ. de Iudæis.

Et de Iudæis Matth. Afflict. decis. Neap. clj. nu. ij. & Felin. in cap. Sicut Iudæis. de Iudæis in princ. & ante num. j. vers. vlt. ad intellectum &c. (vbi refert dictum Specul. in tit. de Iudæis post princ. quod Iudæus passus iniuriam libellando, poterit intentare actionem, ex dicto cap. Sicut Iudæis. & ex citata l. Christianis. C. de Paganis.)

Quocirca & B. Augustinus rectè docet non licere homini Christiano spoliare Iudæum, nec eius bona rapere, etiam si id faciat, vt ille conuertatur ad Dominum.

B. Augustinus lib. l. homiliarum homil. vij. col. vlt. Tomo x. vbi sic dicit.

Hic fortasse quod euadas hanc vocem, ne dicat tibi Christus, Vestitus fui & spoliasti me, mutata consuetudine cogitas spoliare hæreticum vel Iudæum & non vestitum Christianum. Et hic respondebit tibi Christus, imò nunc respondet tibi per seruum suum qualemcunque ministrum suum, respondebit tibi etiam hic. Parce damnis meis. Cum enim tu qui Christianus es, spolias Iudæum, impedis fieri Christianum. Et tamen hic adhuc fortè respondebis, Ego non ex aliquo odio pœnam ingero, sed ex dilectione potiùs disciplinam. Ideo spolio Iudæum, vt per hanc asperam & salubrem disciplinam faciam Christianum. Audirem & crederem, si quòd abstulisti Iudæo, redderes Christiano. Forte & hoc secum cogitat aliquis, & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, non habeo peccatum si illis abstulero, & pauperibus dedero. Vnde enim illi nihil boni faciunt mercedem habere potero si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re parcat vnusquisque animæ suæ, quia huiusmodi cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur: Nam etiam si totum tribuat, quod abstulerit, addit potiùs peccata, quàm minuat. Diximus contra vnum vitium rapinarum, per quod res humanæ vsquequaque vastantur. Diximus, & nemo nobis contradicit. Quis enim audet contradicere veritati?

Hinc etiam aliquando Catholicis Principibus & Ecclesiarum Prælatis, cæterisq. Christifidelibus mandatum fuit, vt ipsos Iudæos ad obseruantiam sacrarum constitutionum compellerent; super alijs verò grauari, molestari, seu in eorum personis offendi, aut bona eorum diripi, siue alias quoquo modo absque rationabili causa vexari

non permitterent: quinimo eos tractarent humaniter & clementer, ac per alios etiam quantum ad eorum officium pertineret facerent sic tractari, vt tali suffragio ab iniuriosis inquietationibus preseruari valerent.

Benedictus Decimustertius in sua Bulla ante finem, §. Congruit autem. vbi dicitur:

Congruit autem religioni ac mansuetudini Christianæ libenter Iudæis contra iniustas persecutiones humanum præstare subsidium: finendi sunt enim vsque in tempus messis crescere, ne forte credentes eradicare zizaniam, triticum, quod in agro gentis prefatæ bonus ille paterfamilias seminator recti consilij Deus, suis viuificandum temporibus seminauit, immatura adhuc segete, & indiscreta anticipatione eradicari contingat. Plus enim blandimentis quàm asperitatibus erga eos agendum est: ne quos Christiana benignitas ad viam rectam forsitan reuocaret, procul pellat in ruinam asperitas humana. Vniuersos igitur Catholicos Principes obnixè rogamus & hortamur attentè; & nihilominus omnibus Ecclesiarum Prælatis ac cæteris Christifidelibus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus sic Iudæos ipsos ad obseruantiam presentium Constitutionum quantùm in eis fuerit, & ad cuiuslibet eorum officium pertinet non omittant compellere, quod tamen ipsos vltra ea, quæ in prædictis constitutionibus, aut alijs sanctionibus continentur grauari, molestari, seu in eorum personis offendi aut bona eorum diripi siue aliàs quoquomodo absque rationabili causa vexari vlteriùs non permittant. Quinimo eos tractent humaniter & clementer, ac per alios etiam quantùm ad eorum officium pertinet, faciant sic tractari; ita quòd tali mediante suffragio ab iniuriosis inquietationibus valeant præseruari. Tunc enim in cordis ara sacrificium Deo acceptum tribulatus spiritus verè creditur immolare, cùm inspectori cordium illud offertur voluntariè non coactè. Nam secundum sacrorum Canonum sanctiones consultiùs agitur si ad veritatis cognitionem & diuinum amorem pijs monitis informando & prædicando, quàm violentiam inferendo à fidelibus inducantur.

Et licet 1 eorum perfidia sit multipliciter improbanda; quia tamen per eos fides nostra veraciter comprobatur, non sunt à fidelibus grauiter opprimendi, dicente Propheta: Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ. ac si diceretur apertiùs, nè deleueris omnino Iudęos, ne forte Christiani legis tuę valeant obliuisci, quam ipsi non intelligentes in libris suis intelligentibus reprępresentant. Et 2 quamuis in sua magis velint duritia perdurare, quàm vaticinia Prophetarum & legis arcana cognoscere, atque ad Christianæ fidei notitiam peruenire; siquando tamen postularunt aut implorarunt defensionis auxiliū sanctę Ecclesię vel Apostolicę Sedis, summi Romani Pontifices Calixtus Secūdus, Eugenius Secundus, Alexander Tertius, Clemens Tertius, Cœlestinus Tertius, Innocentius item Tertius, ex Christianę pietatis mansuetudine ipsorū petitionem admiserunt, eisq́. protectionis suę clypeum indulserunt. *Psal. 58.*

1 *Innocent. III. lib. ij. Regesti impressi, epistola vlt. in princ. incip. Licet perfidia Iudæorum. sub Datum Laterani per manum Rainaldi Acherontini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, xvij. Kal. Octobris, Indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno M. CXCIX. Pontificatus sui anno secundo.*

2 *Alexander Tertius in suis constitutionibus tit. seu parte xx. de Iudæis, citato cap. j. vers. Nos ergo. & Innocent. Tertius in prædicta epistola vlt. vers. Nos ergo.*

Statuerunt 3 enim, vt nullus Christianus inuitos vel nolentes eos ad Baptismum per violentiam venire 4 compellat. Sed si quis eorum ad Christianos fidei causa confugerit, postquàm voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptisma non spontaneus sed inuitus cogitur peruenire.

3 *Alexander Tertius d. cap. j. parte xx. de Iudæis. vers. Statuimus enim. Tomo iij. Conciliorum, vbi sic dicitur*

Statuimus enim, vt nullus Christianus inuitos vel nolentes eos (scilicet Iudæos) ad Baptismum venire compellat; sed si eorum quilibet ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur. Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus sed inuitus cognoscitur peruenire.

Clemens Tertius citato cap. Sicut, vers. Statuimus vt nullus. de Iudæis. (vbi dicit

Statuimus, vt nullus inuitos vel nolentes Iudæos ad Baptismum venire compellat: si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum

ptiſmum non ſpontaneus, ſed inuitus cogitur peruenire.)

Innocentius Tertius dicta epiſtola vlt. verſ. Statuimus enim (vbi ſimiliter dicit:

Statuimus enim, vt nullus Chriſtianus inuitos vel nolentes eos ad Baptiſmum per violentiam venire compellat; ſed ſi eorum quilibet ſponte ad Chriſtianos fidei cauſa confugerit, poſtquam voluntas eius fuerit patefacta, ſine qualibet efficiatur calumnia Chriſtianus. Veram quippe Chriſtianitatis fidem habere non creditur, qui ad Chriſtianorum Baptiſma non ſpontaneus, ſed inuitus cognoſcitur peruenire &c.

Et hæc quidem propter varietatem lectionis recitata ſunt.

Stephanus de Lycio de Iudæis.§ Debent in primis. vbi circa finem.

4 *Idem dicit Innocent. ſupra in epiſtola ad vniuerſos Chriſtifideles in Saxonia, & per Vueſtphaliam conſtitutos, de ſuccurrendo Liuonenſibus de nouo conuerſis ſeu factis Chriſtianis in princ. (vbi dicit.*

Sicut inuiti non ſunt cogendi, ita ſponte venientes amplectendi & iuuandi.)

Vtq. 5 nullus etiam Chriſtianus eorũ quemlibet ſine iudicio terrenæ poteſtatis nequiter lædere, occidere, vel vulnerare, vel ſuas eis pecunias & res auferre præſumat; aut bonas, quas habuerint conſuetudines immutare.

5 *Alexander Tertius citato cap. j. verſ. Nullus etiam Chriſtianus.*

Clemens iij. dicto cap. Sicut. verſ. Nullus etiam Chriſtianus.

Innocent. Tertius in ead. epiſtola vlt. verſ. Nullus etiam Chriſtianus.

Néve 6 in feſtiuitatum ſuarum celebratione quiſquam fuſtibus vel lapidibus eos vllatenus perturbet: neque aliquis ab eis coacta ſeruitia exigat, niſi ea, quæ ipſi tempore præterito facere conſueuerunt.

6 *Idem Alexan. dicto cap. j. verſ. Præſertim in feſtiuitatem.*

Clemens Tertius dicto cap. Sicut. verſ. Præſertim &c. &

Innocent. Tertius ead. epiſtola vlt. verſ. Præterea in feſtiuitatem.

Ad hæc 7 malorum hominum prauitati & auaritiæ obuiantes decreuerunt, vt nemo cœmeterium Iudæorum mutilare vel inuadere audeat, ſiue obtentu pecuniæ corpora iam humata effodere. Quodq́. 8 ſi quis decreti huiuſmodi tenore cognito temerè, quod abſit, contraire præſumpſerit, honoris & officij ſui periculum patiatur, aut excommunicationis ſententia plectatur, niſi præſumptionem ſuam digna ſatiſfactione correxerit.

7 *Alexan. Tertius dicto cap. j. verſ. Ad hæc.*

Clemens Tertius dicto cap. Sicut. verſ. Ad hoc.

Innocent. Tertius citata epiſtola vlt. verſ. Ad hoc.

8 *Alex. dicto cap. j. verſ. Si quis autem.*

Clemens Tertius dicto cap. Sicut.

Innocent. Tertius eadem epiſt. vlt. verſ. Si quis autem.

Verùm 9 declaratum eſt eos dumtaxat huius protectionis præſidio communiri, qui nihil machinari præſumpſerint in ſubuerſionem fidei Chriſtianæ.

9 *Innocent. Tertius in ſæpecitata epiſtola ad finem. verſ. Eos autem.*

Et id quidem non immeritò, ne talis protectio Iudæorum vel in Chriſtianæ fidei detrimentum cedat, vel ipſi ſub eius obtentu Chriſtianis populis damnum, & exitium afferant, vt ſolent.

Patrocinium enim eis præſtat pia mater Eccleſia contra manifeſtas 10 iniurias in eorum perſonas & bona ex commiſeratione & ſecundum naturam, vt & ipſi tandem conuertantur ad fidem; non autem vt poſſint officere Chriſtianæ fidei, vel eius cultoribus Orthodoxis, aut vergere in damnum pauperum Chriſtianorum ad 11 protegendam eorum duram in populos exactionem, aut grauiſſimam ipſorum vſurarum voraginem explendam.

10 *Ita declarat Andr. ab Eſernia in ſupracitata conſt. Regni, Si quis in poſterum.§. Iudæis & Saracenis, ſcilicet ne offendantur de facto, ſunt ſub protectione Principis. C. de Iudæis. l. Nullus. & eodem §. Iudæis &c.*

11 *Iacob. Sadolet. S.R.E. Card. in epiſt. ad Guidum Aſcanium Card. S. Floræ S.R.E. Camerarium, epiſtolarum ſuarum libro xv.*

Exploratum eſt enim omnibus & valdè deplorandum iniquum patrocinium, quod Iudæi tum à publicis Magiſtratibus, tum etiam à priuatis & principibus per-

ſonis gratia vel fauore, malis artibus aut corruptelis ſubdolè & fraudulenter extorquent.

Iudæi igitur neque vi aut violentia, neque inuiti contra eorum liberam voluntatem ad Chriſti fidem ſuſcipiendam cogendi ſunt, vt prædictum eſt; cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Sed ſi eam taliter ſuſceperunt, illam ſeruare & tenere compelluntur, vt docet 1 Concilium Toletanum quartum. Circa eos enim 2 ea temperantia vtendum eſt, vt trahatur ab eis velle, non vt adducantur inuiti; quia ſcriptum eſt; Voluntariè ſacrificabo tibi. Et 3 tunc in cordis ara ſacrificium Deo acceptum tribulatus ſpiritus verè creditur immolari, cùm inſpectori cordium illud offertur voluntariè, non coactè. Nam ſecundum ſacrorum canonum ſanctiones conſultiùs agitur, ſi ad veritatis cognitionem & diuinum amorem pijs monitis informando & prædicando, quàm violentiam inferendo, à fidelibus inducantur. *Rom. 9. d* *Pſal. 53.*

1 *Canone ſeu cap. lvj. Tomo ij. Concil. & habetur apud Gratianum diſt. xlv. cap. de Iudæis. & ex eo Iacob. Septimacen. in Inſtitut. Cathol. cap. xxxv. de Iudæis. num. x. & cap. Sicut. de Iudæis. & ibi Doct.*

2 *S. Gregor. lib. vij. Regeſti epiſt. v. ad Ianuarium Epiſcopum Calaritanum.*

3 *Benedictus Papa Decimustertius in ſua Bulla contra Iudæos. §. vlt. ad verbum.*

Idem & de alijs infidelibus dicendum eſt, vt contra ipſorum voluntatem ad fidem minimè compellantur.

S. Thomas 2. 2. q. x. art. v. in corp. Hermas Lętmatius lib. ij. de inſtauranda religione cap. xij.

Sed neque eorum (ſcilicet Iudæorum vel aliorum infidelium) filij & pueri infra pubertatem, vel ante vſum rationis, ſeruata cõmuni 4 Doctorum ſententia, debent inuitis parentibus baptizari: niſi aliquis ſpecialis caſus occurrat, qui ex rationabili cauſa puerum etiam ipſis inuitis ſuadeat baptizari.

4 *Iuriſconſultorum & Theologorum, vt ſunt*
Gloſſ. Ioannis Teutonici in cap. Iudæorum xxviij. q. j. & ibi
Aegid. Bellem.
Calderin. conſ. ij. An filij Iudęorum, de Iudæis, cuius remiſſiuè tantum meminit.
Alex. Imolen. in add. ad Bar. in l. ij. in verb. patria poteſtas. ff. de ijs qui ſunt ſui vel alieni iur. (non quòd ibi hanc opinionem expreſsè ſequatur, vt videtur citari à Matthæo de Afflictis deciſ. Neapolit. clj. & à Stephano de Caieta in Sacramentali de Baptiſmo q. xlj. locis iterum infrà citandis) ſed remiſſiuè ad eam.
Et in cap. Sicut de Iudæis, confirmant
Card. Florentin.
Abbas.
Ioan. de Ana. nu. 4. & 5. &
Ioan. de Lignano, qui teſte Afflicto in deciſ. ſupracitata dicit quòd dicta gloſſa communiter approbatur.
Marianus Socin. Senior in iij. notab. nu. 4. & ſeqq. (vbi dicit hanc opinionem eſſe veriorem de rigore iuris, ſed affirmatiuam benigniorem.)
Felin. (vbi dicit hanc partem eſſe communiorem) &
Idem Card. Florent. in clem. vnica, q. v. & vlt. in fine de Iudæis. & ibi
Bonifac. de Vitalinis nu. xxviij.
Card. Alex. in cap. Qui ſincera. num. j. diſt. xlv.
Ludouic. Roman. in l. Multum intereſt nu. vij. ff. de verb. oblig. & ibi
Franciſc. Aretin. nu. 7.
Alberic. de Roxate in Dictionario in verb. Iudæus ij.
Matth. de Afflict. d. deciſ. clj.
Nicolaus de Milis in verb. Iudæus.
Petrus Paulus Pariſius conſ. ij. num. xxxviij. & ſeqq. vbi teſtatur de communi, volum. iiij.
Doctor Nauar. conſil. iiij. num. vij. de conuerſ. infidelium libro iij. volum. j. qui etiam teſtatur de communi.
Iacob. Simanca in Inſtitut. Cathol. cap. xxix. De filijs & minoribus nu. xviij. xix. xx. (vbi quòd ei hæc opinio verior videtur.) & num. xxj.
M. Antonius Cucchus in inſtitutionibus canonicis maioribus lib. v. tit. ij. De Baptiſmo, nu. 130. & ſeq.

Restaurus Castaldus in tract. De Imperatore cap.x. casu cccxv.
Marquardus de Susannis in tract. de Iudæis parte iij.cap.ij. num.6.& cap.viij. nu.iiij.
M.Ant.Natta cons.ccccxxxiiij. Quædam puella. lib.ij.
Francis. Viuius de opin.commun. opinione cccxciij Qui dicit communem.
Francis. Bursatus cons.clij.nu.vij.vol.ij, (vbi dicit veriorem & communiorem.)

Ex Theologis autem
S.Thom.2.2 q.x.art.xij. & vlt.& in iij.parte q.lxviij.art.x. & vtrobique
Card. Caietan. &
Idem S.Thom. Quodlibeto ij. art.vij. & eum sequuntur complures in eodem iiij. Sentent. dist. iiij. & aliqui in sequentibus.
Durandus in iiij.dist.iiij. q.vj.sub nu.xj.
Petrus de Palude in eod.iiij.dist.iiij.q.iiij.art.iij.
Riccard. ibid. dist.vj. art.iij. q.iij. (vbi dicit quòd non est consuetudo in Ecclesia, nec esse debet, vt paruuli Iudæorum & Paganorum inuitis parentibus baptizentur.)
Dionys. Carthus. in iiij.dist.iiij.q.vij. (vbi sequitur S.Thomam & Riccardum, & cum eis dicit concordare Durandum.)
Dominic. Sot. in suo iiij.dist.v. q.vnica,art.x.
Dominic. Bannes in S.Thomam 2.2.q.x.art.ix.col.ij.
S.Antonin.in secunda parte summæ tit.xij. cap.ij. §. Pueri Iudæorum & aliorum infidelium: & rursus in tertia parte tit.xiiij. cap.xiij.§.ix. vers.Quantum scilicet ad Baptismum.
Ioan.Gerson in summa lib.iiij. de Sacramento Baptismi q.xiij.
Stephan.de Caieta in suo Sacramētali,de Sacramento Baptismi,q.xlj. vers.An autem filij paruuli Iudæorum vel infidelium &c.
Summa Pisanell.in verb.Iudæus iij. §.Vtrum pueri.
Summ.Confess.lib.j. tit.iiij. de Iudæis q.iiij.
Summ. Rosell. in verb. Iudæus. ij.
Summ. Siluest. in verb. Baptismus iiij. §.vj.vij. & viij.
Summ. Tabiena in verb. Baptismus vij. num. xj. (vbi dicit hanc opinionem esse probabiliorem, veriorem & securiorem, maximè propter consuetudinem Ecclesiæ.
Summ. Armilla in verb. Baptismus, num. lvij. (vbi dicit opinionem Scoti esse contra communem.)
Francis.de Victoria de Sacramentis, tit.de Baptismo, nu.xxvij.
Ioan.Viguer.in Institut. suis de virtute fidei cap.x. §.v. vers.v. (vbi ampliat. etiam si pater seruus esset; & quòd nec etiam Papa id facere potest.)
Et hi ferè omnes nominatim sequuntur S.Thomam, vno vel altero excepto (vt Riccardo.)

Quamuis permulti tum Canonistæ tum Theologi contrarium verius esse asseruerint, vt Principis iussu Iudæorum, & infidelium nati etiam ipsis parentibus inuitis baptizari possint.
Sunt autem.
Archidiac. in citato cap. Qui sincera. distinct.xlv. & ibi.
Domin.
Ioan.Andr. in cap.Sicut. in verb. patefacta. de Iudæis. & ibi
Henric.Bohic num.j. & seq. &
Petrus de Anchar. &
Anton.de Butr. qui nihil decernunt, sed videntur stare cum Archidiacono.
Stephanus in citata Clement.vnica,de Iudæis. & ibi.
Ioan.de Imola col.ij.nu.xj.
Ioan.Scotus in iiij.Sentent. dist.iiij. q.vlt. (quem etiam, vt dicit Afflict. refert Ioan. de Lignano in cap.Etsi Iudæos. de Iudæis.)
Gabriel Biel in quarto dist.iiij.q.ij.artic.iij. (vbi refert Durandum recitare tres opiniones cum suis motiuis; & Petrum de Palude tres similiter opiniones recensere, & earum rationes soluere, & Riccardum vt suprà, & Scotum in prædicta dist.iiij. q. vlt. consentientem primæ opinioni, quam & ipse Biel. ibidem sequitur & tuetur.)
Nicolaus de Nyse in iiij.tract.vj.parte iij.de Baptismo, q.x.
Nicolaus de Orbellis in quarto dist.iiij.q.vij.§.j.
Tartaretus in quarto dist.iiij q.ix.
Iosephus Angles in quarto dist.iiij.in quæst.de recipientibus Baptismum,art.ij.conclus.j.
Vincentius Belluacensis in Speculo doctrinali lib.ix.cap.xlij.
Repert.Inquisitorum in verb.Iudæus.§.Sed an possint sine peccato. prope finem.
Summa Asten. lib.iij.tit.vj.art.ij.

Summa

Summa Angelica in verb.Baptismus vj.nu.seu §.xj. & ibi Iacobus Vngarellus in addit.
Zasius in tract. de Iudæis, q.j.

Verùm quia ad Iudæorum aliorumq. infidelium conuersionem procurandam non sufficiunt sola prædicatio & alia proposita, nisi & causæ ac impedimenta omnia, quæ eos in cæcitate detinent tollantur: Idcirco pastoribus & locorum Ordinarijs valdè curandum est ea tolli & remoueri. Inter hæc verò potissima sunt lectio & retentio librorum impiorum, nefariorum, & damnatorum.

Et quidem quoad Hebræos, in primis auferendi & comburendi sunt libri Thalmud; quippe, qui ob graues hæreses & errores superstitiones & deliramenta atque horrendas blasphemias, quas contra legem diuinam & fidem Catholicam continent cum pestifera & virulenta doctrina sæpenumerò diuersis temporibus & multipliciter damnati & prohibiti, ac etiam post publicè concremati sunt, tum à Magno Iustiniano 1 Imperatore, tum à Gregorio Papa Nono, & Innocentio 2 Papa Quarto, & ab Oddone 3 Episcopo Cardinale Tusculano in Francia de latere Legato, Clemente 4 Papa Quarto, & Honorio 5 etiam Papa Quarto, & Ioanne 6 Vigesimosecundo, tum à Benedicto Decimotertio 7 in sua obedientia vocato, cum apertissima errorũ manifestatione, & damnatione alterius libelli 8 Mace Iesu scripti in contumeliam Saluatoris, & cuiuslibet libri, Breuiarij seu scripturæ continentis maledictiones: tum ex decreto impresso S.R.E. 9 Cardinalium generalium Inquisitorum, & alijs 10 eorum decretis, & Iulij 11 Papæ Tertij litteris: tum denique à sanctę mem. Paulo 12 Papa Quarto, & Pio Papa Quinto zelantissimis Pontificibus, qui non modo in Vrbe & Dominio Ecclesiastico, verùm etiam per totam Italiam eosdem libros perquiri & flammis tradi fecerunt, illorumq. expurgationem seuerè prohibuerunt.

1 *Iustin.Imp.in Nouella cxlvj.de Hebræis, quomodo oporteat scripturas legere.§.Quæ verò Deuterosis quasi secundaria traditio.*

2 *Innoc.Papa Quartus in Bulla seu litteris ad Regem Franciæ, incip. Impia Iudæorum perfidia. Datis Laterani vij. Idus Maij Pontificatus sui anno primo (vbi & meminit condemnationis factæ per ipsum Gregorium Nonum.) & hæc habetur in eius Regesto, & posita est in Directorio Inquisitorum inter alias litteras Apostolicas. item in Bullario inter aliquot alias Bullas eiusdem Innocentij Quarti, primo loco Tomo primo ipsius.*

3 *Oddo Card Episcopus Tusculan. in sua sententia Apostolica auctoritate prolata Parisijs anno Domini 1248. mense Maij.*

4 *Clemens Papa Quartus in suis litteris incip. Damnabili perfidia Iudæorum. Datis Viterbij Id.Iulij Pontificatus sui anno iij. anno Dominicæ Incarnationis 1267.*

5 *Honor.Papa Quartus in suis litteris incip. Nimis in partibus Anglicanis. Datis Romæ apud S.Sabinam xiiij.Kal.Decemb.Pontificatus sui anno ij.sub anno Domini 1285.*

6 *Ioan.Papa XXII. in suis litteris ad Archiepiscopum Bituricen.eiusq.suffraganeos, incip. Dudum fel. rec. Clemens Quartus. Datis Auenione ij. Nonas Septembris, Pontificatus sui anno quarto.*

Et in alijs in eundem modum scriptis ad Archiepiscopum Tolosanum, ac eius suffraganeos sub eadem data.

Et in alijs in eundem modum ad Episcopum Parisien. in num. singulari, sub datum ibidem vij. Idus Octobris anno v.

In quibus omnibus præinseruntur litteræ Clementis Quarti, & Honorij Quarti, & sententia Oddonis Episcopi Cardinalis Tusculani Legati præcitatę.

7 *Benedictus Decimustertius in Bulla contra Iudæos, incip. Etsi Doctoris gentium instruamur notissimo documento, sub datum in Ciuitate Valentiæ Tarraconen. Prouinciæ v. Id. Maij, Pontificatus sui anno vigesimoprimo (vbi & de damnatione eorum per Gregorium Nonũ, & Innocentium Quartum propter errores & hæreses in eis contentos) & in alijs actis, quæ extant apud Bibliothecam Vaticanam.*

8 *De quo & alijs libris blasphemis ita statuit in eadem Bulla. §.Cæterùm quia dissimulare illius opprobria non debemus, qui probra nostra diluit. Statuimus, vt nullus Iudæus de cętero libellum illum, qui apud eos Mace Iesu nominatur, quiq. in contumeliam nostri Redemptoris assirmatur compositus, legere, audire, aut apud se retinere præsumat: quod si contra fecerit*

cerit, eo ipso tanquam conuictus de blasphemia puniatur. Et de alijs libris blasphemis mox subdit. Et hoc idem de illo censemus, qui apud se quemcunque librum, breuiarium, seu scripturam, maledictiones, vituperia, seu contumelias contra Saluatorem nostrum Christum Iesum, sacratissimam Virginem eius matrem, aliquem Sanctorum seu contra fidem Catholicam Ecclesiastica Sacramenta, sacra vasa, libros, vel alia Ecclesiastica ornamenta seu ministeria, aut contra Christianos quoslibet continentes præsumpserit retinere simili pœna Iudæus quicunque plectatur.

9 *Incip. Summi Dei nostri prouidentia, Datum Romæ die xij. mensis Augusti M D LIII. De quo & Iulius Papa Tertius in litteris in forma Breuis ad vniuersos Episcopos & locorum Ordinarios incip. Cum sicut nuper, datis Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxix. Maij M D LIIII. Pontificatus sui anno v. contra Hebræorum libros, in quibus aliquid contra fidem Catholicam notetur vel scribatur, in princ. ibi, eorum Hebræorum librorum volumen Ghemarot Thalmud &c. de mandato nostro damnauerint & igne comburi fecerint.*

10 *Vt die vij. Septembris eiusdem anni 1553. & deinceps.*

11 *Iul. Papa Tertius in supra memoratis litteris, quibus etiam committit & mandat, vt in ditione Ecclesiastica intiment & notificent Vniuersitatibus Hebræorũ, vt huiusmodi libri post quatuor menses diligentissime exquirantur, & qui eos retinere reperti fuissent, debitis pœnis tam pecuniarijs & confiscationis bonorum, quam etiam corporalibus & vltimi supplicij & apostatarum à Christi fide irremissibiliter puniantur.*

12 *Apparet in actis S. R. Inquisitionis tempore eorum Pontificatus &c. & eodem Paulo Quarto in litteris suis in forma Breuis datis Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xiiij. Aprilis M D LIX. Pontificatus sui anno quarto, quibus reuocauit facultatem expurgandi à blasphemijs & erroribus libros Hebræorum concessam per Iulium Tertium prædecessorem suum Iacobo Geraldino Neophyto professori linguæ Hebraicæ, prout & antea fuerat in alio decreto, facto in congregatione sanctæ Inquisitionis die vij. Maij M D LVI. Quo reuocauit Breue concessum ipsi Iacobo Geraldino per ipsum & alios suos prædecessores.*

Sed & Beatissimus Dominus noster Gregorius 1 Papa XIII. in sancta Inquisitione contra retinentes libros huiusmodi Thalmudicos etiam inquiri fecit, illis publicè concrematis; ac 2 statuit & declarauit inter alios casus & causas, quibus Inquisitores hæreticæ prauitatis in Iudæos liberè procedere possunt esse, si libros hæreticos vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alios prohibitos tenuerint, custodierint, vel diuulgauerint, vel in quæcunque loca detulerint, aut ad eam rem operam suam accommodauerint. Præterea etiam magnopere laborauit, vt 3 impediret nouam librorum Thalmud, vt prætendebatur reuisorum & expurgatorum, in Germania impressionem, & eorum deinde publicationem, punito etiam in 4 Officio sanctæ Inquisitionis auctore assertæ reuisionis.

1 *Vt etiam apparet in actis & decretis eiusdem Inquisitionis sub eius Pontificatu.*

2 *In Bulla seu litteris de blasphemijs & flagitijs Iudæorum, in quę hæreticæ prauitatis Inquisitores animaduertunt, incip. Antiqua Iudæorum improbitas. §. Si libros, sub Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicę 1581. Kal. Iunij Pontificatus sui anno decimo.*

3 *Quod constat ex eisdem actis sanctæ Inquisitionis anno Domini 1578. 1579. 1580. 1581. & 1582.*

4 *Vt in processu contra D. Marcum Marinum Brixien. Canonicum S. Saluatoris.*

Additio. Nouissimè etiam dum Hebræi Dominij Sabaudiensis expurgationem similium librorum improbè postulant, S. D. N. Clemens Papa VIII. valdè appositè, & opportunè prouidit edita Bulla contra impia scripta & libros Hebræorum, sub hoc tenore.

Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. in Bulla incip. Cum Hebræorum malitia, Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1592. Kal. Mart. Pontificatus sui anno secundo.

Cùm Hebræorum malitia nouas in dies excogitet fraudes, quibus perniciosa volumina, librosq. impios ac planè detestabiles tùm antiquitus damnatos, tùm recens conscriptos in vulgus proferat; nos & ipsis exitiale, & Christiano populo periculosum rati hanc eorum nequitiam conniuentibus oculis tolerare, ac pro nostro pastorali officio opportunum huic malo remedium adhibere volentes, adducti exemplo

plo complurium Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, præsertim fel.rec.Gregorij Noni, Innocentij Quarti, Clementis Quarti, Honorij Quarti, Ioannis Vigesimisecundi, Iulij Tertij, Pauli Quarti, & Gregorij Decimitertij, qui sæpius impium illud Thalmudi nuncupatum, & alia similia reprobata & detestanda scripta & volumina damnarunt & retineri prohibuerunt, seu aliàs ex Christiani orbis Prouincijs & Regnis pio zelo exterminarunt, omnes & singulas eorundem prædecessorum super hoc editas litteras, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis harum serie approbantes & innouantes, atque illis hęc addentes, omnibus & quibuscunque Vniuersitatibus Hebræorum, eorumq. singulis tam in temporali S. R. E. ditione, quam etiam extra eam vbiuis locorum, & in quibusuis Christiani orbis partibus constitutis perpetuò prohibemus, ne quosuis libros & Codices impios Thalmudicos sæpe damnatos, vanissimos, cabalisticos, atque alios nefarios à prædecessoribus nostris prohibitos & condemnatos, necnon opera, commentaria, tractatus, volumina, & scripta quæcunque tam lingua Hebraica, quàm quauis alia hactenus conscripta aut versa, edita & impressa, ac in posterum conscribenda, aut vertenda, edenda vel imprimēda, continentia seu continentes tacitè vel expressè hęreses vel errores contra sacras veteris legis & Testamenti scripturas, necnon contumelias, impietates, blasphemias contra Deum, sanctissimam Trinitatem & Saluatorem nostrum Dominum Iesum Christum, eiusq. sanctam Christianam fidem, ac beatissimam ipsius Genitricem semper Virginem Mariam, & beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, aliosq. Sanctos Dei, sacratissimam Crucem, Sacramenta nouæ legis, sacras imagines, & sanctam Catholicam Ecclesiam & Sedem Apostolicam, ac contra Christifideles præsertim Episcopos, Sacerdotes, & alias Ecclesiasticas personas, atque etiam contra nuper ad eiusdem Christi fidem conuersos, ac Neophytos, & aliàs contra religionem Catholicam: vel in quibus etiam impudicæ & obscenæ narrationes memorantur, etiam sub prætextu quòd expurgata fuerint, vel donec expurgentur, siue quòd de nouo typis excusa fuerint mutatis nominibus, vel etiam sub obtentu seu tolerantia aut permissione (vt prætendunt) Secretarij aut cuiusuis personæ sacri Concilij Tridentini, aut Indicis librorum prohibitorum per recolendæ memoriæ Pium Papam Quartum prædecessorem nostrum editi, vel cuiusuis indulti Apostolici aut licentiæ per S.R.E. Cardinales etiam Legatos aut Camerarium seu Cameram Apostolicam vel Nuntios etiam cum potestate Legati de Latere, aut locorum Ordinarios seu Inquisitores hæreticæ prauitatis forsan quomodolibet concessæ, aut quouis alio quæsito colore legere, habere vel retinere, emere vel vendere, aut euulgare vllo modo audeant vel præsumant.

Quoniam verò experimento & collatione librorum compertum est omnes ferè Rabbinorum commentarios & libros ac tractatus vt plurimum prauam & perniciosam doctrinam contra legem diuinam & Christianam fidem ex voluminibus Thalmudicis originaliter traditam & depromptam, ac impias & atroces blasphemias contra Deum, Angelos & Patriarchas & Christum Dominum continere: Ideo sæpe tractatum est de abolendis omnibus libris Hebræorum præter sacra Biblia; & quandoque grauissimi & sapientissimi viri simul & zelatores sanctæ fidei Christianę existimauerunt Iudæis tollendos esse non solùm prædictos nefarios Thalmudicos libros, verùm etiam quoscunque Rabbinorum & Hebręorum commentarios, velut ab illorum errorum pestilentibus & cœnulentis fontibus atque fœdissimis scaturiginibus deriuatos, sed tantùm eis sacræ scripturæ & veteris Testamenti libros permittendos esse. Hinc & Franciscus Torrensis Theologus Apostolicus anno M D liiij. desuper librum de sola lectione legis & Prophetarum Iudæis cum Mosaico ritu & cultu permittenda conscripsit.

Ita Domini Cardinales Inquisitores tempore Iulij III. & deinde etiam in Congregatione reuisionis librorum Hebraeorum sub Gregorio Papa XIII. mense Octob. 1576.

Quare & sanctæ recordationis Paulus Papa Quartus in [1] Congregatione Officij S. R. Inquisitionis decreuit Hebræis permittendos tantùm esse libros sacræ Scripturæ: & deinde mandauit auferri omnes libros Hebræos per omnes Terras Ecclesiæ præter sacra Biblia. Sed & sanctissimus Dominus noster Gregorius Papa Decimustertius

Habita die 7. Maij. feria v. 1556.

In alia habita die 11. Martij 1557.

Habita die 28. mensis Nouemb. 1574.

in simili Congregatione sancti Officij decreuit rescribi, vt libri Hebræorum, in quibus deprehenderentur blasphemiæ nullatenus expurgarentur aut imprimerentur, sed comburerentur, ac eis Biblia tantummodò relinquerentur.

Additio.

Habita die 6. Augusti fer. v. 1592. Incip. Cùm Hebræorum malitia.

Et Beatissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. Paulum IV. imitatus, idem decreuit in Congregatione eiusdem sanctæ Inquisitionis, vt Iudæis sola sacra Scriptura relinqueretur: super quo deinde visum est supersederi, edita Bulla contra impia scripta & libros Hebræorum supra citata.

In eadem Congregatione reuis. lib. Hebr. mense Octobri 1576

Item & in consultationem interdum adductum est, an libri Grammaticales tantùm Hebræis relinquendi essent: Et non videbatur inconueniens aut absurdum cum delectu permitti.

Item, An libri interpretum & expositorum sacræ Scripturæ eis essent permittendi: Et non videbatur concedendum, sed ex Rabbinis non dissentientibus à sanctis Patribus conscribenda esse breuia quædam commentaria pro expositione sacrorum librorum etiam cum interuentu aliquot Rabbinorum Hebræorum, si postularent.

Itemq. an & libri cæremoniales ad vsum eorum Domus vel Synagogæ eis relinquendi essent: Et minimè probabatur, quòd multas contineant impietates atque blasphemias, & imprecationes in Christianos, & in ipsum Romanum Pontificem, nisi omni modo expurgarentur.

Sed & præterea placebat, vt si qui ex his Iudæis relinquerentur, illorum lectio & retentio Neophytis & alijs Christianis sine speciali licentia Sanctæ Romanæ Inquisitionis nonnisi ex aliqua rationabili causa concedenda interdiceretur.

Quare non modo nefarij Thalmudici, & alij olim damnati & exitiosi libri Hebræorum eis etiam sub expurgationis vel correctionis prætextu nullatenus permittendi, verum etiam ab ipsis auferendi, & concremandi sunt, & tàm ij, quàm alij, qui ab eis transcripti vel desumpti sunt, quive ex auctoritate Apostolica vel ex decretis Sanctę Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, vel aliàs in Indice librorum prohibitorum improbati, & prohibiti sunt. Ac in eosdem præterea qui emerint, vendiderint, legerint, retinuerint, vel apud quos deprehensi, iuxta prædictas constitutiones seuerè animaduertendum est.

Concil. Tolet. XII. cap. 9. vers. Item ne Iudæi libros. Tomo 3. Concil.

Et cùm Iudæis fas non sit legere libros, quos Christiana Fides repudiat; ideo ipsis etiam sub durioribus pœnis districtè interdicendum est, ne etiam libros hæreticorum & alios quoscumque prohibitos vel damnatos emant vel vendant; legant aut retineant.

Ex Bannis Magistri sacri Palatij sub sanctæ memoriæ Pio Papa V. de eius mandato factis.

Neque alios etiam non prohibitos emere vel vendere possint sine expressa licentia Ordinarij loci, vel Inquisitoris, & in Vrbe Magistri sacri Palatij, neque vllo modo venales habeant.

Quo verò ad infideles Saracenos, Turcas & alios Machometanos, qui sub Christianorum Principum ditione sunt, diligenter curandum & prohibendum est, ne Alcorani libros, & in eum Commentarios vel alia volumina infidelitatis & sortilegiorum, ac maleficiorum & superstitionum quibus ipsi maxime abundant, aut eorum commenta fabulosa, & deliramenta vanissima legant aut retineant, sed eis interdicendi, auferendi & comburendi sunt. Ij verò qui extra ditionem huiusmodi degunt, & cum Christianis commercium habent, si absque vitæ discrimine fieri potest, admonendi sunt de prauitate & erroribus huiusmodi librorum, atque ad illos tollendos vel abijciendos hortandi sunt.

De bonis conuersorum ab eis retinendis.

AC ne Iudæi & alij infideles propter amissionem bonorum suorum à fide suscipienda retrahantur, sed faciliùs conuertantur ad eam; notum fiat eis, quòd venientes ad fidem omnia bona sua mobilia & immobilia etiam malè & vsuris acquisita retinebunt, non tamen quæ certis personis restitui debent: quodq. si filijfamilias fuerint à parentibus vel alijs consanguineis successione legitima, vel aliqua eis debita

bita portione paternorum vel maternorum bonorum priuari aut fraudari non poterunt, nec vllum testamentum aliave vltima voluntas, neque vlla inter viuos aut causa mortis donatio, vel alia alienatio facta in fraudem obstare valeant, prout alias seruatum & constitutum est; ac nouissimè Paulus Papa III. etiam ampliando quoad legitimam & bona inter viuos, atque ad retentionem ex vsuris acquisitorum perpetua sua constitutione sanciuit, cuius etiam verba, ne quis ignorantiæ velamen obtendat, hic inserere visum est.

Cupientes Iudæos & alios infideles quoslibet ad Fidem Catholicam conuerti, & prætextu bonorum per eos antea possessorum ob eandem fidem non distrahi, Motu proprio ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica tenore præsentium hac in posterũ valitura constitutione sancimus, quod cuicunque eorundem Iudæorum & infidelium ad dictam Fidem conuerti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque tam mobilia quàm immobilia intacta & illæsa permaneant; ita vt etiam filijfamilias & in patria potestate, vt præfertur, constituti, legitima & quacunque alia portione bonorum patrimonialium aut maternorum eis de iure seu successione bonorum eis alias debitorum per eorum parentes fraudari aut priuari non possint neque debeant: sed eis integrè, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorum parentibus viuentibus debeantur. Et si bona ipsa ex vsura aut illicito quæstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur malè ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur: personis verò non extantibus prædictis; quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios vsus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudæis & alijs infidelibus in fauorem suscepti Baptismatis tanquam in pium vsum liberè concedimus, eaq. apud ipsos sic conuersos Iudæos & alios infideles remanere decernimus. Interdicentes sub diuini anathematis pœna quibusuis tàm Ecclesiasticis quàm sęcularibus personis, ne vllam super bonis huiusmodi quouis quæsito colore molestiam inferant, aut inferri patiantur, sed magnum se fecisse lucrũ existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

1 *Ita consuetudo habebat de bonis eorum, non tamen ex vsura acquisitis: sed & idem non tamen ex bonis partis ex vsura in suis Regnis antea statuerat Iacobus Rex Aragonum in supracitato suo edicto siue litteris datis Ilerdæ anno à Natiuitate Domini 1242. iiij. Idus Martij confirmatis ab Innocentio Papa Quarto per suas litteras ijs præinsertis, datas Lugduni xiij. Kal. Septembris Pontificatus sui anno tertio, (quæ quidem habentur in constitutionibus Conciliorum Tarraconensium lib. v. tit. v. De Iudæis & Saracenis constitutione 4. vbi in principio edicti ita dicitur:*

Nouerint quòd nos Iacobus Dei gratia Rex Aragonum, Maioricarum, & Valentiæ, Comes Barcinonis & Vrgelli & Dominus Montispessulani, per nos & omnes successores nostros tam in Aragonia & Cathalonia, Maioricis, Montepessulano, quàm in Regno Valentiæ ac vniuerso dominio & iurisdictione nostra quam alicubi nunc habemus, vel in posterum nos & successores nostri auxiliante Domino habituri sumus, pro amore Domini nostri Iesu Christi, & gloriosæ Virginis matris suę & remedio animæ nostrę in perpetuum statuimus, quòd quicunque Iudæus vel Saracenus Spiritus sancti gratia fidem voluerit Orthodoxam recipere ac Baptismi lauacrum salutaris, liberè & absque contradictione vllius possit hoc facere; non obstante prædecessorum nostrorum vel alicuius statuto, prohibitione vel pacto, vel etiam super hoc obtenta consuetudine: ita quòd propter hoc nihil de bonis suis mobilibus & immobilibus ac se mouentibus, quæ prius habebat amittat, imò vniuersa securè ac liberè habeat, teneat & possideat auctoritate nostra, salua legitima filiorum & iure proximorum conuersi: ita videlicet quòd de bonis conuersi dicti filij seu proximi nihil ipso viuente, sed post mortem eius illud solum & nihil amplius petere valeant, quàm quod si decessisset in Iudaismo vel Paganismo petere rationabiliter potuissent: vt sicut tales diuinam ex hoc gratiam promerentur, sic & nostram, qui Dei voluntatem & beneplacitum imitari debemus, obtinere noscantur.

Et Benedictus Papa Decimustertius in eius constitutione contra Iudæos. §. Et quia cedit in iniuriam &c. ita constituit.

Et quia cedit in iniuriam fidei Christianæ quòd Iudæi filios aut alios consanguinitate sibi coniunctos volentes conuerti ad fidem Catholicam à sancto proposito retrahũt, auferendo eis spem succedendi in bonis suis, quorum successionem conuersione cessante se crederent verisimiliter

habituros; nos huic tam euidenti impedimento fidei quantum cum Deo possumus prouidere volentes, in eiusdem fidei fauorem huic nostræ sanctioni duximus annectendum, quòd omnes & singuli vtriusque sexus, qui ex Iudæorum gente inspirante Domino ad fidem Catholicam hactenus sunt conuersi, aut conuerti contigerit in futurum: & generaliter quicunque Christicolæ, qui Iudęos in consanguinitatis gradu habuerint sibi coniunctos, in bonis Iudęorum in infidelitate sua decedentium eo modo succedant, ac si præfati Iudęi sic vt præmittitur decedentes tempore mortis suæ fuissent Christianę fidei professores, & nullum fecissent aut ordinassent testamentum, vel aliam vltimam voluntatem. Decernentes vt nullum testamentum, vel aliqua vltima voluntas, nec vlla inter viuos vel causa mortis donatio vel alia alienatio facta in fraudem constitutionis huiusmodi, nec lex aliqua Iudęorum vel consuetudo etiam inter eos hactenus obseruata Christianis obstare valeant, quo minus in bonis infidelis defuncti successionem legitimam consequantur iuxta formam iurium, quibus Christiani illarum partium in Christianorum ab intestato decedentium successionibus regulantur.

2 *In litteris in forma Breuis, incip. Cupientes Iudęos &c. in princ. Ex patribus Concil. Basiliensis sess. xix. in decreto de Iudęis & Neophytis. §. Si quis eorum. inscripto, De his qui volunt ad fidem conuerti. ferè ad litteram.*

De subueniendo conuersis tempore conuersionis.

EXpedit etiam infidelium conuersioni promouendæ, vt Præfecti Domus & Confraternitatis Catechumenorum, alijq. pij Christi fideles pecunias, eleemosynas, bona, aliaq. auxilia temporalia prouideant & parata habeant, ac à fidelibus & pijs locis colligere & comparare studeant, quibus ipsi inopes & indigentes conuersi eorum conuersionis tempore iuuari possint: vtq. Ordinarij locorum illos ad eis subueniendum exhortentur, & tam de redditibus Ecclesiarum, prout poterũt, quàm etiam de ijs, quæ in pauperum vsus eroganda sunt, eosdem Neophytos sustentari faciant vt debent, & à Paulo III. in eadem constitutione his verbis mandatum est.

Cupientes. de bonis conuersorum. §. Et quoniam. ad litteram desumpto ex Concil. Basilien. sess. 19. in decreto de Iudæis & Neophytis. §. Et quoniam.

Et quoniam (vt scriptum est) qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? si ipsi conuersionis tempore inopes aut indigentes fuerint, omnes tam Ecclesiasticos quàm seculares per viscera misericordię Dei nostri exhortamur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices. Ipsi quoque Diœcesani non solùm Christianos ad subuẽtionem ipsorum exhortentur, sed etiam tam de redditibus Ecclesiarum prout poterunt, quàm de his, quæ ad pauperum vsus per ipsos conuertenda deuoluuntur, huiusmodi Neophytos sustentare non negligant: ipsosq. à detractionibus & contumelijs paterna affectione defendant.

1. Ioan. 3. c

Clement. vnica, de Iudæis & Saracenis. Et videtur quod facta fuerit hęc constitutio propter Saracenos degentes in Hispanijs in Principatu Cataloniæ & Regnis Valentię & Aragonum & Granatæ. De qua lib. 5. constit. Conciliorum Prouincialium Tarraconensium tit. 5. constitut. vlt. incip. Zelus diuini honoris. Petri de Fuxo Card. Legati in Concilio Dertusæ celebrato, qua mandat Clementinę obseruationem.

Episcopis quoque curandum est, ne in offensam diuini nominis & opprobrium fidei Christianæ, in illis mundi partibus, quæ Christianis Principibus sunt subiectę, & in quibus Saraceni & infideles siue seorsum siue permistim cum Christianis habitant, ipsis vllo modo permittatur templa seu Mesquitas habere; perfidi Machometi nomen publicè inuocare; peregrinari ad eius sepulchrum ad Mecham: sed omnino fieri prohibeat, iuxta constitutionem Clementis Papę V. in Concilio Viennensi editam, qua in terris Christianorum hęc fieri districtiùs inhibetur: ac vniuersis Catholicis Principibus sub quorum dominio dicti Saraceni morantur & prędicta fiunt sub obtestatione diuini iudicij obnixiùs iniungitur, quatenus ipsi tanquam veri Catholici & Christianę fidei seduli zelatores, huiusmodi opprobrium de terris suis omnino auferant, & à suis subditis auferri procurent: inhibendo expresè ne prędicta inuocatio seu professio ipsius sacrilegi Machometi publicè, aut peregrinatio ab aliquo in eorum existente Dominio de cętero fiat aut toleretur; & secus pręsumentes ita ob diuinam reuerentiam coerceant, vt alij eorum exemplo terreantur.

De non consultando.

INterdicendum insuper est Christianis pręsertim verò Neophytis, qui se ea quę sunt legis & Rabbinorum nosse vel callere profitentur, ne ab Hebręis super eorum cęremonijs vel iudicijs consulti, pro eis respondeant, aut scribant.

De

De non docendo.

AD hęc etiam conducit, vt Iudęis prohibeatur, ne Christianos etiam linguam vel Grammaticam, aut alias scientias vel artes doceant,& Christianis, ne illam ab eis discant.

Quomodo in Iudæorum & infidelium excessus procedendum sit.

ADuertant autem Præsules Ecclesiarum, & Principes seculi, ne ex his, quæ dicta sunt de Iudęis, & Infidelibus benè tractandis propter spem conuersionis, vt ad Christi fidem faciliùs conuertantur, & eos Christo Domino lucrifaciant, quod summopere optandum est, plus æquo illis indulgeant, viuendi vt libet licentiam relaxēt, priuilegia conferant, aut alia eis concedant, aut permittant in cōtumeliam Redemptoris & fidei, aut quæ legibus & sacris Canonibus prohibentur, aut quæ in Christianorum præiudicia vergunt, aut quæ in ipsorummet Iudæorum damnationem tendunt, dum eosdem de concessis exultantes, aut gloriantes quòd Deus ipsis permanētibus in Iudaismo propitius videatur, & Messias ab eis frustrà expectatus proximè sit aduenturus, & Principes secundum ipsorum voluntatem eos quietè viuere sinant, reddunt in perfidia securiores, & obstinatiores, etiam si temporalia sint, quæ conceduntur. Quod quidem sæpè factum vidimus; & dum aliqui ad fidem suscipiendam parati viderentur, obtenta à Principibus aliqua gratia vel remissione abierunt retrorsum. Quare etsi cum eis iustè, & secundum leges procedi debet, summo tamen iure, & iuxta legum seueritatem, & rigorem tanquam cum ingratis & reprobis seruis agendum est. Ipsos quoque rigore, flagellis, & tribulatione plerunque conuerti docet Scriptura sacra pluribus in locis. Multiplicatæ sunt, inquit, infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Et iterum: Cùm occideret eos, quærebant eum & reuertebantur; & diluculo veniebant ad eum, & quæ sequuntur. Item: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Hinc est quod in alio psalmo dicitur, & sæpius repetitur. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et apud Oseam: In tribulatione sua mane consurgent ad me, Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipse cœpit & sanabit nos: percutiet & curabit nos.

Psal.15. a *Psal.77. d* *Psal.82. d* *Psal.106. d* *Osee 6.a*

Idcirco ijdem Principes & Prælati curare & mandare debent, ac efficere, vt in Regnis, Dominijs, & ditionibus suis, Iudæi, & Infideles secundum ea, quæ hactenus legibus & sacris Canonibus, ac Apostolicis constitutionibus sancita sunt, viuant, & illa inuiolatè seruent, non solùm quæ antiquo tempore, & à generalibus, & alijs Concilijs, & nonnullis Romanis Pontificibus prodierunt; sed & quæ posteriori seculo similiter à compluribus Romanis Pontificibus, & diuersis Patribus etiam alias veteres innouantibus emanarunt. Inter eas verò præcipuè sunt, quam edidit fel. rec. Nicolaus Papa V. incip. Super gregem Dominicum. sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M CCCCXLVIJ. ix. Kal. Iulij, Pontificatus sui anno primo. & insignis illa, quam sanctæ mem. Paulus Papa Quartus incip. Cùm nimis absurdum sub Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ M D LV. pridie Idus Iulij, Pontificatus sui anno primo, & quam super eius reualidatione seu approbatione, innouatione, confirmatione, & ampliatione recolen. mem. Pius Papa V. incip. Romanus Pontifex. Sub Datum Romæ apud S: Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M D LXVJ. xiij. Kal. Maij, Pontificatus sui anno primo; & altera eiusdem de exterminatione Iudæorum ex omni dominio Ecclesiastico præter Romam, & Anconam, incip. Hebręorum gens. Sub Datum Romę apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicę M D LXVIIJ. quarto Kal. Martij, Pontificatus sui, anno quarto, & quam nuper sanctiss. D.N. Gregorius Papa Decimustertius super flagitijs & blasphemijs Iudęorum per Inquisitores hæreticę prauitatis coercendis, incip. Antiquæ

Iudæo-

Iudæorum improbitas. Sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M D lxxxj. Kal. Iulij, Pontificatus sui anno decimo.

Additio. Et quam sanctiss. D. N. Clemens Papa VIII. de expellendis Iudęis ex vniuerso statu Ecclesiastico, exceptis Roma, Auenione, & Ancona, cum approbatione & innouatione Constitutionum Pauli IIII. & Pij V. & reuocatione litterarum Pij IIII. & Sixti V. incip. Cæca & obdurata Iudæorum perfidia, sub Datum Romæ in monte Quirinali anno Incarnationis Dominicæ M D xcij. quinto Kal. Martij, Pontificatus sui anno secundo, præter alteram eiusdem contra impia scripta, & libros Hebræorum, de qua supra, ediderunt; ex quibus quidem sicut & ex veteribus sacris Canonibus & constitutionibus aliqua hoc loco proponenda, aut in memoriam reuocanda esse operę pretium videtur.

Primò quidem ne Iudęis liceat Christianum seruum, seu mancipium comparare, nec largitatis donationis, vel alio quocunque titulo consequi, vel habere, iuxta Magni Constantini 1 legem, quę etiam ad paganos & hæreticos 2 extensa est.

1 L. Vnica. C. ne Christian. mancip. De qua Magni Constantini lege scribit Eusebius Cæsariensis lib. iiij. de vita Constantini, cap. xxvij.

2 In compilatione Codicis eod. tit. vbi sic habetur. Ne Christianum mancipium hæreticus, vel paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat.

Qua etiam constitutum est, vt si quis 3 Iudæorum crediderit Christianum mācipium, vel sectæ alterius, aut nationis ex quacunque causa possidendum, & id circumciderit, non solum mancipij damno mulctetur, quod pro præmio libertate donetur, verùm etiam capitali sententia puniatur, seu 4 perpetuo exilio, & bonorum proscriptione.

3 Eadem l. Vnica. ij. responso. C. ne Christianum mancipium.

4 L. Iudæi ij. ex Honorio & Theodosio Augustis. C. de Iudæis.

Hanc autem generalem pijssimorum Imperatorum legem, de non emendis, vel in suo seruitio habendis per Iudæos mancipijs Christianis, sancta Catholica Ecclesia suscepit, & perpetuò seruari 5 iussit.

5 S. Gregorius Papa ad Libertinum Præfectum Siciliæ lib. ij. Regesti epist. xxxvij. seu cap. lxxvj. & apud Gratianum dist. liiij. cap. mancipia Christiana, & idem S. Gregor. ad Venantium Episcopum Lunen. seu Lucen. lib. iij. indict. xij. epistola seu cap. xxj. & habetur de Iudæis & Saracen. cap. Multorum.

Idem S. Gregorius ad Bacandam & Angelum Episcopos lib. xij. indict. vij. epist. seu cap. xviij. ibi, eis tamen Christiana mancipia habere non liceat.

Alexander Papa Tertius in Concilio Lateran. cap. xxvj. & paulo infrà citando Tom 3. Concil. (vbi, quòd Iudæi & Saraceni, nec sub alendorum puerorum obtentu, nec pro seruitio, nec alia qualibet causa Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere &c. & habetur de Iudæis, cap. Iudæi ij.) Et idem Alexander Tertius in prima compilatione seu collectione suorum Decretalium parte xx. de Iudæis, & ne Christiani mancipia eorum fiant cap. iij. eod. Tomo 3. (vbi quòd cùm sacris Canonibus cautum sit, ne Iudæi Christiana mancipia habeant: præcipimus, inquit, quatenus sublato appellationis remedio anathematis interminatione iubeas publicè, ne quis Christianorum alicuius Iudæi mancipium efficiatur. Si quis autem contra prohibitionem tuam venire præsumpserit, eos sublato appellationis remedio, Ecclesiastica censura compellas.)

Et Gregorius Papa Nonus de Iudæis cap. vlt. (vbi quòd nulli Iudæorum baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo seruitio retinere.)

Sed & Concilium Aurelianense iij. cap. xiij. Tomo secundo Concil. (vbi quod mancipia Christiana Iudæorum, quæ ad Ecclesias confugiunt non reddantur Iudæis, sed iusto pretio redimantur.) &

Concilium Aurelianense iiij. cap. xxx. eodem Tom. Concil. ij. (vbi refertur præcedens constitutio de mancipijs Christianis seruientibus Iudæis, & confirmatur.) Et cap. xxxj. (vbi vt quicunque Iudæus proselytum seu aduenam Iudæum facere præsumpserit, aut Christianum ad Iudaicam superstitionem adducere, vel si Iudæus Christianam ancillam sibi crediderit sociandam, vel si de parentibus Christianis natum Iudæum sub promissione fecerit libertatis mancipiorum amissione mulctetur; ille verò qui de Christianis natus Iudæus factus est, si sub conditione fuerit manumissus, vt in ritu Iudaico habeat libertatem talis conditio non

valebit; quia iniustum est, vt ei libertas maneat, qui Christianis parentibus veniens, Iudaicis vult cultibus adhærere.) Item

Concilium Aurelianense v. cap. xxiij. eodem Tomo 2. vbi generaliter de seruis confugientibus ad Ecclesiam, quòd sub Sacramento Domini de venia, illi restituantur, & si ab eo postmodum malè tractentur sit excommunicatus &c. quòd si gentilis Dominus fuerit, aut alterius sectæ, qui à Conuentu Ecclesiæ probatur extraneus is, qui seruum repetit; bonę fidei Christianus pro eo præstet Sacramentum, & seruus reddatur.)

Concilium Toletanum iiij. cap. lxv. eodem Tomo Concil. ij. (vbi quòd ex decreto gloriosissimi Principis hoc sanctum elegit Concilium, vt Iudęis non liceat Christianos seruos, nec Christiana mancipia emere, nec cuiusquam consequi largitate [iuxta verba l. Vnicæ. C. ne Christianum mancipium:] nefas enim est, vt membra Christi seruiant Antichristi ministris. Quòd si deinceps seruos Christianos, vel ancillas Iudæi habere præsumpserint, sublati ab eorum dominatu, libertatem à Principe consequantur.)

Concilium Matisconen. primum, cap. xvj. Tom. 2. Conciliorum, & habetur dist. liij. cap. Præsenti, & de Iudęis cap. j. (vbi quod à quocunque redimi potest duodecim solidis, & inuito Domino Iudæo libertate donari.)

Concil. Toletan. xij. cap. ix. Tomo 3. Concil. ibi. Item ne Iudæis mancipia deseruiant, vel adhęreant Christiana. Item si Iudæus se Christianum esse testetur, & ob hoc non velit à se reijcere mancipium Christianum. Item de Christianis mancipijs Iudæorum, quæ se non prodiderint Christiana siue de publicatoribus eorum.

Stephanus de Lycio, §. Iudæi non debent Christianum in seruum habere.

Proinde 1 in sacro Lateranensi Concilio sub Alexandro Papa Tertio statutum fuit, ne Iudęi siue Saraceni, nec sub alendorum puerorum obtentu, nec pro seruitio, nec alia qualibet causa Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere; 2 excommunicentur autem, qui cum eis præsumpserit habitare.

1 *Alexander Tertius in Conc. Lateran. cap. xxvj. Tom. 3. & cap. Iudęi ij. de Iudæis supracitatis.*

2 *Idem ibidem, & insuper in collectione prędicta parte xx. cap. iiij. (vbi dicit præsentium tibi auctoritate pręcipimus, quatenus sublato appellationis remedio anathematis interminatione iubeas publicè, ne quis Christianorum alicuius Iudęi mancipium efficiatur. Si quis autem contra prohibitionem tuam venire pręsumpserit, eos sublato appellationis remedio Ecclesiastica censura compellas.*

Nec insuper ijs interpositis 3 appellationibus est deferendnm, sed iuxta sacros Canones illa prohibenda esse 4 appellatione sublata.

3 *Cap. consuluit iij. de appellat. ex Alex. Papa Tertio (vbi respondet non conuenire appellationibus deferri à Rege Francorum pro Iudęis interpositis, vt mancipia detineant Christiana.*

4 *Ex eodem Alex. Tertio in citata collectione parte xx. cap. iiij. vbi supra.*

Quin & si seruus 5 non sit Christianus, sed fieri desideret, & non permittatur, redimitur, etiam Iudęo reluctante, & efficitur liber; quia nefas est, quem Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, blasphemum Christianæ Religionis in seruitutis vinculis detinere.

5 *Citato cap. pręsenti dist. liij. & cap. j. de Iudęis ex Concilio Matisconen. primo, cap. xvj. ibi & si Christianus fieri desiderat.*

Idem statuit Concil. Toletan. xij. cap. ix. Tom. Concil. iij. & habetur dist. liij. cap. Et si Iudæorum (vbi quòd si Iudæorum serui necdum adhuc conuersi ad Christi gratiam conuolauerint libertate donentur.

Sed & si de Iudęorum seruitio, non solùm Iudęus, verùm etiam quisquam paganorum fieri voluerit Christianus, siue propter hoc confugerit ad Ecclesias, postquàm eius voluntas fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Iudęorum venundandi facultas sit; sed eum, qui ad Christianam conuerti fidem desiderat in libertatem omnibus modis vindicari sanctus Gregorius Papa mandauit.

Lib. v. Regesti epist. xxxj. seu cap. cxxxj. ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, & habetur dist. liij. cap. Fraternitatem, in princ. facit cap. vlt. in princ. de Iudæis &c. (vbi quod nulli Iudæorum baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo seruitio retinere.

Qui & similiter mandauit, vt si pagani, seu alij serui, quos Iudæi mercimonij causa de externis finibus emerint, confugerint ad Ecclesiam, & velle se fieri dixerint Christianos, vel etiam extra Ecclesiam hanc eorum prodiderint voluntatem, & postmodum

dùm facti sint, vel fieri desiderent Christiani, dato pro eorum quolibet pretio duodecim solidorum, ab eorum seruitio protinus subtrahantur. Si autem intra tres menses ipsos venales non exposuerint, vel ad sibi seruiendum emerint eosdem, nec ipsi vendere, nec alius audeat comparare, sed nullo dato pretio perducantur ad pręmia libertatis. Et ita de seruis causa mercimonij à Iudæis emptis seruandum est.

Idem S.Gregorius eadem epist.xxxj. citato cap.Fraternitatem.§.Hi verò. dist.liiij. & Gregorius Papa Nonus,cap.vlt.§.1.de Iudæis (vbi idem breuius tradit.)

Et insuper prauam in Sardinia consuetudinem, qua seruos & ancillas Iudæorum fidei causa ad Ecclesiam refugientes, aut infidelibus restitui Dominis; aut eorum ne restituerentur, pretium dari concedebatur improbauit atque prohibuit; sed vt si quilibet seruus Iudæorum ad venerabilia loca confugerit, causa fidei nullatenus præiudicium sustineret: sed siue olim Christianus, siue nunc fuisset baptizatus sine vllo pauperum damno religioso Ecclesiasticæ pietatis patrocinio in libertate modis omnibus defenderetur.

Idem S.Gregorius lib.iij.Regesti epist.ix. & cap.ix. ad Ianuarium Calaritanum, & habetur dist. liiij.si quilibet.

Quo verò ad seruos Christianos, qui ab ipsis Iudæis ritu Iudaico sunt maculati, vel etiam circumcisi, 1 decretum fuit eos non reddito pretio ad libertatem, & religionem redire Christianam. Et alibi 2 constitutum, vt quicunque Iudęus proselytum, qui aduena dicitur, Iudæum facere pręsumpserit, aut Christianum ad Iudaicam superstitionem adducere, vel si de parentibus Christianis natum, Iudęum sub promissione fecerit libertatis, mancipiorum amissione mulctetur: Ille verò, qui de Christianis natus, Iudæus factus est, si sub conditione fuerit manumissus, vt in ritu Iudaico permanens, habeat libertatem; talis conditio non valebit: quia iniustum est, vt ei libertas maneat, qui de Christianis parentibus veniens, Iudaicis vult cultibus adhærere.

1 Concil.Toletan.iij. cap.xiiij. Tom.2.Concil.apud Gratianum dist.liiij.cap.Nulla officia secundo responso.

2 Concil.Aurelianense iiij. cap.xxxj. eodem Tom.2. Conciliorum.

Secundò, ne Iudæis famulatu, aut seruitio Christianorum vti fas sit, cùm ex his, quæ dicta sunt, nonnulla etiam de famulatu, famulis, ac famulabus, & nutricibus Christianis per Iudæos, & infideles non retinendis pro eorum seruitio etiam ad tempus, sanè exprimantur, aut intelligenda sint: nam & constitutum est, Christianis omnibus ab Ordinarijs locorum esse penitus interdicendum, & si necesse fuerit districtione Ecclesiastica eosdem compellendos esse, ne ipsi Iudæorum seruitio assiduè pro aliqua mercede se exponant: quod etiam obstetricibus & nutricibus eorum prohibere curandum est, ne infantes Iudæorum in eorum domibus nutrire præsumant: quoniam Iudæorum mores, & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob continuam consuetudinem, & assiduam familiaritatem ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent.

Alex.Tertius ita mandauit cap.Ad hæc, de Iudæis. & habetur in collectione suarum decretalium parte xx. de Iudæis cap.ij. §. Ad hæc præsentium auctoritate tibi significamus &c. Tomo 3. Conciliorum.

Quare 1 non immeritò Innocentius Papa Tertius de Iudæorū nefarijs sceleribus super his conqueritur, & disponit, dicens: & si Iudæos (quos propria culpa submisit perpetuę seruituti) pietas Christiana receptet, & sustineat cohabitationem illorum: ingrati tamen nobis esse non debent, vt reddant Christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum: qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam (iuxta 2 vulgare prouerbium) mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueuerunt hospitibus exhibere. Accepimus autem, quòd Iudæi faciunt Christianas filiorum suorum nutrices, & (quod non tantùm dicere, sed etiam nefandum est cogitare) cùm in die resurrectionis Dominicæ illas recipere corpus & sanguinem Iesu Christi contingit,

per

per [3] triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam. Alia insuper contra fidem Catholicam detestabilia, & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne diuinam indignationem incurrant, cùm eos perpetrare patiuntur indignè, quę fidei nostræ confusionem inducunt. Et infra subdit. Inhibemus ergo districtè, ne de cætero nutrices, vel seruientes habeant Christianos, ne filij liberæ filijs famulentur ancillæ: sed tanquam serui à Domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant seruos illorum, quos Christi mors liberos, & illos seruos effecit. Et rursus infrà: Si verò nutrices & seruientes non dimiserint Christianos, sub excommunicationis pœna inhibeatis districtè omnibus Christianis, ne cum eis commercium aliquod audeant exercere.

1 Innocent. Tertius in epistola decretali ad Archiepiscopum Senonen. & Episcopum Parisiensem, cap. Et si Iudæos. de Iudæis.

2 De quo 13. q. 1. §. vlt. Quòd malè suos remunerant hospites, & Prouerb. 6. Qui serpentem in sinu suo nutrit, percutietur ab eo.

3 Est casus officij S. Inquisitionis, vt in Bulla Gregorij Papæ Decimitertij, Antiqua Iudæorum improbitas, de quo infra §. Decimosexto, ibi, si nutrices Christianas.

Iuxta quę & Innocentius Papa Quartus in memoratis litteris ad Regem Franciæ de libris Thalmudicis cum omnibus suis glossis concremandis, illum insuper attentè rogat, monet, & obsecrat, vt firmiter inhibeat, ne Iudæi de cętero nutrices, seu seruientes habeant Christianos, ne filij liberæ filijs famulentur ancillæ, sed tanquam serui reprobati à Domino in cuius mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectum operis seruos se recognoscant illorum, quos Christi mors, & istos liberos, & illos constituit esse seruos.

Incip. Impia Iudæorum perfidia. De quibus supra contra libros Thalmudicos, circa finem.

Quæ cùm & [4] ab alijs Patribus, & summis [5] Romanis Pontificibus frequenter vetita sint, & prohiberi mandatum, ne scilicet Iudęi, vel infideles Christianos familiares, famulos seu seruitores, famulas seu ancillas, & filiorum suorum nutrices, vel obstetrices, aut quosuis alios vtriusque sexus mercenarios siue seruientes habere, vel retinere audeant: Ideo oportet, & ea maximè seruari: nisi mulieres Christianę charitatis causa eorum infantibus in necessitatis casu lac infundere cogantur.

4 Patres Concilij Basiliensis sess. xix. in decreto de Iudæis, & Neophytis, §. Sacros insuper (vbi inquiunt:) Sacros insuper Canones renouantes, præcipimus tam Diœcesanis, quàm Potestatibus secularibus, vt modis omnibus prohibeant, ne Iudæi, aut alij Infideles, aut Christianos, aut Christianas in familiares seu seruientes, aut filiorum suorum nutrices habeant.

Stephanus de Lycio de Iudæis. §. Christianas nequaquam habere debent suorum infantulorum nutrices.

5 Benedict. Papa XIII. in sua obedientia, in Bulla incip. Et si Doctoris gentium &c. sub Datum in ciuitate Valentiæ v. Idus Maij, Pontificatus sui anno xxj. §. Præterea statuimus, ibi aut nutricem, vel alium familiarem, vel seruitorem fidelem tenere.

Nicol. Papa V. in præcitata sua Bulla incip. Super gregem Dominicum, sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1447. Kal. Iulij, Pontificatus sui anno primo. §. Nec possint Iudæi (vbi dicit:) Nec possint Iudæi & Saraceni nutricem, vel familiarem aut seruitorem vtriusque sexus Christianum in domo tenere. &

Paulus Papa IIII. in præallegata Bulla incip. Cùm nimis absurdum. sub Dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1555. pridie Idus Iulij, Pontificatus sui anno primo, ibi, Nutrices quoque seu ancillas aut alias vtriusque sexus seruientes Christianos habere, vel eorum infantes per mulieres Christianas lactari, aut nutriri facere &c.

Stephanus de Lycio, de Iudęis. §. Rursum nec hoc prætermittendum est, quòd cùm prohibitum sit, secundum Ostiensem & alios, nullum mancipium Christianum seruire Iudæo multo minus liberi Christiani Iudæis seruire debent, & præsertim infra domum assiduis seruitijs &c.

Nec [6] in Sabbatis aut alijs Festis ipsorum à Christianis seruitium accendendi ignem aut parandi cibum, aut coquendi panem, aut quodcunque aliud opus seruile ad decorem cultus Festiuitatum eorum, aut obsequium aliquod recipere; vel Christiani ipsi eis pręstare, aut exhibere præsumant.

6 Idem Benedictus Decimustertius in eadem sua Bulla. §. Præterea statuimus. ibi, aut in Sabbato, vel

to, vel alio festo Iudæorum seruitium accendendi ignem vel parandi cibum, aut aliud opus seruile in fauorem cultus sui Festi à Christiano recipere.

Et Nicolaus V. in Bulla sua. §. Nec possint Iudæi. ibi, nec etiam Christiani in Sabbatis, seu Iudæorum festiuitatibus Iudæis ipsis ignem accendere, vel cibum aut panem, seu quodcunque aliud opus seruile ad decorem cultus festiuitatum earundem quomodolibet exhibeant, vel seruitium aut obsequium aliquod præstent, vel intendant.

Neque etiam Christianorum baiulorum aut vectorum, & aurigarum, seu carretteriorum in oneribus portandis, & in curribus, seu iumentis oneratis ducendis operã vtantur, vt & idem Pius Papa V. eis in Vrbe prohibuit.

Edicto per Vicarium Vrbis edito die xij. Iulij 1566.

Vnde non immeritò in quodam libro Rituali scriptum est: Moneantur etiam mulieres Christianæ, ne propter scandalum fidei, lac præbeant infantibus Iudæorum.

Liber Catechum. Veronen. in rubr. de Baptismo, vbi dicitur: Moneantur etiam mulieres Christianæ, ne lac præbeant infantibus Iudæorum propter scandalum fidei.

Tertiò, ne sub grauibus pœnis etiam proscriptionis bonorum & capitali 1 iuxta seculi legem, & sacros 2 Canones nouas synagogas extruere, vel erigere, vel vbi hactenus non fuerunt, habere permittantur: sed vix veteres retinere, & quæ corruerint reædificare, quęve ruinam minantur fulcire aut reparare valeant, potest ęquanimiter tolerari, non autem vt eas 3 exaltent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant.

1 *Scilicet per Theodosium & Valentinianum Augg. editam, quæ est vlt. ij. responso. C. de Iudæis. (vbi prohibent extrui nouas synagogas, veteres fulciendi permissa licentia, quæ ruinam minantur.*

Et de pœna paulò infra. Si synagogam extruxerit compendio Catholicæ Ecclesiæ nouerit se laborasse. Et iterum: Et qui synagogæ fabricam cœperit, non studio reparandi, cum damno quinquaginta librarum auri, fraudetur ausibus suis: cernat præterea bona sua proscripta, mox pœnæ sanguinis destinandus, quasi, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina.

Et Iustinianus Imp. in Auth. de Ecclesiasticis titulis. §. Iubemus autem, & in Nouella Græca cxxxj. de Ecclesiasticis canonibus & priuilegijs §. Porrò iubemus. vers. Si quis item hæreticorum. interprete Gregorio Haloandro, constituit, vt si quis hæreticus præsumpserit speluncam suæ incredulitatis ædificare, aut Iudæi nouam synagogam extruere, sancta locorum Ecclesia eas fabricas suo dominio vindicet.

Magister Stephanus de Lycio, de Iudæis. §. Non debet permitti Iudæis nouas erigere synagogas.

2 *S. Gregorius Papa lib. 7. Regesti, Indict. ij. epistola seu cap. v. ad Ianuarium Episcopum Calaritanum, & habetur de Iudæis, cap. Iudæi j. &*

Alexander Papa Tertius cap. Consuluit, eodem tit. de Iudæis.

Nicolaus V. in sua Bulla §. Iudæi quoque, vbi dicitur, Iudæi quoque synagogas nouas erigere aut construi facere non audeant, sed antiquas duntaxat, non tamen ampliores, vel pretiosiores solito reficere valeant.

3 *Citato cap. Consuluit ex Alex. Tertio & Nicolao Quinto vbi proximè.*

Ac pręterea hodie, vt non nisi vnam tantùm in Ciuitate, Oppido, vel loco vbi habitant, eis habere liceat: Cùm enim aliquando compertum esset Iudęos, vt eorundem Canonum violatores temerè nouas construere, & antiquas in ampliores, & pretiosiores extollere 1 decretum, & mandatum fuit per Diœcesanos locorum illas claudi, & vbi vna tantùm esset synagoga, si pretiosa non sit, non claudi; vbi verò duę, vel plures fuerint, vna tantùm eis de non pretiosioribus dimitti, adiecto quod si de aliqua synagoga legitimè constaret, quòd aliquo tempore fuisset Ecclesia, vel super hoc fama laboraret, indistinctè clauderetur: pœna excommunicationis proposita contra quemlibet, qui super ijs Diœcesanum loci, vel eius Vicesgerentem impedire præsumpsisset. Sed & Paulus 2 Papa Quartus in sua constitutione de ea re efficacius statuit, vt Iudæi in singulis Ciuitatibus, Terris, & locis, in quibus habitauerint vnicam tantùm synagogam in loco solito habeant, nec aliam de nouo construere possint. Quinimò omnes eorum synagogas, præter vnam tantùm, demoliri, & deuastare teneantur, & astricti sint, in cuius constitutionis approbatione, & innouatione Pius 3 Papa V. indulto quod ab eius prædecessore Pio Papa Quarto ipsis Iudæis

concessum

concessum asserebatur, vt plures synagogas retinere possent, specialiter, & expresse derogauit, sicut & indulto super quibusdam alijs capitibus contra eandem constitutionem Pauli Quarti concesso.

1 *Benedictus Decimustertius in sua Bulla. §. Porrò quamuis &c.*

Porrò quamuis nouas synagogas fabricare tam Imperialibus legibus, quàm prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis, & antiquas in ampliores vel pretiosiores extollere sit Iudæis penitus interdictum, ipsi tamen sicut accepimus in diuersis mundi partibus, tam de nouo construendo, quàm antiquas in pretiosiores fabricas ampliando, decreta præfata seruili audacia violare multoties præsumpserunt. Nos itaque dissimulare talia vlterius non valentes, & statuta Canonica exequentes, decernimus & mandamus, quòd Diœcesani locorum infra duos menses à publicatione præsentium in eorum cathedralibus Ecclesijs in posterum computandos, per se vel per alios, omnes synagogas in eorum diœcesibus consistentes claudi faciant, taliter quòd Iudæis ad eas nullus pateat aditus, vel ingressus: ita tamen quòd vbi vna tantum fuerit synagoga, si pretiosa non fuerit, non claudatur; vbi autem fuerint duæ, vel plures, vna tantùm de non pretiosioribus dimittatur. In locis autem vbi iuxta huiusmodi nostræ constitutionis tenorem omnes synagogas, si plures ibi essent, vel vnam, si illa tantùm ibi esset claudi contigerit, Iudæis ipsis impedimentum non fiat, quo minus si noluerint, hac vice tantùm vnam solam possint domum habere ædificij competentis ad Diœcesani arbitrium, vel sui Vicarij generalis. Porrò in cognitione habenda super iam dicta pretiositate, Diœcesanorum conscientias oneramus: hoc tamen præsenti constitutioni adijcimus, quòd si de aliqua synagoga legitimè possit constare quòd aliquo tempore fuisset Ecclesia, vel super hoc fama laboret, indistinctè claudatur. Præfatas itaque synagogas, sic vt præmittitur clausas, ijdem Diœcesani ad manus suas faciant retineri, donec per Apostolicam Sedem aliter fuerit ordinatum, nisi infra sex menses à die publicationis præmissæ, coram nobis, vel ad id per nos specialiter deputatis, ipsi Iudæi ostendant quo eis titulo eas habere contra statuta Canonica licuisset. Si quis verò cuiuscunque dignitatis, status aut conditionis existat, qui Diœcesanum ipsum, seu eius Vicesgerentem in præmissis præsumpserit impedire, nisi tertiò monitus omninò destiterit ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, à qua absolui nequeat, nisi ad arbitrium Diœcesani præfati satisfecerit competenter.

2 *In sua Bulla. §. Et in singulis ciuitatibus.*

3 *In sua Bulla. §. Non obstantibus.*

Compluribus pijs & verè Christianis sententia S. Ambrosij 4 in Ecclesia concionantis, & Theodosium Augustum liberrimè increpantis, quòd ciues Byzantios, qui magnificè extructam in foro ærario, & media Vrbe Iudæorum synagogam igne cremauerant, relatu Præfecti mulctare, & sumptus synagogæ persoluere, & vt illam liceret à Iudæis instaurari iuberet, maximè laudatur, & probatur, vt in Vrbibus Christianis inimicorum Christi synagogæ non haberentur, cùm Iudæorum vota in Deum maledicta sint, & contumeliæ atque infandæ execrationes, sicut & eius verbis motus Imperator Christianis mulctam remisit, & legem tulit, ne in Vrbe Regia synagogam haberent, neve in publico preces facerent.

4 *Ioannes Zonaras Tomo 3. Annalium de Imperio Valentiniani Iunioris & Theodosij circa princ. & Georgius Cedrenus in Compendio historiarum, De gestis sub Imperio Theodosij Senioris circa annum xv. & xvj.*

Quamuis autem 5 Imperiali lege legatum Iudæorum Vniuersitati factum non valeat, nec peti possit: Christianis tamen propter religionem nefas esse debet Iudæis, vel eorum Congregationi, aut synagogæ, seu Saracenis, aut eorum Mesquitis, vel alijs infidelibus aliquid testamento, vel alia vltima voluntate relinquere, vel legare: tum quia Apostolica 6 auctoritate prohibetur; tum quia ex his de infidelitate se reddant valdè suspectos.

5 *L. 1. C. de Iudæis.*

6 *Nicolaus V. in sua Bulla, ibi, Nullus Christianus Iudæis, vel eorum Congregationi seu Saracenis in testamento vel vltima voluntate aliquid relinquere possit, vel legare.*

Stephanus de Lycio, de Iudæis. §. Nemo potest Iudæo seu Pagano aliquid in testamento relinquere.

Quartò illud maximè seruandum est iuxta veteres 1 ordinationes, ne Iudæi, Saraceni, aut alij infideles in eadem Ciuitate, Oppido, vel loco simul cum Christianis cohabitent.

tent: Sed vt nimia eorum cum Christianis conuersatio tanto faciliùs euitetur, ab eis 1 segregati, & separati inter se degant, atque in alia Ciuitatis, locive regione, aut vico, vel designatis limitibus habitare compellantur, & ab Ecclesijs longiùs, quantum fieri potest: potissimùm verò id custodiendum est quod statuit sanctæ memoriæ 3 Paulus Papa Quartus, qui cùm inter alios Iudæorum excessus, cognouisset in Vrbe, & in nonnullis S.R.E. Ciuitatibus, terris, & locis, in id insolentiæ prorupisse, vt non solùm mistim cum Christianis, & propè eorum Ecclesias, nulla intercedente habitus distinctione, cohabitare, verùm etiam domos in nobilioribus Ciuitatum, terrarum, & locorum, in quibus degebant vicis & plateis conducere &c. præsumerent: perpetua constitutione sanciuit, vt de cętero perpetuis futuris temporibus tam in Vrbe, quàm in quibusuis alijs Romanę Ecclesię Ciuitatibus, terris, & locis, Iudęi omnes in vno & eodem, ac si ille capax non fuerit, in duobus aut tribus, vel tot, quot satis sint contiguis, & ab habitationibus Christianorum penitus seiunctis per ipsum in Vrbe, & per Magistratus eius in alijs Ciuitatibus, terris, & locis prædictis designandis vicis, ad quos vnicus tantùm ingressus pateat, & quibus solùm vnicus exitus detur, omnino habitent. Quam quidem constitutionem Pius 4 Papa V. in illius innouatione & confirmatione ad omnes partes & loca extra Ecclesiasticam ditionem extendit, & prætensę concessioni ipsis Iudęis postea factę, quòd in loco, vt pręmittitur, clauso habitare non tenerentur expressè derogauit. Quò factum est, vt tam in Vrbe, quàm in omnibus Italię Vrbibus, & locis, vbi hodie Iudæi degunt, separatę à Christianorum domibus ad inhabitandum regiones & vici sub clausura eis fuerint assignati, & ipsi ita habitent in eis.

1 *Patres Concilij Basiliensis. §. Sacros insuper canones, vers. Quorum vt euitetur nimia conuersatio in aliquibus ciuitatibus, & oppidorum locis à Christianorum cohabitatione separatis habitare compellantur, & ab Ecclesijs longiùs quantum fieri potest.*

Item Benedictus XIII. in sua Bulla. §. Vt autem tanto faciliùs dicit: Vt autem tanto faciliùs illicita conuersatio inter Christianos & Iudæos euitetur, quanto diligentiùs communicandi occasio inuicem subtrahetur, Fideles Principes, & alios dominos temporales hortamur in Christo, vt in suis ciuitatibus, villis, aut locis, in quibus Iudæi morantur certos assignent limites, extra quos eis non liceat habitare &c. Iudæus verò, qui extra limites assignatos domum suæ continuę habitationis habuerit, arceatur pœna iam superiùs designata.

2 *Nicolaus V. in sua Bulla. §. Necnon sancimus, quòd perpetuis futuris temporibus Christiani cum Iudæis, & Saracenis comedere, aut bibere, seu ipsos ad conuiuia admittere, vel eis cohabitare.*

Et infrà, §. Necnon omnes & singuli Iudęi, vbi de Iudæis & Saracenis loquens, dicit: Et cum Christianis non habitent, sed segregati, & separati inter se degant.

3 *Paulus Papa Quartus in sua Bulla in proœmio, & §. 1.*

4 *Pius Papa V. in sua Bulla. §. Non obstantibus.*

Quintò, vt Iudęi bona immobilia non comparare, non habere, non possidere permittantur; sed illa, si quę habent Christianis vendere teneantur, quemadmodum Paulus Papa Quartus in sua Constitutione salubriter statuit, & vtiliter effecit; & Pius Papa V. innouauit, & confirmauit, abrogato Indulto, quod ab eius prędecessore ipsis Iudęis concessum asserebatur, vt bona stabilia vsque ad certam summam acquirere possent.

5 *In sua Bulla confirmationis & reualidationis Bullæ Pauli Papę Quarti contra Iudæos editæ. §. Non obstantibus.*

Iudęos autem non propterea excusandos esse, sed compellendos ad persoluendas Ecclesijs & pijs locis pensiones, canones, seu mercedes domorum & habitationum, aliaq. iura & emolumẽta, ad quę quomodolibet, & ex quauis causa tenentur: quemadmodũ & olim cùm eis permittebatur terras & bona stabilia possidere, Alexander Papa III. statuit 1 vt de terris, quas Iudęi colebant, eos ad decimas persoluendas, vel possessiones penitus renunciandas omni districtione compellerentur, ne fortè occasione illa Ecclesię possent suo iure fraudari. Ac 2 Innocentius Papa III. in Concilio generali decreuit sub pœna priuationis commercij cum Christianis, Iudęos similiter

militer compellendos esse ad satisfaciendum Ecclesijs pro decimis & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus & possessionibus alijs percipere consueuerant, antequàm ad Iudæos quocunque titulo deuenissent, vt sic Ecclesiæ conseruarentur indemnes. Nec non & Nicolaus 3 Papa V. mandauit, vt ipsi Iudæi & Saraceni ad soluendas quascunque de quibusuis rebus, & bonis decimas astricti censerentur. Ad quæ etiam hodie tenerentur in illis partibus, vbi Iudæi contra supradictas Apostolicas sanctiones prædia, iura, aut stabilia bona de facto possiderent.

1 Cap. De terris. De decimis.
Stephanus de Lycio, de Iudæis. §. Cogendi sunt Ecclesię dare decimas prędiales.
2 Pręcitato cap. Quanto amplius. §. Hac eadem pœna. De vsuris.
3 In sua Bulla. §. Et ipsi Iudęi & Saraceni.

Sextò, prouida illa constitutio 4 Concilij generalis, quæ ad tollendam confusionem, & erroris velamen, quo Christiani Iudæorum seu Saracenorum, & Iudæi seu Saraceni Christianorum mulieribus commiscentur, statutum est, vt tales vtriusque sexus in omni Christianorum Prouincia, & omni tempore, qualitate habitus publicè ab alijs populis distinguantur.

4 Innocentius Tertius in Concilio generali cap. 68. Tom. 3. Conciliorum, & habetur de Iudęis, cap. In nonnullis. in princ.

Quod & 5 alibi constitutum est, & sub grauibus pœnis seruari mandatum, etiam eis assignato 6 signo. Et Nicolaus 7 Papa V. innouauit volens, vt omnes & singuli Iudęi, & Saraceni cuiuscunque sexus & ætatis, vel conditionis distinctum habitum, ac notoria signa, per quæ euidenter à Christianis dignosci possent, vbique deferrent: Et Paulus 8 Papa Quartus in sua constitutione, vt Iudæi in Vrbe, & in omnibus ciuitatibus, terris, & locis S. R. E. vbique dignoscerentur, certius & euidens signum eis præscripsit, vt masculi biretum, fœminæ verò aliud signum patens, ita vt nullo modo celari, aut abscondi posset, glauci coloris palàm deferre teneantur, & adstricti sint: decernens ne vllo modo desuper excusari, aut dispensari, aut absolui possint. Pius autem 9 V. in eiusdem constitutionis innouatione, & confirmatione voluit, & mandauit, non solùm in terris, & dominijs S.R.E. subiectis, sed etiam vbique locorum; & ad tollendam omnem circa colorem bireti per masculos, & signi per fœminas deferendorum hæsitationem, declarauit dictum colorem esse, qui vulgò gialdo dicitur: quia Pius Papa Quartus limitauerat in aliquibus dictam cōstitutionem Pauli Quarti, ipse eandem in suo robore manere voluit, & derogauit litteris eiusdem Pij Quarti, & expresè super eo quod ad delationem bireti glauci coloris huiusmodi in itinere non tenerentur. Qui 10 præterea postea iniunctum signū glauci coloris ab Hebræis fœminis in Vrbe supra caput, sub ipsarum constitutionum, & alijs arbitrarijs pœnis deferri, vt tenebantur, præcepit: declarans illud tam amplum, & patens esse debere, vt facilè ab omnibus videretur, & per quod à fœminis Christianis discernerentur, vel ex lana, vel alio panno giluo, eius generis, quo mares sibi faciunt biretas confectum.

Et ea occasione ad obuiandum fornicationibus, & commistionibus Iudæorum cum meretricibus Christianis, illis in Vrbe sub 11 priuationis à synagoga, & grauis pecuniariæ, & alijs arbitrarijs pœnis præcipi fecit, ne quis eorum de cętero auderet siue præsumeret quouis prætextu, & quæsito colore etiam emptionis, & venditionis aliquorum bonorum, ingredi domos mulierum meretricum, & Curialium, & si quid ab eisdem mulieribus habere prætenderent, vel illas ratione pecuniarum sibi debitarum alloqui, seu aliqua bona eisdem mulieribus vendere, vel ab ipsis emere voluissent, id in portis, & ianuis domorum earundem mulierum apertis, & non intra easdem domos facere liceret, neve dictas mulieres Curiales ad eos pro similibus negotijs emptionis & venditionis accedentes permitterent domos, & apothecas suas ingredi; sed tantùm in illarum portis, ianuis, & foribus apertis cum eis colloqui, & tractare possent.

5 Patres Concilij Basiliensis sess. 19. in decreto de Iudęis, & Neophytis §. Sacros insuper. vers. Sub

grauibus quoque pœnis. Sub grauibus quoque pœnis cogantur aliquem deferre habitum, per quem à Christianis euidenter discerni possint.

6 *Benedictus XIII. in sua Bulla. §. Ad hæc antiqua iura, dicit.*

Ad hæc antiqua iura exequentes, quę vtriusque sexus Iudæos in omni Christianorum Prouincia qualitate habitus publicè ab alijs fidelium populis distingui mandarunt, statuimus, vt in partibus, in quibus Iudęi tempore datę pręsentium ita patens & eminens signum non portant, sicut in huiusmodi constitutione disponimus amodo signum eminens bipartiti coloris rubei, scilicet & crocei affixum deferant patenter, videlicet mares in superiori veste super pectus, fœminæ verò super frontem, eius scilicet magnitudinis atque formę, quas in præsentibus fecimus designari: Iudęis autem huiusmodi iuris transgressoribus pœna plectendis superiùs expressa.

Et Concilium Prouinciale Magunt. sub Alberto Cardinale & Archiepiscopo Maguntino, & Brandeburgensi, quod inscribitur, Iudęis signa quibus à Christianis discernantur deferenda esse, imponitur; & vsura eisdem penitus interdicitur (vbi quod præter constitutionem generalis Concilij, alijs Concilijs Maguntinis statutum fuit, vt Iudęi crucis Christi inimici sub cessatione diuinorum, & subtractionis communionis panis, signa quibus à Christianis discernantur, & distinguantur deferre debeant, declarando signum illud esse debere circulum de filis croceis in veste extrinseca ante pectus quoad masculos, & duas rigas blanci coloris peplis mulierum, quoad fœminas.

Extat & vetus statutum Vrbis Romę libro iij. statutorum cap. 159. de Iudęis debentibus portare tabarros rubeos, vbi sub quadam mulcta pręcipiebatur, vt Iudęi super alijs vestimentis tabarros rubeos portēt, exceptis medicis expertis in Theorica, & practica medicinę & actualiter exercentibus artem medicinæ in Vrbe, & in ea habitantibus approbandis per dominos Conseruatores. Iudææ autem semper vadant indutæ guarnellis super alijs indumentis, &c.

Magister Stephanus de Lycio. De Iudæis. §. Compellendi sunt insuper talem habitum, vel signum portare, quod in omni prouincia & ciuitate ab alijs cognoscantur &c.

7 *In eius Bulla. §. Necnon omnes, & singuli.*

8 *In eius Bulla. §. 1. vers. Et adhoc, vt pro Iudæis &c.*

9 *In sua Bulla. §. Non obstantibus, &c.*

10 *In præcepto per Vicarium Vrbis facto die ix. Decembris 1571.*

11 *In præcepto per Vicarium Vrbis facto die xx. Maij 1566.*

Insuper, ne iuxta prædictam Constitutionem eiusdem Concilij [12] generalis diebus Lamentationis, & Dominicæ passionis in publicum prodeant, eo quòd nonnulli eorum hisce diebus, & ornatiùs non erubescunt incedere, & Christianis, qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes lamentationis signa prætendunt, illudere non formidant. Quod & antea ab [13] aliquibus Concilijs fuerat constitutum.

12 *Sub Innocentio Tertio præcitato cap. 68. & eodem tit. de Iudæis, cap. In nonnullis, §. 1. quod & Nicolaus Quintus in sua Bulla innouauit, §. Iudæi quoque, ibi, & in lamentationum ac Dominicæ passionis diebus per loca publica, seu publicè non transeant, vel incedant.*

Stephanus de Lycio De Iudæis. §. In diebus lamentationis in publicum prodire non permitti debent.

13 *Concil. Aurelian. Tertium cap. xxix. Tom. 3. Concil. (vbi dicitur quia Deo propitio sub Catholicorum Regum dominatione consistimus, Iudæi à die Cœnæ Domini vsque ad secundam Sabbati in Pascha, hoc est ipso quatriduo procedere inter Christianos, neque Catholicis populis se vllo loco, vel quacunque occasione miscere præsumant.) &*

Concil. Matisconen. j. cap. 14. Tomo 2. Concil. (vbi habetur, Vt Iudæis à Cœna Domini vsque ad primam diem post Pascha secundum edictum bon. record. Domini Childeberti Regis, per plateas aut forum quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur, & vt reuerentiam cunctis Sacerdotibus Domini vel clericis impendant, nec ante Sacerdotes consessum nisi ordinati habere præsumant. Qui hoc fortasse pręsumpserit, à iudicibus locorum (prout persona fuerit) distringatur.

Nouerint autem illud districtissimè inhibitum esse in eodem [14] Concilio generali, ne in contumeliam redemptoris prosilire pręsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra deleuit, præceptum esse præsumptores huiusmodi per Principes seculares condigna animaduersione compesci.

14 *Citato cap. lxviij. & cap. In nonnullis, de Iudæis. §. Illud autem.*

Magister Stephanus de Lycio de Iudæis. §. Minimè debent aliquid facere in opprobrium Crucifixi, &c.

Similiter

Similiter & eis sub pœna prohibitum esse lege seculari exurere imaginem sanctæ Crucis in contemptum fidei Christianæ,& ne locis suis fidei nostræ signum immisceant; sed ritus suos citra contemptum Christianæ legis retineant.

Impp.Honorius & Theodosius.C.de Iudęis. l.Iudęos.

Septimò ex veteri more 1 generaliter interdicendum est Iudęis ipsis,ne ostia vel fenestras 2 die Parasceues aperta habeant, sed clausa teneant tota die.

1 Alex.Papa Tertius de Iudęis. cap.Quia super.

2 Sed Nicolaus V. in sua Bulla.§.Iudæi quoque post pręcitata verba non transeant,vel incedant, subdit,nec ostia nec fenestras teneant apertas. Quare secundum eum non sola die Parasceues, sed etiam in lamentationum, & Dominicæ passionis diebus debent tenere clausa ostia, vel fenestras.

Octauò autem valdè curandum est, ne Iudæi alijve infideles publicis officijs, honoribus,vel administrationibus, & dignitatibus præficiantur, quod, & olim eis interdictum fuerat,& pijssimi Imperatores 3 Theodosius, & Valentinianus probarunt, & perpetuò valitura lege extenderunt,etiam ad officium Defensoris Ciuitatis præclarissimis his verbis.

3 L.vlt. C.de Iudęis.

Magister Stephanus de Lycio de Iudæis.§.Minus permitti debet eos inter Christianos aliquod publicum officium habere,&c.

Hac valitura in omne æuum lege sancimus,neminem Iudæorum (quibus omnes administrationes,& dignitates interdictæ sunt)nec Defensoris ciuitatis fungi saltem officio,nec patriæ honorem arripere concedimus: ne acquisiti sibi officij auctoritate munitì aduersus Christianos, & ipsos plerunque sacræ Religionis Antistites, veluti insultantes fidei nostræ,iudicandi, vel pronuntiandi quamlibet habeant potestatem. Et paulò infra: Quisquis igitur, vel insulas acceperit, quęsitis dignitatibus non potiatur; vel si ad officia vetita subrepserit, ab his penitus repellatur. Et iterum: Et qui ad honores, & dignitates irrepserit,habeatur,vt antea,conditionis extremæ, & si honorariam illicitè promeruerit.

Et Concilium 4 Toletanum III. statuit, vt nulla officia publica Iudæis iniungantur, per quæ eis occasio tribuatur Christianis pœnam inferre. Et hoc quidem decretum postea 5 Concilium generale innouauit,ac etiam pœnam adiecit,quam ad paganos seu Saracenos extendit.

4 Concil.Toletan.Tertium cap.xiiij. Tom.2.Concil. & apud Gratianum dist. liiij. Nulla officia.

5 Sub Innocent.Tertio,cap.lxix.Tom.3.Concil.& habetur de Iudęis.cap.Cùm sit nimis.

Cùm sit,inquit,nimis absurdum, vt blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat; quod super hoc Toletanum Concilium prouidè statuit,nos propter transgressorum audaciam in hoc generali Concilio innouamus, prohibentes ne Iudæi publicis officijs præferantur: quoniam sub tali prætextu Christianis plurimùm sunt infesti.

Si quis autem eis officium tale commiserit per Prouinciale Concilium, quod singulis annis pręcipimus celebrari monitione præmissa, districtione qua conuenit compescatur: Officiali verò huiusmodi tam diu Christianorum communio in commercijs & alijs denegetur, donec in vsus pauperum Christianorum secundum prouidentiam Diœcesani Episcopi,conuertatur quicquid fuerit à Christianis adeptus occasione officij sui suscepti,& officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad paganos.

Idem quoque & Gregorius 6 Papa Nonus de Portugallię Rege mandauit, ne in officijs publicis Iudęos Christianis præficeret, sicut in generali Concilio continetur. Et si fortè redditus suos Iudæis vendiderit, vel Paganis, Christianum tunc deputet de grauaminibus inferendis clericis, & Ecclesijs non suspectum,per quem Iudæi siue Saraceni,sine Christianorum iniuria, iura regalia consequantur.

6 Cap.Ex speciali. de Iudęis.

Quòd & alij Summi 1 Romani Pontifices, & Prouincialia 2 Concilia seruari man-

 darunt,

darunt,& statuerunt, ne vel publicis officijs præfici,neve Iudices, neque etiam arbitri,vel arbitratores inter quascunque personas esse possint.

1 *Benedictus Decimustertius in sua obedientia in Bulla contra Iudæos. §.Insuper licet Iudæis officium iudicandi lex ciuilis etiam interdicat &c. Vbi non obstantibus priuilegijs Regum, & Principum,vt inter se Iudices constituere possent, districtè prohibet, imò vt nec arbitri esse possint. §.seq. Et ne huiusmodi constitutionem fraudandi occasio relinquatur, statuimus, & mandamus, vt nec arbitrium in se suscipere, aut per viam compromissi, seu arbitramenti quomodocunque, aut inter quascunque personas pronunciare præsumant, decernentes irritum & inane &c.*

Nicolaus Papa V. in præcitata sua Bulla contra Iudæos & Saracenos similiter statuit,vt Christiani non permittant Iudęos & Saracenos contra Christianos dignitatibus secularibus pręfici, vel officia publica exercere.

2 *Concilium Aruernense cap.viij. (vbi sic cauetur. Ne Iudæi Christianis populis Iudices proponantur) & in idem.*

Concilium Matisconense primum cap. xiij. eodem Tomo 2. Conciliorum (vbi quòd nec Iudæi Christianis populis Iudices deputentur, aut Telonarij esse permittantur, per quod illis (quod Deus auertat) Christiani videantur esse subiecti.) &

Concilium Toletan. Quartum, cap.64. Tomo secundo Conciliorum, quod habetur apud Gratianum 17.q.4. cap.Constituit. (vbi quod præcipiente Sisenando Rege constituit illud sanctum Concilium,vt Iudæi,aut hi,qui ex Iudæis sunt, officia publica nullatenus appetant: quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt: Ideoque Iudices Prouinciarum cum Sacerdotibus eorum subreptiones fraudulenter relictas suspendant, & officia publica eos agere non permittant. Si quis autem hoc permiserit, velut in sacrilegum excommunicatio proferatur; & is, qui subrepserit, publicis cędibus deputetur.)

Concilium Toletanum Duodecimum cap.9. (ibi item ne Iudæi à quolibet potestate accepta extra Regiam ordinationem Christianum quemque impetere,plectere,aut distringere audeāt.)

Patres Concilij Basiliensis pręcitata sess. xix. in decreto de Iudæis. §. Sacros insuper Canones, itidem statuerunt,ibi, nec alijs publicis præponant officijs.

Prohibendum 3 quoque esset, ne Iudæi ipsi ad quoscunque scholasticos & Magisterij, seu Doctoratus in artibus Philosophia & Medicina gradus admittantur; & curandum vt priuilegia & indulta eis per Principes super hoc concessa reuocentur.

3 *Patres Concilij Basiliensis in citato decreto de Iudæis. §. Sacros insuper Canones. vers. aut ad gradus quoscunque scholasticos admittant.*

Neque iuxta id quod 4 Paulus Quartus statuit,se à Christianis etiam pauperibus,Dominos vocari patiantur.

4 *Paulus Quartus in sua Constit. sæpe citata.*

Nonò,cùm vsurarum crimen 5 vtriusque Testamenti pagina 6 condemnet,& 7 detestetur; & ideo illæ omninò prohibendæ & non tolerandæ essent: tamen à Iudæis sine vllo Dei timore,& contra diuinę legis mandatum grauiter exiguntur. Innocentius Papa 8 Tertius Iudæos ad remittendas Christianis vsuras per Principes & potestates seculares compelli præcepit,& donec remiserit ab vniuersis Christifidelibus,tam in mercimonijs,quàm in alijs per excommunicationis sententiam eis iussit communionem omnimodam denegari. Et 9 Nicolaus Papa V. etiam ipsis Iudæis interdixit,ne vsuras à Christianis exigant,recipiant,vel extorqueant,sed vt extortas illis à quibus extorserunt protinus sine difficultate restituant.

5 *Suis locis in Opusc.Iul.Ant.Card.S.Seuerinę,de vsuris Iudæorū non tolerandis,sed prohibēdis.*

6 *Concilium Lateranen. sub Alexandro Tertio,cap.Quia in omnibus ferè locis,de vsuris. & habetur post dictum Concilium in collectione decretalium eiusdem Alexandri Tertij parte prima cap.25. Tomo 3. Conciliorum (vbi dicit quòd vsuræ vtriusque Testamenti pagina condemnantur.)*

7 *Idem Alex.Tertius in eadem collectione parte xx. cap.2. §.Præterea Parochianis vestris. cuius pars,licet non eisdem verbis, habetur eod.tit. de vsur. cap.Parochianis tuis (vbi dicitur quia vsurarum crimen vtriusque Testamenti pagina detestatur.)*

Idem Alex.Tertius ad Panormit.Archiepiscopum,cap. Super eo. De vsuris. & habetur in eadem collectione parte xvj.de vsuris,cap.1. (vbi etiam,quòd cùm vsurarum crimen vtriusque Testamenti pagina detestetur.

Conci-

Concilium Prouinciale Maguntin. sub Alberto S. R. E. Cardinale Archiepiscopo Moguntin. & Brandeburgen. in decreto de signis per Iudæos deferendis, & de eorum vsuris omnino interdicendis (vbi similiter dicitur.)

8 *Cap. Post miserabilem. De vsuris.*

9 *In Bulla incipien. Super gregem Dominicum. §. A Christianis quoque.*

Et quia quanto amplius Christiana religio ab exactione compescitur vsurarum, tanto grauius super his Iudæorum perfidia insolescit, ita vt breui tempore Christianorum exhauriant facultates. Ideo idem 1 Innocentius Tertius in Concilio generali volens in hac parte prospicere Christianis, ne à Iudæis immaniter aggrauentur, Synodali decreto, statuit, vt si de cętero quocunque prætextu Iudęi à Christianis graues immoderatasve vsuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato grauamine satisfecerint competenter. Vnde Christiani (si opus fuerit) per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellantur ab eorum commercijs abstinere. Principibus autem iniungimus, vt propter hæc non sint Christianis infesti, sed potiùs à tanto grauamine studeant cohibere Iudæos.

1 *Concilium generale sub Innocentio Tertio cap. 67. Tom. 3. Concil. & habetur de vsur. cap. Quanto amplius.*

Quocirca & in eandem sententiam etiam à Sede Apostolica 2 constitutum, & sæpe rescriptum est. Sed & Paulus 3 item Quartus in memorata eius constitutione plurimùm in eam rem contulit aduersus Iudæos: sanxit enim, ne Christianos quoquomodo grauare, aut contractus fictos, vel simulatos celebrare vllatenus pręsumant, nec in libris rationum, & computorum, quæ cum Christianis pro tempore habent, alijs quàm Latinis litteris, & alio quàm vulgari Italico sermone vti possint: & si vtantur, libri huiusmodi contra Christianos nullam fidem faciant, & vt menses in eorum rationibus & computis ex triginta diebus completis omninò conficiant, & dies, qui ad numerum triginta nō ascenderint, non pro mensibus integris, sed solùm pro tot diebus, quot in effęctu fuerint computentur, & iuxta ipsorum dierum numerum, & non ad rationem integri mensis exigant; ac pignora eis pro cautione pecuniarum pro tempore consignata, nisi transactis priùs à die, quo illa eis data fuerint decem & octo integris mensibus vendere nequeant, & postquam menses prædicti effluxerint, si ipsi Iudæi pignora huiusmodi vendiderint, omnem pecuniam, quæ eorum credito superfuerit, domino pignorum consignare teneantur.

2 *Et inter alios à Benedicto Papa Decimotertio in sua Bulla contra Iudæos. §. Exigit quoque ipsorum Iudæorum cupiditas (vbi in damnationem Iudæorum vsurariorum statuit, vt nullus Iudæorum de cætero contractum aliquem siue tractatum inire præsumeret, cuius causa vel occasione Christianus aliquis ad soluendum, restituendum, dandum, seu tradendum pecuniam aut quamcunque rem in futurum, aut cum futuri temporis tractu alicui Iudæo aut ad eius vtilitatem directè vel indirectè teneretur, aut remaneret obligatus, damnans dictum tractatum vt suspectum, & irritans & annullans. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus, statutis per quoscunque Principes, & dominos, & superiores Ecclesiasticos aut seculares concessis, & concedendis, & aliàs sub censuris & pœnis prouidit, necnon etiam prohibuit fictos & simulatos contractus, quos Iudæi fraudulenter faciebant de persona in personam etiam Christianorum ad ipsorum fauorem transferri etiam sub excommunicationis pœna in Christianos) vt ibidem fusius habetur.*

3 *In citata eius Bulla, §. 1. ibi, seu Christianos quoquomodo grauare. & ibi, nec in libris rationum. & ibi, & menses in eorum rationibus.*

Quæ quidem & Pius 4 Papa V. in eiusdem constitutionis innouatione & confirmatione specialiter sarta tecta esse voluit, cùm prætenso indulto prædecessoris, vt pignora alio quàm pręscripto modo distrahere possent, expresè derogauit.

4 *In Bulla super reualidatione litterarum Pauli Quarti. §. Non obstantibus.*

Is quoque zelantissimus Pontifex inter alias causas, quibus permotus 5 præceptū promulgauit de Iudęorū exterminatione ex omni dominio temporali S.R.E. & subditorum, pręter Romam & Anconam, ingens vsurarū extorsio, quæ per eos exercebatur fuit. In eo enim dicit: Nam vt multa vsurarū genera omittamus, quibus Hebręi egētium Christianorum substantiam vsquequaque exinaniuerunt, perspicuum satis putamus

tamus eos furum, & latronum receptores atque participes, qui quasque res ab ijs surreptas, & interuersas, non modò profanas, sed etiam diuino cultui seruientes, ne internoscantur, aut ad tempus supprimere, aut aliò transferre, aut omnino transformare conantur: plerique etiam specie tractandæ rei proprio exercitio cōuenientis, honestarum mulierum domos ambientes, multas turpissimis lenocinijs præcipitant: quodq. omnium perniciosissimum est, sortilegijs, incantationibus, magicisq. superstitionibus & maleficijs dediti quamplurimos incautos atque infirmos Satanæ præstigijs inducunt, qui credant euentura prænuntiari, furta, thesauros, res abditas reuelari, multaq. preterea cognosci posse, quorum ne inuestigandi quidem facultas vlli omninò mortalium est permissa. Postremò cognitum satis & exploratum habemus, quàm indignè Christi nomen hæc peruersa progenies ferat; quàm infesta omnibus sit, qui hoc nomine censentur: quibus denique dolis illorum vitæ insidietur. His alijsq. grauissimis rebus adducti, & augescentium quotidie ad ciuitatum nostrarum perniciem scelerum grauitate permoti; cogitantes prꝫterea supradictam gentem prꝫter mediocres ex Oriente commeatus nulli Reipublicꝫ nostræ vsui esse, nostris verò populis, qui præsertim à nobis aliquanto remotiores sunt, conducibilius fore illius nomen, flagitia, miserias aliunde ad se relatas audire, quàm vllo charitatis stimulo eam in suo deinceps sinu, vt ante hac confouere: auctoritate præsentium præcipimus, vt omnes & singuli vtriusque sexus Hebrꝫi in omni ditione nostra temporali, & sub ea consistentium Ciuitatum, terrarum, & locorum, Domicellorum, Baronum, aliorumq. Dominorum temporalium etiam merum & mistum imperium, ac vitæ necisq. potestatem, & quamcunque aliam iurisdictionem, atque exemptionem habentium, de ipsius omnino finibus, intra trium mensium spatium postquam præsentes litterę hic fuerint publicatę, omnino excedant. Quibus preteritis quicunque siue incolę siue peregrini, siue præsentes, siue futuri in quacunque dictę ditionis Ciuitate, terra, vel loco, etiam Domicellorum, Baronum, Dominorum & aliorum exemptorum prędictorum quandocunque inuenti fuerint rebus omnibus spolientur, & fisci iuribus applicentur, mancipia Romanæ Ecclesiæ fiant, & in perpetuam seruitutem asserantur, dictaq. Ecclesia illud idem ius in eos, quod cæteri domini in seruos & mancipia sibi debeat vendicare: Vrbe Roma, & Ancona duntaxat exceptis, vbi eos solos Hebræos, qui nunc eas habitant, ad prædictam memoriam amplius excitandam, persequendasq. cum Orientalibus negotiationes, mutuosq. commeatus, cum eisdem permittimus tolerandos, &c.

5 Pius V. in Bulla incip. Hebræorum gens sola quondam à Domino electa, sub Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1568. tertio Kal. Martij, Pontificatus sui anno quarto.

Additio. Insuper & sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. in suis litteris de Iudæis ex vniuerso statu Ecclesiastico 6 expellendis, Vrbe Roma, & Auenionen. atque Anconitana ciuitatibus duntaxat exceptis, incipien. Cæca & obdurata Hebræorum perfidia. §. 1. dicit:

6 Datis Romæ in Monte Quirinali anno Incarnationis Dominicæ 1592. quinta Kal. Martij, Pontificatus sui anno secundo.

Sanè iampridem fel. rec. Paulus Papa Quartus prędecessor noster per suam, sub Datum pridie Idus Iulij, Pontificatus sui anno primo, editam constitutionem, prudenti ac salubri consilio certas præscripsit leges, quas Iudæi in terris ditionis Ecclesiasticæ degentes seruare tenerentur; easq. postmodum recol. mem. Pius Papa V. itidem prędecessor, sub Datum videlicet tertiodecimo Kal. Maij, Pontificatus sui anno primo non solùm innouauit, sed etiam complura indulta & priuilegia, quorum obtentu Iudęi se tuebantur, abrogando, eandem Pauli prædecessoris constitutionem aduersus illa restituit, ac firmiter obseruari pręcepit; ac demum per alias suas litteras eos ab omnibus ditionis temporalis Ecclesiasticæ ciuitatibus, terris, & locis, Vrbe Roma, & Ancona exceptis perpetuò exulare iussit, prout in eorum litteris latiùs

conti-

continetur. Quę cùm optima suadente ratione à sancta hac Sede emanauerint, ipsi tamen Iudæi successu temporis paulatim ab huiusmodi vinculis se eximere attentarunt,& forsan ab alijs prædecessoribus nostris,qui vt eos ab eorum caligine ad agnitionem veræ fidei allicerent mansuetudinem Christianæ pietatis non denegandam eis censuerunt, aliquas super hoc tolerantias siue indulta extorserunt. Quibus postmodum contra piam eorundem prædecessorum mentem & intentionem prauè abutentes,eò tandem sunt progressi,vt aduersus diuinas,naturales,humanasq. leges magnis & grauibus vsuris pecuniarum,quas præsertim à pauperibus & egenis exigunt, monopolijs illicitis, & fœneratitijs pactis, fraudibus, & dolis in contrahendo,ac fallacijs plurimos ciues & incolas ditionis temporalis Ecclesiasticæ vbi commorantur, miserè exhauserint, circumuenerint, bonis spoliauerint, ac tenuis potissimùm fortunæ homines præsertim rusticos, & simplices, non solùm ad extremam inopiam, & mendicitatem, sed propemodum in seruitutem redegerint, multa præterea, & quidem grauiora scelera,& flagitia, & ipsi commiserint, & perdito cuique ac nequissimo in facinoribus patrandis suam libentissimè operam, & quamcunque potuerunt opem præstiterint. Nos igitur his & alijs grauissimis de causis adducti, huiusmodi nationem à plerisque ex nostris populis, apud quos experientia docuit eam multo plus detrimenti afferre, quàm boni ab ipsa sperari queat,censuimus omnino expellendam: & tamen ne à nobis prorsus eiecta, ad gentes, quæ Christum non norunt, diuertat; atque à via salutis, reliquijs Israel Prophetico ore promissæ longiùs recedat, eam ab amplioribus quibusdam, aut nobis proximis ciuitatibus,vbi faciliùs legum vinculis, & Iudicum seueritate in officio contineri possit duximus non repellendam. Ac proinde nos eorundem Pauli & Pij prædecessorum vestigijs inhęrentes, primùm quidem eorum constitutiones & litteras, quarum tenores haberi volumus pro expressis, harum serie approbamus & innouamus, illisq. perpetuæ, inuiolabilis & inconcussæ firmitatis robur adijcimus. Deinde verò vsu & re ipsa edocti, quæ eisdem Iudæis præter illorum formam pia & benigna eorum qui sequuti sunt prædecessorum nostrorum indulgentia permissa fuerunt, ea vt sperabatur minimè profuisse, quinimò contra mentem concedentium malitia Iudęorum in damnum Christifidelium retorta extitisse, omnia & quæcunque, si quæ forsan à similis memoriæ Pio IIII. Sixto V. & alijs Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, siue de eorum,vt asseritur,mandato, in fauorem eorundem Iudæorum tam in Alma Vrbe tantùm,quàm in quibusuis alijs ditionis tẽporalis Ecclesiasticæ ciuitatibus, terris, Oppidis, & locis degentium, etiam super hoc ipso vt vbilibet commorari eis liceat, in genere vel in specie, etiam Motu proprio, vel sub prætextu causæ & tituli onerosi etiam vim contractus inducentis, aut aliàs concessa dicuntur priuilegia, permissiones, indulta, aut capitula, quorum etiam omnium, & singulorum tenores pro expressis,ac ad verbum insertis habemus,in ea parte,quæ prædictis eorundem Pauli & Pij V. prædecessorum, nec non præsentibus nostris litteris aduersantur, aut vltra illas aliquid concedunt,harum serie reuocantes, cassantes, abolentes, & annullantes, irritaq. cassa, & nulla decernentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione pręcipimus & mandamus,vt omnes & quicunque Iudęi vtriuslibet sexus,qui in quibusuis ditionis nostræ temporalis vniuersæ ciuitatibus etiam Bononien.& Beneuentan. oppidis, terris, castris, & locis etiam sub eadem ditione consistentium Baronum,& Domicellorum quamcunque iurisdictionem, præeminentiam, titulum, insignia, seu exemptionem habentium,ad præsens reperiuntur, debeant omnino intra tres menses à die publicationis præsentium litterarum in Romana Curia faciendę numerandos,ex eiusdem ditionis temporalis & status Ecclesiastici finibus discessisse, & aliò commigrasse. Quin potius tam illos, quàm alios si qui fortasse ad prædictum statum accedent, iubemus in posterum à tota ditione præfata, non solùm nostris, sed etiam perpetuis futuris temporibus, sine vlla spe reditus,exulare: ita vt quicunque Iudęi, siue incolæ siue peregrini præsentes aut futuri, in quauis dictæ ditionis ciuitate, oppido, terra, vel loco, etiam Domicellorum & Baronum huiusmodi quando-

cunque post lapsum trium mensium prædictorum inuenti fuerint, rebus omnibus spolientur, eæq. fisci iuribus applicentur: eorum verò vnusquisque qui ætate, & corpore viribus satis firmis ad eam pœnam sustinendam reperietur, ad triremes quoad vixerit, sit eo ipso damnatus: Idq. in toto statu prædicto vbiq. seruetur; Vrbe Roma,& Auenionen. atque Anconitan. ciuitatibus duntaxat exceptis, vbi eos, qui ad præsens ibidem, vel alibi intra prędictum statum degunt, si ad dictas potiùs ciuitates,quàm aliò se recipere maluerint, & prædictis de causis & ad prosequendas cum Orientalibus mercaturæ negotiationes & commercia: Et quia illos præsertim qui nostro & huius Sedis conspectui proximi sunt,pœnæ formidine à maleficijs temperaturos, atque interdum aliquos lumē veritatis faciliùs agnituros speramus censuimus tolerandos. Verùm his ipsis, quos in tribus tantùm prędictis ciuitatibus commorari permittimus, vniuersis & singulis Iudeis præcipimus, vt ciuitatum prædictarum in quibus pro tempore habitauerint, statuta fauorem Christianorum concernentia, necnon edicta Ordinariorum, & Magistratuum, præcipuè verò nostras, ac prædictas Pauli & Pij V. prædecessorum,& alias Apostolicas & Canonicas, quæ circa ipsos Iudæos aliquid disponunt, constitutiones inuiolabiliter obseruent.

Decimò ferendum non esse,vt Iudæorum, qui Christianis oppidò sunt infesti, in causis criminalibus 1 aduersus Christianos dicta, aut delationes, seu accusationes recipiantur. At Christianorum testimonium aduersus Iudæos in omnibus causis recipiendum esse censuit Concilium Lateranense sub 2 Alexandro Papa III. & anathemate feriendos esse decreuit, quicunque Iudæos Christianis voluerit in hac parte præferre, cùm eos Christianis subiacere oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri.

1 Concil. Toletan. iiij. cap.lxiiij. & ex eo 2. q.7. cap. Non potest. quia regulariter de iure nullus infidelis,vel hæreticus contra fidelem, vel Orthodoxum ad testimonium admittitur, vt ibi, & cap.Pagani ex S.Caio Papa (etiam si ipsi fuerint effecti Christiani,& à Christiana fide sint præuaricati dicto cap. Non potest.) cap. Si hæreticus ex Iustiniano Imp. in Nouella 45. in fine, & cap.Ipsa pietas ex S. Augustino 23.q.4. & ibi not. & l.Quoniam. C. de hæreticis, & gloss.1. in cap.Iudæi infra citando. de testibus.

2 Cap.26. Tomo 3. Conciliorum, & habetur de testibus, cap.Iudæi.

Magister Stephanus de Lycio, De Iudæis. §. Compellendi sunt testes Christianos contra se recipere.

Ac ita 3 Nicolaus Papa V. vt Christiani contra Iudæos, & Saracenos in quibusuis casibus testes esse possint, sed Iudęorum, & Saracenorum contra Christianos in nullo casu testimonium valeat. Et apud Christianos iudices, & communes duntaxat;non autem apud Christianos iudices pro eis specialiter deputatos, nec eorum seniores, Iudęi,& Saraceni in quibuscunque causis agant,aut conueniantur.

3 Nicolaus Papa V. in sua Bulla incip. Super gregem Dominicum.

Et quia non est licitum alicui Christiano, & multo minus Crucis Christi inimico, vt causę suæ vnius tantùm quasi legitimo testimonio finem imponat; ideò idem Alex. Tertius 4 mandauit, vt si inter Christianos, & Iudęos emerserit quæstio in qualibet causa Christiani, & maximè Clerici, non minus quàm duorum, vel trium virorum,qui sint probatæ vitæ, & fidelis conuersationis testimonium admittatur; iuxta illud Dominicum, In ore duorum,vel trium testium stat omne verbum. *Matth.18. & Luc.17.*

4 Cap.Licet vniuersis, de testibus desumpto ex decretali Alex. Tertij collectione parte xx. de Iudæis, cap.ij. Tomo 3. Conciliorum.

Et vbi Iudæi quidam, & Saraceni, sicut olim factum 1 fuisse memoratur, vt super ciuilibus, aut criminalibus conuinci per Christianos non possint, se priuilegijs Regum, & Principum tueantur; cùm id nedum iuri contrarium, sed & Christianę religioni opprobriosum sit quamplurimùm,& aduersum,Clemens Papa V.in generali Concil. Viennensi, Reges eosdem, & Principes exhortatus est, ne concedant huiusmodi de cętero priuilegia, vel seruent, aut seruare permittant etiam iam concessa. Quòd si Iudæi,& Saraceni priuilegijs talibus vti præsumpserint, Christianorum communio

eis subtrahatur sic, quòd Christiani ab eorum abstinere communione censura Ecclesiastica, si opus fuerit, compellantur.

1 Clement. prima de testibus.

Iudæis demum nullatenus permittendum esse insequi, vel percutere Christianos, aut eis iniuriam inferre.

Quòd si Iudeus 2 in Clericum manus iniecerit violentas, Prelatus Ecclesiasticus cuius iurisdictionis existit, ipsum pœna pecuniaria puniat, vel alia, vt conuenit, temporali, faciens læso satisfactionem congruam exhiberi: alioquin si non pareat, Christianis loci omnibus per censuram Ecclesiasticam interdicat, ne cum ipso Iudeo antequàm satisfaciat, præsumant commercia exercere.

2 Clemens Papa Tertius de Iudæis, cap. Postulasti.

Sciantq́. Iudei, & Pagani, quòd si furore perciti irruerint in volentem fieri Christianum, secundum 3 legem secularem flammis traduntur concremandi: imò & prohibitum esse Iudæis, ne se vel filios suos, vel famulos à Baptismi gratia subtrahant. 4

3 Magni Constantini Augusti, l. ij. C. de Iudæis.

4 Concil. Toletan. xij. cap. ix. vers. Item ne Iudæi, aut se, aut filios suos &c. Tomo 3. Concil.

De non impedienda successione eorum qui Christiani fieri volunt.

VNdecimò quia cedit in iniuriam fidei Christianæ, vt Iudei filios, aut alios consanguinitate sibi coniunctos ad fidem Christianam conuerti volentes à sancto proposito retrahant, auferendo eis spem succedendi in bonis suis, quorum successionem, conuersione cessante, se crederent verisimiliter habituros. Idcirco nullo modo ferendum est, vt eiusdem fidei impedimentum; sed potiùs innouandum, & seruandum est quod in eiusdem fidei fauorem sancitum 1 fuit; nempe vt omnes, & singuli vtriusque sexus, qui ex Iudæorum gente inspirante Domino ad fidem Catholicam hactenus sunt conuersi, aut conuerti contigerit in futurum; & generaliter quicunque Christicolę, qui Iudęos in consanguinitatis gradu habuerint sibi coniunctos, in bonis Iudæorum in infidelitate sua decedentium eo modo succedant, ac si præfati Iudæi, sic vt pręmittitur decedentes, tempore mortis suæ fuissent Christianę fidei professores, & nullum fecissent, aut ordinassent testamentum, vel aliam vltimam voluntatem, ac decretum, vt nullum testamentum, vel aliqua vltima voluntas, nec vlla inter viuos, vel causa mortis donatio, vel alia alienatio facta in fraudem constitutionis huiusmodi, nec lex aliqua Iudęorum, vel consuetudo etiam inter eos hactenus obseruata Christianis obstare valeant, quo minus in bonis infidelis defuncti, successionem legitimam consequantur, iuxta formam iurium, quibus Christiani illarum partium in Christianorum ab intestato decedentium successionibus regulantur. Quod & Paulus 2 Papa III. sua Constitutione sanciuit, vt suprà relatum est.

1 Benedict. Decimustert. in sua constitutione contra Iudæos. §. Et quia cedit in iniuriam.

2 §. Ac ne Iudæi, & alij Infideles metu amissionis bonorum, &c.

Duodecimò, in Iudęis compescendis, & corrigendis maximè cauenda sunt, quæ ipsorum consuetudinem respiciunt cum Christianis, ne propter ea magis insolescant, & simplicitas Christiana eorum malitia, & versutia decipiatur.

Quare Christianis grauiter prohibendum est sub excommunicationis, & alijs pœnis, ne 3 cum Iudæis manducent aut bibant; neque 4 quicquid manducari, aut bibi potest, ab eis accipiant.

3 Concil. Eliber. cap. 50. Tomo 1. Concil.
Concil. Aurelianense iij. cap. 13. Tomo 2.
Concil. Metens. cap. 4. Tomo 3. Concil.
Suprà tit. De Neophytis instruen. §. Cum ipsis non comedant.

4 Concil. Metense citato cap. 4. & in eodem §. Cum ipsis.
Stephanus de Lycio, De Iudæis. §. Nullus præterea debet nec habitare, nec comedere, nec bibere, nec eos ad nostra conuiuia conuocare &c.

Neque

Neque 1 ad eorum conuiuia accedant, neque ad sua illos excipiant, aut inuitent.

1 *Concil. Agathense cap. 40. Tomo 1. Concil. ibi, nec eos ad conuiuium quisquam accipiat 28. q. 1. cap. Omnes deinceps.*
Concil. Veneticum cap. 12. Tomo 2. Concil. (vbi idem dicitur.)
Concil. Aurelianense iij. cap. 13. eodem Tomo 2. ibi, Item Christianis conuiuia interdicimus Iudæorum &c.
Concil. Matisconense primum cap. 15. eod. Tomo 2. Concil. ibi, vt nullus Christianus Iudæorum conuiuijs participare præsumat.
Item citatum Concil. Metense cap. 4.
Sup. De Neophytis instruendis. §. Neque ad eorum conuiuia.

Neque 2 etiam à Iudæis, (sicut nec ab hæreticis) xenia, munera festiua seu feriatica, quæ mittuntur, accipiant: sed nec aliud eorum superstitiosum edulium, aut donarium, aut alias carnes, condimenta, & cibos. Neque cum eis dies festos agant, aut celebrent.

2 *Ex Can. Apostolorum 69. alias 70. iuxta Theodorum Balsamonem.*
Concil. Laodicen. can. 37. præsertim iuxta secundam versionem Tomo 1. Concil.
Supra de Neophytis instruen. §. Ac iuxta sacros canones, &c.

Iudæorum 3 azyma non accipiant aut manducent.

3 *Dicto Canone Apostolorum 69. Tomo 1. Concil. &*
Concil. Laodic. can. 38. præsertim iuxta secundam editionem (ibi Non oportet à Iudæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum.)
Sexta Synod. can. 11. Tomo 2. Concil. vbi dicitur Iudæorum azyma comedat. &
Apud Gratianum 28. q. 1. Nullus eorum, vbi dicitur, azyma non manducet.

Neque 4 cum eis habitent.

4 *Sexta Synod. can. 11. vbi dicitur, vel vllam cum eis familiaritatem ineat.*
Apud Gratianum dicto cap. Nullus eorum, vbi dicitur, aut cum eis habitet.
Supra de Neophytis instruen. § Cum eis non cohabitent.

Neque 5 cum eis in balneo lauent.

5 *28. q. 1. Nullus eorum.*
Sexta Synodus can. 11. vbi dicitur, vel vnà cum eis in balneo lauetur.
Supra de Neophytis instruen. §. Neque etiam cum ipsis.

Aut 6 in infirmitatibus suis aliquem Iudæorum vocent, aut medicinam, & potiones, seu alia similia medicamenta ab eis percipiant.

6 *28. q. 1. citato cap. Nullus.*
Sexta Synod. can. 11. vbi dicitur, vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas accipiat.
Supra de Neophytis instruendis. §. Sed nec etiam in morbis.

Et in his quidem postremis quatuor casibus sexta Synodus in Clericos, qui in sacro sunt ordine, pœnam depositionis infligi; laicum verò excommunicari præcepit.

Quare ad ipsorum nuptias, partus, & circumcisiones filiorum, & ad alia festa, & conuiuia Christianos non accersant, nec inuitent, neque Christiani ipsi ad huiusmodi festa accedant, neque in eorum synagogas, vtpote synagogas Satanæ, si de Iudaica perfidia se suspectos reddere nolunt, ingrediantur.

Sed & cętera, quæ ad tollendam nimiam conuersationem Christianorum cum Iudæis, & alijs infidelibus sæpe sunt constituta, maximè seruanda sunt, scilicet,

Vt nemo 1 Iudæorum vtriusque sexus artem, seu officium medici, chirurgi, apothecarij, seu aromatarij, pigmentarij, obstetricis, mediatoris, seu proxenetæ, tractatoris, seu concordatoris sponsalium, vel matrimoniorum, vel campsoris inter fideles, vel opus cuiuscunque fidelis exercere, aut alicuius fidelis reditus 2 colligere, vel arrendare: In domo, vel bonis Christiani officium, vel administrationem, aut cum Christianis societatem in aliqua arte, vel artificio habere, aut nutricem, vel alium familiarem, vel seruitorem fidelem tenere, aut cum fideli in balneo, vel conuiuio communicare, aut panes azymos, seu alia victualia ad suarum Festiuitatum obseruantiam deputata, vel carnes per eos refutatas Christianis vendere, vel donare præsumant, sub pœna Iudæis contrauenientibus subtractionis com-

munionis Christianorum: Christianis autem in aliquo prædictorum participantibus sub pœna excommunicationis.

1 Benedictus Decimustertius in sua Bulla. §. Præterea statuimus omnia hæc. vbi de omnibus his.

2 Facit Constit. Iustiniani Imp. in Auth. de Ecclesiasticis titulis. §. Iubemus autem, & in Nouella Græca cxxxj. De Ecclesiasticis canonibus, & priuilegijs. §. Porrò iubemus. vers. At si orthodoxus vbi, quòd si orthodoxus possessionem in qua sit Ecclesia alienauerit, locauerit, aut reliquerit Iudæo, aut Samaritano, aut Ariano, aut alij hæretico, &c. Ecclesia vici, seu oppiduli illam vindicet &c.

Deinde, item contra Christianos (quod iustius fuit) vt deinceps perpetuis futuris temporibus Christiani cum Iudæis, & Saracenis comedere, aut bibere, seu ipsos ad conuiuia admittere, vel eis cohabitare, aut cum ipsis balneari, aut ab eis infirmitatis, aut debilitatis, seu aliquo quocunque tempore medicinas, potiones, seu vulnerum, aut cicatricum curationes, siue aliquod medelæ genus accipere non audeant. Et paulò post. Iudæi quoque & 4 Saraceni non possint esse arrendatores, collectores, conductores, seu locatores fructuum bonorum, vel rerum Christianorum seu eorum computatores, procuratores, œconomi, negotiorum gestores, negotiatores, mediatores, proxenetæ, concordatores, sponsalium, vel matrimoniorum tractatores, obstetrices, seu in domibus, aut bonis Christianorum aliquod opus exercere, vel cum Christianis societatem, officium, aut administrationem in aliqua communione, vel arte, seu artificio habere.

3 Nicolaus V. in eius Bulla. §. Necnon sancimus.

4 Ex eodem Nicol. V. ibidem §. Iudæi quoque & Saraceni.

Et horum quidem complura tradiderant Patres Concilij Basiliensis in 5 decreto de Iudæis, videlicet: Sacros insuper Canones renouantes, præcipimus tam diœcesanis, quàm Potestatibus secularibus, vt modis omnibus prohibeant, ne Iudæi aut alij infideles Christianos, aut Christianas in familiares seu seruientes, aut filiorum suorum nutrices habeant. Ac ne Christiani cum ipsis in eorum festiuitatibus, nuptijs, & conuiuijs, aut balneis, seu nimia conuersatione communicent, aut medicos, vel matrimoniorum proxenetas, seu aliorum contractuum mediatores de publico constitutos assumant, nec alijs publicis præponant officijs, aut ad gradus quoscunque scholasticos admittant, nec eis locentur prædia, vel alij reditus Ecclesiastici.

5 Sess. xix. §. Sacros insuper Canones.

Et cùm permulta ex ijs abusu, & transgressione exoleuissent, Paulus 6 Quartus Pontifex Maximus perpetua sua constitutione sanciuit, ne Iudæi cum Christianis ludere, aut comedere, vel familiaritatem seu conuersationem habere vllatenus præsumant; & vt sola 7 arte strazzariæ, seu cinciariæ, vt vulgo dicitur, contenti, aliquam mercaturam frumẽti, vel hordei, aut aliarum rerum vsui humano necessariarum facere; & qui ex eis medici fuerint, etiam vocati, & rogati ad curam Christianorum accedere, aut illi interesse nequeant. quam & in ea contenta quæcunque 8 Pius Papa V. suis litteris præinsertam approbauit, & innouauit, & 9 extendit vt suprà, derogans 10 indulto eisdem Iudæis super nonnullis capitibus in contrarium concessis à Pio Papa Quarto, & inter alia, quòd societatem cum Christianis super rebus ad annonam spectantibus inire, ac conuersationem cum eisdem Christifidelibus habere possent.

6 In sua Bulla. Cùm nimis absurdum. §. 1.

7 Extat declaratio quædam in Curia Vicarij Vrbis facta die xx. Maij 1566. per quondam Alfonsum Binarinum eius Vicesgerentem, deinde Episcopum Reatinum, & postea Camerinen. visa declaratione Vergilij Rosarij Episcopi Isclan. Vicarij Pauli Quarti in Vrbe, postea Card. Spoletan. die xx. Augusti 1555. & habito verbo, vt dixit, cum sanctissimo tunc D. Pio Papa V. & Card. Sabello Vicario, vt Iudæis infrascriptas artes exercere liceret, videlicet.

Merciariæ,
Aurificum, & Gemmariorum,
Ricamatorum, seu intertextorum,
Sartorum,
Cribanariæ,

Bastariæ,
Fabrilignariæ,
Baliserij,
Ferrarij, ac
Coriariorum,
Piscatorum
Conducendi, seu conduci faciendi ex partibus Orientis, vel Occidentis, tapetia, coramina, ciambellottos, & moccaianos, & stragulas ex bombace confectas.

Expressè tamen eis inhibito, ne in grano, hordeo, vino, oleo, & alijs rebus comestibilibus cuiuscunque generis tam vendendo, quàm emendo, & de illis mercaturam faciendo se intromitterent.

Quæ cum temporalis fuerit, & à Iudice in Vrbe facta per eorum obitum, & cessationem officij expirasse videtur, præsertim cùm nunquam fuerit in vsu, & ideo simpliciter attendendæ sunt constitutiones ipsorum Summorum Pontificum Pauli Quarti, & Pij Quinti confirmatæ ab alijs eorum successoribus Gregorio Decimotertio, & Clemente Octauo.

8 *In sua Bulla Romanus Pontifex §.1. &*
9 *Suprà hoc ipso tit. §.Idcirco curare.*
10 *Idem ibidem §. Non obstantibus.*

Sed & nouissimè Sanctiss. D.N. Gregorius XIII. 11 in suis litteris contra medicos Hebræos superiùs memoratis, editis in forma Breuis, tam Iudęos, qui aduersus mandata huiusmodi Apostolica committere audent, quàm Christianos, qui illos ad se accersunt, vel medendi licentiam concedunt, & viam ad delinquendum eisdem aperiunt coercere volens, prædictas prædecessorum suorum Pauli IIII. & Pij V. constitutiones auctoritate Apostolica similiter approbauit, confirmauit, & innouauit, ac inuiolabiliter obseruari mandauit, atque sua in perpetuum valitura constitutione eisdem constitutionibus, & pręceptis pro firmiori illorum obseruatione, addens, vniuersis vtriusque sexus Christifidelibus districtè inhibet, & interdicit, ne posthac Iudæos, vel alios infideles ad ipsorum Christianorum ægrotantium, & infirmorum curam vocent, seu admittant, aut vocari admittive faciant, concedant, vel permittant: Mandans propterea omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, & quibusuis Parochis, alijsve animarum curam habentibus, & exercentibus, sub pœna indignationis suæ, ac alijs arbitrio suo infligendis pœnis, vt dictas eius litteras in suis Ecclesijs, quæ in illis ciuitatibus, vel diœcesibus constitutæ sunt, in quibus Hebræi, vel alij infideles moram trahunt, quamprimùm ad eos perlatæ fuerint, & deinde singulis annis initio Quadragesimalis ieiunij publicent, aut publicari faciant, & quòd si quis post earum publicationem, etiam quomodolibet exemptus, ac cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ aduersus illa facere ausus fuerit, Sacramenta ei Ecclesiastica nullatenus ministrentur, nec etiam à regularibus exemptis, & sic decedens, Ecclesiastica careat sepultura.

11 *Sub Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Martij 1581. Pontificatus sui anno ix.*

Quæ quidem omnia Parochi ęgrotantibus significare apto tempore nō omittant, præsertim cùm Iudæum, vel infidelem medicum ab eis admissum esse cognouerint: & aliàs ipsi locorum Ordinarij contra huius mandati transgressores debita animaduersione procedant, Iudęosq. ipsos nibilominus iuxta Pauli, & Pij Pontificum pręd ictorum litteras contra illos editas pro earum transgressione puniant. Non obstantibus, &c.

Insuper Hebræi, præsertim mulieres, pigmenta, fucos, capillaturas non faciant, nec Christianis mulieribus præbeant, aut ministrent; neque eas huiusmodi vana, & lasciua conficere doceant.

Atque ad tollendam omnem consuetudinem publicam, & priuatam cum Iudæis, & ad occurrendum eorum blasphemijs, & seductionibus, in Vrbe varijs edictis, inhibitionibus,

nibus,& præceptis tempore præſertim,& mandato ſanctæ mem. Pij Papæ V.& deinceps ſuper compluribus capitibus prouiſum eſt, quæ ſeruanda ſunt, & alibi quoque imitanda.

Quemadmodum eſt illud, vt Iudæis vtriuſque ſexus 1 prohibeatur ſub grauibus pœnis, ne in Eccleſias, Capellas, & ſacras ædes, quę domus Dei ſunt, niſi accerſiti, aut aliàs iuſſi tempore prædicationis ad audiendum verbum Dei, vbi diuina officia ceſſauerint, ingrediantur: & tunc expleta prædicatione foras mittantur, ne diuinis interſint.

1 Vt olim in Vrbe præceptum fuit per Card. Vicarium ſel. rec. Pij Papæ Quinti, ſub die xx. Maij 1566.

Neve 2 ſub ſimilibus pœnis quouis prætextu, aut quęſito colore, ſine neceſſaria cauſa, & expreſſa Ordinarij, ſeu ſuperioris licentia, ad Monaſteria Sanctimonialium, & loca mulierum accedere præſumant; ſed inde perpetuò arceantur.

2 In eodem præcepto, ibi Monaſteria, &c.

Et prętereа 3 ne ſub eiſdem pœnis vllos Chriſtianos ſiue mares, ſiue fœminas in eorum ſcholas, & ſynagogas vllo modo admittant, aut ingredi, vel morari patiantur. Sed ſi quis Chriſti fidelis ad eas acceſſerit, illi omnino ingreſſum prohibeant, niſi de expreſſa Ordinarij licentia in ſcriptis obtenta; quam alicui viro pio, & docto pro eorum confutatione, vel conuerſione, aut alio bono fine idem Ordinarius aliquando duxerit concedendam.

3 In eodem præcepto §. Pariq. modo, & ſub eiſdem pœnis.

Ac alterum eiuſdem Pij V. 4 & ſucceſſorum mandato publicum edictum, quo ipſis Iudęis in Vrbe prohibitum fuit, & prohibetur, ne vlla ex cauſa, aut quęſito colore per ſe, vel alios, ſub remigij, & confiſcationis omnium bonorum pœnis, accedant, vel appropinquent ad domum Catechumenorum, & Neophytorum, neque ad Monaſterium Neophytarum, ad alloquendum Iudæos Catechumenos, & Chriſtianos fieri volentes, eosq. à bono propoſito ſubmouendos, ſiue ad eorum conſtantiam tentandam, ſiue ſubuertendam.

4 In præcepto, ſeu prohibitione Vicarij Vrbis die x. Iulij 1566. & edicto bo. mem. Gulielmi Card. Sirleti Protectoris, & deinde edicto Iulij Ant. Card. S. Seuerinæ.

De Matrimonijs.

DEcimotertiò, perpetuò inuigilandum eſt à Præſulibus, & Iudicibus Eccleſiaſticis, ne vnquam nefaria connubia, ſeu damnatæ potiùs commiſtiones inter fideles, ac Iudæos, aliosq. infideles vllo modo permittant, aut diſſimulent: ſed 5 iuxta ſacrorum Canonum ſanctiones, ſub priuatione communionis, & excommunicationis cenſura omninò prohibeant, ſoluant, atque acerrimè puniant contrahentes, ſeu taliter ſe commiſcentes. Nam & ſeculares leges per pios, Chriſtianosq. Principes promulgatæ diſtrictiùs hæc inhibuerunt; tum 6 ne quis Chriſtianam mulierem in matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudææ Chriſtianus coniugium ſortiatur, ſub adulterij, & capitali pœna: tum 7 ne ipſis Iudęis in alijs gradibus, quàm ſua lege permiſſis contrahere; neque plures vxores ſub vno tempore habere liceat: ſicut nec 8 iuxta ſacros Canones alijs infidelibus habere fas eſt.

Et ſi quando de facto contractum fuerit, illud ſanè inualidum, & 9 nullum fuit.

5 Cap. Caue. 28. q. 1. ex S. Ambroſ. in lib. 1. de Abraham Patriarcha cap. 9. Tomo 1. nouæ editionis, ſeu veteris, quarto (ibi, Caue Chriſtiane gentili, aut Iudæo filiam tuam tradere: caue, inquam, gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc eſt hæreticam, & omnem alienam à fide tua vxorem accerſas tibi.

Concilium Eliberinum cap. xv. Tomo 1. Conciliorum (vbi propter copiam puellarum gentilibus minimè in matrimonium dandæ ſunt virgines Chriſtianæ, ne ætas in flore tumens in adulterio reſoluatur animæ.)

Idem Concilium Eliberinum cap. xvj. (vbi prohibet hæreticis, & Iudæis dare puellas Catholicas) & cap. xvij. (vbi prohibet his, qui filias ſuas iunxerunt Sacerdotibus idolorum dari communionem, nec etiam in fine.)

Conci-

Concilium Arelatense primum cap.xj. Tomo 1. Concil. De puellis fidelibus, quæ gentilibus iunguntur, placuit, vt aliquanto tempore à communione separentur.

Concilium Aruernense cap.vj. Tom.2. Concil. & habetur apud Gratianum 28 q.1 cap. Si quis Iudaicæ prauitati (vbi, Si quis Iudaicæ prauitati iugali societate coniungitur, & seu Christiana Iudæo, siue Iudeus Christianæ mulieri consortio misceatur carnali; quicunque tantum nefas admisisse dignoscitur, à Christianorum cœtu, atque conuiuio, & à communione Ecclesiæ, cuius sociatur hostibus, segregetur.)

Ad idem Concil. Aurelianense ij. cap.xix. Tomo 2. Concil. (vbi similiter prohibetur, vt nullus Christianus Iudæam, neque Iudeus Christianam in matrimonio ducat vxorem, quia inter huiusmodi personas illicitas inquit nuptias esse censemus. Quòd si commoniti à consortio hoc se separare distulerint, à communionis gratia sunt sine dubio submouendi.) &

Concilium Aurelian. iij. cap.xiij. Tomo 2. (ibi, Christianis quoque omnibus interdicimus, ne Iudeorum coniugijs misceantur: quod si fecerint, vsque ad sequestrationem quisquis ille est communione pellatur.) &

Concilium Aurelianense iiij. cap.xxxj. Tomo 2. (vbi, inter alia propter quæ Iudæus amissione mancipiorum mulctatur, est si ipse Iudæus Christianam ancillam suam sibi crediderit sociandam.)

S. Augustinus de adulterinis coniugijs lib.1.cap.xxiiij. & habetur 32.q.8.cap.1. (vbi dicit, quòd fideli non licet ducere infidelem sub conditione, seu modo, vt fidem suscipiat.)

De quibus Concilium generale sub Innocentio Tertio de Iudæis cap. In nonnullis. in princ. & ibi gloss. in verb. Commistionis, & Magister Sentent. in 4.dist.xxxix. §. Post hæc.

Stephanus de Lycio, de Iudæis. §. Fideles cum Iudæis, & infidelibus non sunt coniugio sociandi, &c.

6 *L. Ne quis Christianam. C. de Iudæis.*

7 *L. Nemo. C. de Iudæis.*

8 *Cap. Gaudemus. §. Quia verò Pagani. de diuortijs.*

9 *Quia inter huiusmodi personas nuptiæ illicitæ esse censentur per dictum Concilium Aurelianense ij. cap.ix.*

Siue quia personæ sunt illegitimæ, vt dicunt
Magister Sentent. in 4.dist.39. littera A. & ibi
Albertus Magnus artic.1.
Riccard. artic.1.q.1. in conclusione.
Durandus q.1. vers. Quantum ad secundum. nu.8.

Siue quia matrimonium cum eis contrahi non potest, vt dicit S. Thomas ibidem q. 1. artic.1. in corpore, &
Rosella Impedimentum ix. de dispari cultu, quòd non potest cum eis esse matrimonium.

Et expressè dicunt Summ. Confess. tit.x. de dispari cultu q.1. quod est nullum.
Asten. lib.8. tit.xxj. de disparitate cultus, artic.1.q.1. quòd nihil faciunt.
Pisanella Impedimentum ix. de dispari cultu, in princ. quod est nullum.
S. Antonin. parte 3. tit.1. cap.6. de disparitate cultus, quod est nullum.
Et Abb. in cap. vlt. nu.5. de condit. appositis.

De Festis diebus.

DEcimoquartò, interdicendum quoque perpetuò est iuxta Canonica decreta Iudæis vtriusque sexus, ne 1 Dominicis, & de præcepto Ecclesiæ festis diebus apothecas apertas tenere, vel in publico operari, seu laborare, vel laborari facere præsumant.

1 *Concilium Toletanum xij. cap.ix. vers. Item, vt omnis Iudæus diebus Dominicis, & in prænominatis diebus ab opere cesset. &*

Patres Concilij Basiliensis sess. xix. in decreto de Iudæis. §. Sacros insuper canones. vers. Nec diebus Dominicis, & alijs solennibus festiuitatibus apothecas apertas tenere, vel in publico laborare præsumant. Et Paulus Papa Quartus in sua constitutione contra Iudæos. §. 1. ibi, Dominicis, vel alijs de precepto Ecclesiæ festis diebus in publico laborare, vel laborari facere, &c.

Idem vetitum reperitur in veteribus statutis Vrbis Romæ lib.3.cap.clix.§.1. (vbi, certa mulcta mandatur puniri Iudæum, vel Iudæam, qui ausus fuerit in die Dominico, & in Festiuitatibus Beatæ Mariæ Virginis publicè laborare; quam Senator auferre teneatur; & id banniri faciat; & accusator habeat medietatem pœnæ prædictæ.)

Decimo

Decimoquintò, summopere prouidendum est, ne nomen Domini blasphemetur inter Iudæos, & infideles. Quare Apostolica 1 constitutione præceptum est, vt seculares iudices Christiani Iudæos, vel Saracenos Deum, vel sanctissimam 2 Trinitatem, aut gloriosissimam beatam Mariam Virginem eius genitricem, vel aliquos Sanctos blasphemantes, aut in hoc quomodolibet delinquentes, pecuniaria, vel alia grauiori, de qua eis videbitur, pœna puniant, & corripiant; præterquàm in casibus ad officium Ordinarij, vel Inquisitionis pertinentibus, & contentis in constitutione Gregorij Papæ XIII. incip. Antiqua.

1 Nicolaus Papa V. in sua constitutione. §. Seculares quoque Iudices.

2 Id additum ex Concil. Toletano xvj. cap. ix. vers. Item de blasphematoribus sanctæ Trinitatis. Tomo 3. Concil.

Simili 3 quoque pœna blasphemiæ Iudæus & infidelis quicunque plectatur, qui Christum Dominum, Virginem matrem eius, aliquem Sanctorum, Sacramentum Eucharistiæ, siue quæcunque alia Sacramenta, vel ministeria, crucem, vasa sacra, ornamenta Ecclesiastica, seu quicquid aliud apud Christianos sacrum, aut religiosum, vel diuino cultui dedicatum reputatur, turpibus nominibus, aut in opprobrium, contumeliam, seu vituperium, vel contemptum sonantibus publicè, vel occultè Hebraica, vel alia lingua præsumpserit nominare.

3 Benedict. Papa XIII. in sua Bulla. §. Simili pœna.

Et tandem illis inter Christianos degentibus omnia illa prohibeantur, quæ vel in contumeliam Redemptoris, vel in perniciem Christianorum, vel in damnum conuersionis ipsorum quoquo modo redundare videntur.

De rebus sacris pignori non accipiendis.

ET quia 4 Iudæi contra crucem, vasa sacra, & alia Ecclesiastica ornamenta, & libros Ecclesiasticos, & Christianorum, non modò verbis blasphemis, & contumelijs agere, sed etiam factis impijs illudere solent, vt ab eis hæc occasio auferatur, prohibendum eis esse libros Ecclesiasticos, calices, cruces, & alia vasa sacra, & ornamenta sub pœna perditionis rei emere, aut pignori sub pœna amissionis pecuniæ mutuatæ accipere: imò 5 ne & libros quidem hos ligare; neve vasa sacra, vel ad sacrum ministerium dedicanda, ac ornamenta huiusmodi fabricare, facere, vel reparare, vel vt prefertur, causa pignoris recipere, aut retinere presumant; proposita etiam graui pœna in Christianos, qui aliquid predictorum Iudeis tradiderint, vel ab eis fieri curauerint. Ac Pius 6 Papa V. qui in suis litteris de exterminatione Iudeorum è toto dominio Ecclesiastico inter alias causas eorum expulsionis, dixerat, quòd essent furum, & latronum receptores, atque participes, qui quasq. res ab ijs surreptas, & interuersas, non modò profanas, sed etiam diuino cultui seruientes ne internoscantur, aut ad tempus supprimere, aut aliò transferre, aut omnino transformare conantur, deinde olim in Vrbe Iudeis sub priuationis à Synagoga, & grauissima pecuniaria, & alijs arbitrarijs 7 pœnis prohibuit, ne pannos, paramenta, & alia quæcunque bona mobilia Ecclesiarum pro vsu diuini cultus à quibusuis personis emere, vel emi facere auderent, vel præsumerent.

4 Ex Bulla Benedicti XIII. §. Et quia Iudæi contra crucem (vbi sic constituit.
Et quia Iudæi contra Crucem, vasa sacra, & alia Ecclesiastica ornamenta, & libros Christianorum nedum linguas suas hactenus in contumelias relaxare, sed etiam factis, & operibus contra ipsam consueuerunt temerè perpetrare. Nos vt Iudæis ipsis super hoc opportunitas auferatur, statuimus, vt Iudæo, qui, Crucem, calicem, vasa sacra, vel ad sacrum ministerium dedicanda, aliave ornamenta Ecclesiastica fabricare, facere, vel reparare, aut causa pignoris, vel aliàs recipere, vel retinere, vel libros Christianorum, in quibus nomen Iesu Christi, vel Beatæ Virginis Mariæ sit scriptum, ligare præsumpserint, per loci Diœcesanum Christianorum communio subtrahatur, donec ad eiusdem Diœcesani arbitrium satisfecerit competenter. Christianus autem, qui aliquid prædictorum pro arte, causa, vel in casu Iudæis superius interdictis, cuiquam Iudæo tradiderit, excommunicationis sententia eo ipso se nouerit innodatum.

Patres

Patres Concilij Basilien. in decreto de Iudæis. § Sacros insuper canones. vers. Prohibeantur etiam libros Ecclesiasticos, calices, cruces, & alia Ecclesiarum ornamenta sub pœna perditionis rei emere, aut pignori sub pœna amissionis pecuniæ mutuatæ, accipere.

5 Benedictus Decimustertius in sua Bulla citato §. Et quia Iudæi contra crucem vbi proximè.

6 Datis anno Incarnationis Dominicæ 1568. iiij. Kal. Martij, suprà citato.

7 In præcepto facto à Vicario Vrbis die xxj. Aprilis 1569.

Decimosextò, & postremò nosse oportet causas, & casus, in quibus Gregorius Papa XIII. in sua constitutione incipien. Antiqua Iudæorum improbitas, piè statuit, ac etiam declarauit Inquisitores hæreticæ prauitatis liberè procedere posse contra Iudæos, 8 videlicet

8 De quo Zanchinus in Tractatu de hæreticis cap. xxxvj. An & in quibus causis Inquisitor procedere possit contra Iudæos, & ibi in additionibus ad eum Camillus Campegius Episcopus Nepesinus.

1 Si quis Iudæus, aut infidelis in ijs, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit.

2 Si dæmones inuocauerit, consulueritve, aut eorum responsa acceperit, ad illosve sacrificia, aut preces ob diuinationem aliamve causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriusve rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obsequia præstiterit.

3 Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.

4 Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremve Dei non esse virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ ex se hereticæ sunt, vel hereticales dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.

5 Si cuiusuis 9 eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus à fide desciuerit, quamq. semel susceperat abnegauerit, vel ad Iudeorum, seu aliorum infidelium ritus, ceremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in heresim aliquam inciderit, aut qui, vt Christo fidem abneget, seu in heresim incidat opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodocunque præstiterit.

9 Concilium Toletan. xij. cap. ix. Tomo 3. Concil. ibi, nec à fide refugientes alibi transducant, & ne quilibet refugientes eos suscipiat.

6 Si quis Catechumenum, vel quemcunque ex Iudæis, aut infidelibus Deo inspirante ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nutu, verbo, facto, aut quocunque alio modo eius voluntatem, à fide, vel fidei instructione, aut à sacri Baptismi susceptione retrahere, auertere, & dehortari tentauerit; aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lauacro abluatur quouis modo impediuerit.

7 Si quis Apostatas, hereticosve scienter domi suæ acceptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicunque prebuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, seu associauerit, vel deducendos, seu associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces, comitesve illis adiunxerit, vel ne ab illis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant, fecerit. Quiq. dictos Apostatas, aut hæreticos scienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit.

8 Si libros hereticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos habuerit, custodierit, vel euulgauerit, vel in quæcunque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodauerit.

9 Si Christianos deriserit, redemptionisq. nostre hostiam salutarem in ara Crucis immolatam, Christum Dominum ludibrio, & despectui habens quandocunque, maximè verò in sacro Parasceues die agnum, siue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamq. conspuerit, seu quodcunque contra ipsam fecerit.

Si nu-

10 Si nutrices 1 Christianas contra sacrorum canonum statuta, diuersorumq́. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum sanctiones adhuc de facto retinuerit; aut eas retinens die qua sanctissimum Eucharistię Sacramentum sumpserint, lac, vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit.

1 Cap. Et si Iudæos. ex Innocent. III. de Iudæis. & refertur suprà eodem §. secundo. vers. Quare non immeritò.

In quibus casibus vniuersis, & singulis omnes prædictę prauitatis Inquisitores omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani Iudices in suis quemque locis perpetuò delegauit, vt super his contra Iudæos, atque infideles quoscunque simul, vel separatim prout in causis fidei iuxta sacrorum canonum formam, necnon officijs Inquisitionis huiusmodi constitutiones diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpæ modo, ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagra, 2 remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaq́. atrociora decernant, & aliàs de eis exempla edant, quæ sceleratos illos deterreant ab huiusmodi flagitijs in posterum admittendis.

2 Stephanus de Lycio, De Iudæis. §. Præsumentes baptizatos auertere, vbi refert, quod præsumentes baptizatos auertere, & à fide apostatare, publicis flagellis debent deputari, & ab eorum consortio simul & seruitio separari, 28. q. 1. cap. Iudæorum, &c.

Et hos quidem veteres canones, & sacras Apostolicas constitutiones non modò ab vniuersis 3 Iudæis, ac etiam Christi fidelibus seruari oportet, verùm etiam à Summis Romanis Pontificibus innouari expediret, vt 4 aliàs sæpiùs ab eis factum legimus.

3 Pius V. in Bulla de expellendis Iudæis infracitando loco, ibi, Cum eo tamen vt nostras, & prædecessorum nostrorum, aliasq. canonicas de eis constitutiones studeant obseruare.

Clemens Octauus similiter in Bulla de Iudæis expellendis, ibi, Vniuersis, & singulis Iudęis pręcipimus, vt ciuitatum prædictarum, in quibus pro tempore habitauerint, statuta fauorem Christianorum concernentia, necnon edicta Ordinariorum, & Magistratuum, pręcipuè verò nostras, ac prædictas Pauli, & Pij V. prædecessorum, & alias Apostolicas & canonicas, quæ circa ipsos Iudæos aliquid disponunt, constitutiones inuiolabiliter obseruent. Additio.

4 A Patribus Concilij Basiliensis sess. xix. in decreto de Iudæis, ibi, Sacros Canones renouantes. Et à

Nicol. V. in sua Bulla Super gregem Dominicum, in princ. ibi: Nos vt Iudæi, & Saraceni prędicti ac illorum fautores impij Christiani, pœnarum impositionibus territi, vereantur inantea in suos perniciosos vsus relabi, & Christi fideles in sua persistentes fidelitate constanter, non habeant propter illorum claudicare perfidiam, remedijs, quibus possumus, prout ex debito pastoralis officij tenemur præcauere cupientes, ac ad Orthodoxæ fidei Catholicæ corroborationem, & exaltationem, præsentis perpetuò valituræ, & irrefragabiliter obseruandæ constitutionis edicto, auctoritate Apostolica omnia, & singula, constitutiones, decreta, & decretales Epistolas prædicta, quorum omnium tenores, de verbo ad verbum, præsentibus haberi volumus pro insertis, innouamus: necnon sancimus, statuimus, & ordinamus &c.

Et infrà §. Et insuper. decreuit tam Christi fideles, quàm Iudæos, & Saracenos efficaciter teneri ad decretorum, & decretalium epistolarum, ac prædictorum, & præsentis suæ constitutionis omnimodam obseruationem. Et prosequitur vsque in finem.

Pio V. in sua Bulla super cōfirmatione, & renalidatione Bullæ sanctæ me. Pauli Papæ Quarti contra Iudæos, incipien. Romanus Pontifex Christi Vicarius. illa præinserta, sic subdit. Nos igitur cupientes vt constitutio, statuta, & ordinationes huiusmodi perpetuis futuris temporibus obseruetur: Motu proprio & ex certa nostra scientia &c. constitutionem, statuta, & ordinationes huiusmodi, & prout illa concernunt omnia, & singula in dicti prædecessoris litteris contenta, & inde secuta quæcunque auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus, innouamus, & confirmamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus, ac volumus, & sub interminatione diuini iudicij præcipimus, & mandamus ea omnia in posterum obseruari firmiter, non solùm in terris, & dominijs nobis subiectis, sed etiam vbique locorum &c.

Cuius innouationis, & extensionis ad quæcunque loca, meminit etiam Gregorius XIII. in suis litteris contra Medicos Hebræos, incip. Aliàs piæ memoriæ Paulus Papa Quartus in princ. Additio.

princ. & Clemens Octauus in constitutione, quæ incipit. Cæca, & obdurata Hebræorum perfidia, De Iudæis ex vniuerso statu Ecclesiastico expellendis.

Eodem Pio V. in Bulla Hebræorum gens sola quondam à Domino electa, &c. De Iudæorum exterminatione de omni dominio temporali S. R. E. dicit. Vrbe Roma, & Ancona dumtaxat exceptis, vbi eos solos Hebræos, qui nunc eas habitant &c. permittimus tolerandos: Cum eo tamen, vt nostras, & prædecessorum nostrorum, aliasq. canonicas de eis constitutiones studeant obseruare. Sin minus in pœnas omnes, quæ dictis constitutionibus continentur, quasq. ad hoc innouamus, eo ipso incidant. Et

Gregor. Papa XIII. in eisdem litteris, Aliàs piæ mem. Paulus Papa Quartus dicit: Supradictas prædecessorum nostrorum constitutiones auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus; atque hac nostra in perpetuum valitura constitutione eisdem constitutionibus & præceptis pro firmiori illarum obseruatione addentes &c.

Additio. *Sanctiss. D. N. Clemente Papa Octauo in Bulla seu constitutione de Iudæis ex vniuerso statu Ecclesiastico expellendis, incip. Cæca & obdurata Hebræorum perfidia. Ac proinde nos eorumdem Pauli, & Pij prædecessorum vestigiis inhærentes, primùm quidem eorum constitutiones, & litteras, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, harum serie approbamus, & innouamus, illisq. perpetuæ, inuiolabilis, & inconcussæ firmitatis robur adijcimus &c.*

Ac eodem Clemente Octauo in Bulla contra impia scripta, & libros Hebræorum incip. Cùm Hebræorum malitia. Adducti exemplo complurium Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum præsertim fel. rec. Gregorij Noni, Innocentij Quarti, Clementis Quarti, Honorij Quarti, Ioannis Vigesimisecundi, Iulij Tertij, Pauli Quarti, & Gregorij Decimitertij, qui sæpius impium illud Thalmud nuncupatum, & alia similia reprobata, & detestanda scripta, & volumina damnarunt, & retineri prohibuerunt, seu aliàs ex Christiani orbis Prouincijs, & Regnis pio zelo exterminarunt, omnes, & singulas eorundem prædecessorum super hoc editas litteras, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, harum serie approbantes, & innouantes, atque illis hæc addentes, omnibus, & quibuscunque Vniuersitatibus Hebræorum, eorumq. singulis tam in temporali S. R. E. ditione, quàm etiam extra eam vbiuis locorum, & in quibusuis Christiani orbis partibus constitutis perpetuò prohibemus ne &c.

Sed & 1 Paulus IIII. in sua constitutione voluit, vt etiam statuta Ciuitatum, terrarum, & locorum, in quibus pro tempore ipsi Iudæi habitauerint, fauorem Christianorum concernentia, inuiolabiliter obseruare teneantur.

Et quòd 2 si circa præmissa (scilicet contenta in eadem constitutione) in aliquo quomodolibet defecerint, iuxta qualitatem delicti per ipsum, seu eius Vicarium, aut alios à se deputandos, ac in ciuitatibus, terris, & locis prædictis per eosdem Magistratus etiam tanquam rebelles, & criminis læsæ maiestatis rei, ac à toto populo Christiano diffidati, ipsius, & ipsorum Vicarij, ac deputandorum Magistratuum arbitrio puniri possint.

1 *Ex Bulla Pauli Quarti incipien. Cùm nimis absurdum. vers. Et statuta ciuitatum, & ex*
Additio. *Bulla Clementis Octaui de expellendis Iudæis, ibi, Verùm his ipsis, quos in tribus tantùm prædictis ciuitatibus, &c.*

2 *Ex eodem Paulo Quarto ibidem.*

Quinimò priuilegia, & indulta Iudæis in contrarium ad tempus, vel in perpetuum concessa, & concedenda reuocari, & abrogari deberent fauore fidei Christianæ, vel etiam illis facilè derogari, vt 3 eos etiam sæpius fecisse constat.

3 *Patres Concilij Basiliensis vbi proximè.*

Benedict. XIII. in sua Bulla, Etsi Doctoris gentium. § Insuper licet Iudæis, & §. seq.

Nicol. Papa V. in sua Bulla vbi suprà, citato §. Et insuper. ibi, Nec vigore, seu prætextu quorumuis priuilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, concessionum, & indultorum eis quomodolibet, & à quibuslibet concessorum, ab obseruatione prædicta valeant aliquatenus se tueri, omnia, & singula priuilegia, exemptiones, libertates, immunitates, concessiones, & indulta per fel. rec. Martinum Papam V. Eugenium Quartum, cæterosq. prædecessores nostros Rom. Pont. & alios quoscunque quibusuis Christi fidelibus, ac eisdem Iudæis, & Saracenis in specie, & in genere sub quibusuis verborum formis etiam Motu proprio, & sub quacunque forma, vel expressione verborum contra præmissa, vel eorum aliquod quomodolibet facta, vel concessa &c. pro sufficienter expressis haberi volumus:

necnon quæcunque inde secuta eadem auctoritate cassamus, reuocamus, & annullamus, ac nullius decernimus esse roboris, vel momenti &c. vbi vniuersos Prælatos Ecclesiæ & Principes, & Nobiles seculares in Italia commorantes cuiuscunque status &c. obsecrat in Domino, eisq. in remissionem peccatorum suorum iniungit, vt & ipsi decreta, decretales epistolas, & constitutiones prædictas obseruent, & per eorum tam Christianos, quàm Iudæos, & Saracenos subditos faciant inuiolabiliter obseruari. Et nihilominus vtriusque sexus fidelibus, ac Iudæis, & Saracenis prædictis præsentibus, & futuris præcipit, & mandat, quatenus infra quindecim dies post publicationem suarum litterarum, omnia, & singula decreta, decretales epistolas, & constitutiones prædictas & in illis, & præsentis constitutionis suæ litteris contenta obseruare incipiant, & obseruent cum effectu, nec de cętero vllo vnquam tempore &c.

Et post multa, Fratrem Ioannem de Capistrano Ordinis Minorum professorem omnium prædictorum executorem eadem auctoritate Apostolica deputauit, instituit, & ordinauit &c. & §. Non obstante fel. rec. Gregorij Papæ IX. quæ incipit, Ex speciali, alijsq. constitutionibus &c.

De qua abrogatione, & reuocatione meminit Magister Stephanus de Lycio in Opusculo de Iudæis, deq. eorum cum Christianis consuetudine. § Cæterum, vbi dicit, Cęterum, quia Iudæi possent se iure defendere, & excusare, quòd multa sunt eis indulta, decretis, & nouis constitutionibus Summorum Pontificum simul & Impp. fortasse etiam Regum: extat constitutio Nicolai, quæ incipit. Ad perpetuam rei memoriam. Super gregem Dominicum, quæ sanè decreta, indulta, priuilegia &c. eis concessa reuocat, & annihilat. Hæc autem constitutio sic de verbo ad verbum sonat. Et subijcit illius tenorem.

Paul. III. in suis litteris Cupientes Iudæos. in fine.

Paul. III. in præcitata Bulla, Cum nimis absurdum, & inconueniens §. Non obstantibus, &c.

Pius V. in Bulla Romanus Pontifex. confirmationis, & reualidationis illius Pauli Quarti. §. Non obstantibus omnibus, quæ idem Paulus prædecessor in supradictis litteris voluit non obstare, priuilegijs quoque indultis, &c. & in Bulla, Hebræorum gens sola quondam à Domino electa. De Iudæorum exterminatione à Domino Ecclesiastico. §. Non obstantibus prædictis, ac constitutionibus &c.

Gregor. XIII. in sua Bulla, Antiqua Iudæorum improbitas. §. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon exemptionibus, priuilegijs, immunitatibus &c. etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumcunque aliorum Principum tam per fel. rec. Paulum III. x. Kal. Martij, & Iulij etiam III. Nonis Decembris, tertio anno sui cuiusque Pontificatus; quàm etiam quoscunque alios anteriores, & posteriores Rom. Pont. ac nos, & Sedem Apostolicam, eiusq. Legatos, ac etiam Cameram Apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis etiam Motu proprio, & aliàs quomodocunque hactenus concessis, confirmatis, & innouatis, atque in posterùm concedendis, confirmandis, & innouandis. Quæ omnia, etiam si de illis, illorumq. totis tenoribus specialis &c. tenores huiusmodi &c. harum serie specialiter & expressè reuocamus, abrogamus, & omninò abolemus, cæterisq. contrarijs quibuscunque.

Et idem Gregor. XIII. in litteris in forma Breuis contra Medicos Hebræos, incip. Aliàs piæ mem. Paulus Papa IIII. §. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ ijdem Paulus, & Pius in suis litteris prædictis voluerunt non obstare. Priuilegijs quoque, indultis, &c. (vbi similiter derogauit.)

Clemens VIII. in Bulla, quæ incip. Cæca, & obdurata Hebræorum perfidia. de Iudæis ex vniuerso statu Ecclesiastico expellendis §. 1. vbi dicit: Deinde verò vsu, & re ipsa edocti, quæ eisdem Iudæis præter illorum formam pia, & benigna eorum, qui secuti sunt prædecessorum nostrorum indulgentia permissa fuerunt, ea, vt sperabatur, minimè profuisse, quinimo contra mentem concedentium malitia Iudęorum in damnum Christifidelium retorta extitisse, omnia, & quæcunque, si quæ forsan à similis memoriæ Pio IIII. Sixto V. & alijs Rom. Pont. prędecessoribus nostris, siue de eorum, vt asseritur, mandato, in fauorem eorundem Iudæorum tam in Alma Vrbe tantum, quàm in quibusuis alijs ditionis temporalis Ecclesiasticæ ciuitatibus, terris, oppidis, & locis degentium, etiam super hoc ipso, vt vbilibet commorari eis liceat, in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, vel sub prætextu causæ, & tituli onerosi, etiam vim contractus inducentis, aut aliter concessa dicuntur, priuilegia, permissiones, indulta, aut capitula, quorum etiam omnium, & singulorum tenores pro expressis, ac ad verbum insertis habemus, in ea parte, qua prædictis eorundem Pauli IIII. & Pij V. prædecessorum, necnon præsentibus nostris litteris aduersantur, aut vltra illas aliquid concedunt, harum serie reuocantes, cassantes, abolentes, & annullantes, irritaque, cassa, & nulla Additio.

decernentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione præcipimus, & mandamus, vt omnes, & quicunque Iudæi vtriusque sexus &c.

Et infrà §. Non obstan. præmissis, necnon quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis &c. (vbi derogat in forma.)

Idem Clem. VIII. in Bulla, Cùm Hebræorum malitia, &c. contra impia scripta, & libros Hebræorum. vbi similiter concessa reuocauit, & eis derogauit. §. Omnes verò, & quascunque facultates, litteras, permissiones, indulta, tolerantias legendi, tenendi, etiam ad tempus certum, vel incertum, vel ad effectus prædictos, & sub similibus, vel alijs prętextibus quæcunque, vt præfertur, prohibita scripta, volumina, libros, & alia supradicta quibusuis Iudæis in genere, vel in specie à prędecessoribus nostris, & dicta Sede Apostolica, seu eius Legatis etiã de latere, vel Nuntijs, aut Inquisitoribus hæreticę prauitatis, aut locorum Ordinarijs, vel quibusuis alijs quauis dignitate, vel auctoritate fungen. etiam S.R.E. Cardinalibus, eiusque Camerario, seu Camera prędicta sub quibusuis verborum formis, & conceptionibus, & quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs clausulis, ac vim contractus inducentibus, irritantibusq. & alijs decretis etiam Motu proprio & ex certa scientia, deq. Apostolicę potestatis plenitudine, seu ad quorumcunque Principum etiam Regali, Ducali, vel alia quacunque præeminentia fulgentium, vel eorum intuitu concessas auctoritate, & tenore prę missis reuocamus, irritamus, & annullamus, ac pro reuocatis, irritis, & penitus infectis in perpetuum haberi volumus &c.

Et similiter infra §. Non obstantibus prę missis, necnon constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis &c. specialiter, & expressè derogauit.

Cùm infideles, prę sertim verò Iudæi, valde dediti sint superstitionibus, sortilegijs, & diuinationibus, etiam sub falsis cabalisticę artis commentis, quibus Christianorum simplicitatem plerunque corrumpunt, & labefactant; ac ex ea etiam causa Christianis omnis eorum familiaritas vitanda sit: Idcirco & ipsis Iudæis sub grauibus pœnis prohibendum est, ne huiusmodi diuinationes, & sortilegia, & incantationes faciant, neque ipsi inter seipsos, neque cum Christianis ea exercere præsumant.

DE

DE OBSERVANDIS A PAROCHO cùm Sacramentum Confirmationis per Pontificem ſolenniter adminiſtrantur.

SAcramentum Confirmationis, Baptiſmi Sacramento maximè coniunctum eſt: Nam ſicut per Baptiſmum, accipit homo ſpiritualem vitam, qua Deo regeneratur; ita per Confirmationem robur accipit, & augmentum, quo in eadem vita ſpirituali quaſi ad perfectam quandam perducitur ætatem. Et quemadmodum Baptiſmi gratia ad mentem fide informandam indigemus; ita etiam gratia Confirmationis adiuti, eandem fidem firmiter retinemus, & viriliter contra hoſtium, & tentationum impetus defendimus; vt nullo pœnarum, aut ſuppliciorum, aut mortis metu à ſuſceptæ fidei confeſſione deterreamur.

Parochum igitur diligentem eſſe oportet, tum in primis in Sacramenti Baptiſmi miniſterio, quod propriè ad muneris ſui executionem pertinet, tum etiam in Sacramento Confirmationis. Nam licet ſolis Pontificibus tanquàm ſpiritualis ædificij architectis Sacramenti huius adminiſtratio reſeruata ſit, ipſe tamen partes ſuas in eo pręſtare debet, vt fideles ſibi commiſſi exhortationibus, & præmonitionibus inſtructi, illud dignè, & cum deuotione ſuſcipiant.

Cum primùm itaque cognouerit Confirmationis Sacramentum ab Epiſcopo ſolenniter in Eccleſia miniſtrandum eſſe, Dominico, aut feſto, aut aliquo opportuno die præcedente, plebem ſuam præmoneat; vt ſi qui ſunt confirmandi ad illud ſuſcipiendum ſe præparent; eosq. doceat quęnam ſit huius Sacramenti dignitas, ac neceſſitas; quęnam virtus, & vtilitas: ac proinde moneat, vt tantam gratiam ſibi propoſitam, atque vberrimos huius Sacramenti fructus conſequi non negligant.

Curet, vt qui confirmati non ſunt, confirmari non differant, & vt eorum parentes, conſanguinei, & alij ad quos ſpectat, dent operam, ne id prętermittatur.

Cumq. in hoc Sacramento quemadmodum in Baptiſmo, & Ordine character imprimatur, eos qui illud ſemel ſuſceperunt, nulla ratione iterum confirmari patiatur.

Verùm qui non meminerint, ſe vnquam fuiſſe confirmatos, ſi pręteriti temporis memoriam perſcrutantes, adhibitis parentibus, conſanguineis, aut tutoribus, alijsve idoneis perſonis, nihil certi ea de re compererint, confirmari debent: cùm non intelligatur iteratum, quod factum eſſe neſcitur.

Declarabit adultis ad hoc Sacramentũ præuia peccatorum ſuorum Sacramentali confeſſione accedendum eſſe, vt digniùs illud ſuſcipiant, & Spiritus ſancti gratiam, quæ in eo confertur, faciliùs aſſequantur.

Ac vt maiori cum deuotione ſe pręparent, eoſdem moneat, vt pridie illius diei, quo confirmandi ſunt, niſi ſolennitas feſti impediat, ieiunent, vtq. non niſi itidem ieiuni hoc Sacramentum cùm mane miniſtrari contigerit, ſuſcipiant.

Curet pręterea, vt adulti memoria teneant orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & pręcepta Decalogi.

Omnes inſuper confirmandi, mundo ſint capite, & aperta fronte, ne ſacra vnctio ſordibus commiſceatur, aut capillis illinatur.

Singuli deferant Chriſmale, aut lineam vittam, ſeu faſciolam mundam, quę circa frontem retineatur donec exſiccetur Chriſma, & deinde à Parocho vel alio presbytero, ſeu clerico in ſacris conſtituto, ab ipſo Parocho deſignato ſoluatur, & comburatur in Sacrario, vel in ſimilem vſum reſeruetur, vt ſuprà de Alba baptizatis impoſita, in ordine Baptiſmi paruulorum dictum eſt.

Decet autem vt confirmati per ſeptem dies ob ſacri Chriſmatis reuerentiam, à capitis, & frontis lotione abſtineant.

Inſuper curet vt ſinguli confirmandi ſchedulam deferant ad Epiſcopum, in qua ipſius confirmandi nomen, & cognomen, parentum item, patrini, aut matrinæ, ac propriæ parochiæ nomina deſcripta ſint; quæ deinde ſchedulæ ab Epiſcopo poſt Confirmationem ad ſingulos confirmatorum Parochos remiſſæ, deſcribantur in libro ad id parato, qui diligenter aſſeruetur à Parocho, ſicut & liber baptizatorum, vt de ipſa Confirmatione, & cognatione ſpirituali ex ea contracta aliquando conſtare poſſit.

Docebit in hoc Sacramento vnum tantùm patrinum, & vnam tantùm matrinam iuxta ſacrorum Canonum decreta adhiberi debere: necnon ex huiuſmodi Confirmatione cognationem ſpiritualem contrahi inter confirmantem, & confirmatum, illiusq́. patrem, & matrem, ac inter patrinum, vel matrinam, & ipſum confirmatum, & confirmati patrem, & matrem.

Infans confirmandus dextero patrini, ac matrinæ brachio ante Epiſcopum confirmantem teneatur. Adultus verò pedem ſuum ſiniſtrum ſuper dexterum pedem patrini ponat, aut aliquo alio modo ſuſtineatur. qua ſola tentione ſeu tactu, non autem ligando, aut ſoluendo, aut tangendo faſciolam capitis, nec abſtergendo, aut lauando, aut tangendo frontem, neque alio quouis pacto, cognatio in hoc Sacramento contrahitur.

Patrinus non ſit qui non eſt confirmatus: poterit tamen aliquis priùs confirmari, & poſtea alium tenere.

Decet vt maſculus maſculum, fœmina fœminam, maior natu minorem, non è contrario teneat; niſi aliud neceſſitas poſtulauerit.

Caueant parentes, aut coniuges ne proprios filios, aut ſe ipſos inuicem ſuſcipiant: proximiores etiam conſanguineos minimè conuenit in patrinos admitti; neque eum qui ſemel in Baptiſmo eidem fuit adhibitus in patrinum, niſi neceſſitas, aut vtilitas aliud expoſcat.

Nemo eodem die, niſi vnius, aut alterius ad ſummum patrinus fiat, præterquam vbi raritas fuerit eorum, qui in Confirmatione tenere poſſint, aut aliud ob aliquam cauſam Epiſcopo videatur.

Cętera quæ de patrinis circa Baptiſmi Sacramentum ſuperiùs expoſita ſunt, in hoc itidem Sacramento obſeruentur.

Moneat Parochus, vt tam confirmandi, quàm patrini, & adſtantes omnes, quando Sacramentum hoc miniſtrabitur, cum ſilentio in Eccleſia, & cum deuotione ſe gerant.

Mares ex vna parte, fœminæ ex altera. Mulieres velato capite, & abiectis ſuperfluis ornamentis, viri in habitu modeſto accedant, & vbi commodè fieri poteſt, primùm mares, deinde fœminæ Epiſcopo offerantur.

Nemo ex confirmatis ante Epiſcopi benedictionem, niſi ob cauſam neceſſariam, ab Eccleſia diſcedat, ſed vbi toto die protenditur Confirmatio, Epiſcopus repetat benedictionem.

Et cùm Pontifex orat, ſiue ante, ſiue poſt Confirmationem, omnes genibus flexis, & manibus ante pectus ſimiliter orent.

Moneat item parentes ſeu proximiores conſanguineos infantum, qui confirmati ſunt, vt ſæpe illis in memoriam redigant, ipſos fuiſſe confirmatos, ne poſtea cùm adoleuerint, ex obliuione iterum eos confirmari contingat.

Curet præterea, vt ij, qui matrimonio iungendi, vel Religionem ingreſſuri ſunt, ſi nondum confirmati fuerint, antequam matrimonium contrahant, vel Religionem ingrediantur, confirmentur.

Et vt gratiæ huius Sacramenti vnuſquiſque quantum fieri poteſt particeps fiat, Parochus infirmos viſitans, ſi quem inuenerit graui morbo laborantem, ſacrę Confirmationis charactere nondum inſignitũ, id ſignificabit Epiſcopo, ſi tum adſit in Diœceſi, vt ipſe poſtea, vel confirmet, vel ab alio Epiſcopo eum confirmari curet, vel quid ſibi ea in re opportunè faciendum eſſe videatur pro ſua pietate prouideat.

DE INSTRVENDIS PER PAROchum ordinandis tempore generalium ordinationum.

QVamuis Ordinis 1 Sacramenti curatio & administratio ad solos spectet Episcopos; nihilominus tamen Parochi suos subditos seu Parochianos, qui initiari debent, de necessarijs rebus diligenter edocebunt.

Primùm Parochi 2 instruere debent ordinandos sibi subiectos de numero & qualitate Ordinum, eos videlicet septem esse,

quatuor minores,
Ostiariatus,
Lectoratus,
Exorcistatus,
Acolythatus:
& tres maiores seu sacros,
Subdiaconatus,
Diaconatus, &
Presbyteratus.

Quos omnes præcedit prima Tonsura, quæ licet propriè inter Ordines non connumeretur; est tamen via & dispositio ad Dei cultum & ad Ordines suscipiendos.

Deinde 3 tempora generalium ordinationum esse sex in anno, quatuor sabbatis quatuor temporum, & 4 sabbato Sitientes ante Dominicam Passionis, & Sabbato sancto Paschæ.

Et in his 5 tantùm temporibus sacros Ordines conferri posse, nisi speciali priuilegio aut rescripto sanctæ Sedis Apostolicæ aliter indulgeatur, vt extra huiusmodi tempora præscripta quis ordinari possit.

Sed 6 Clericatum seu primam Tonsuram quacunque die, hora & loco conferri posse extra ordinationes generales.

Minores 7 verò Ordines similiter extra generales ordinationes & Missarum solennia conferri posse omnibus diebus Dominicis & festis duplicibus vbicunque, mane tamen; & 8 dummodò non videatur teneri generalis ordinatio.

Prima 9 Tonsura non esse initiandos,

Qui Sacramentum Confirmationis non susceperint,
Et fidei rudimenta edocti non fuerint;
Quiq. legere & scribere nesciant;
Et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non secularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent hoc vitæ genus elegisse.

Ad 10 minores autem Ordines promouendos præter hæc bonum à Parocho, & Magistro scholæ in qua educantur testimonium habere debere.

Atque vt 11 eò accuratiùs quantum sit huius disciplinæ pondus possint edoceri, minores Ordines ijs, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia; nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, conferri debere; ac in vnoquoque munere iuxta præscriptum Episcopi se exercere, idq. in ea, cui ascripti erunt Ecclesia: nisi fortè causa studiorum absint, atque ita de gradu in gradum ascendant.

Ac ita singuli Ordines minores singillatim per temporum interstitia conferendi sunt; nisi aliud Episcopo expedire magis videatur: & tunc etiam omnes quatuor simul, siue vno 12 die conferri possunt.

Hos verò 13 nonnisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum, ad sacros Ordines promoueri posse, nisi necessitas aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.

Ac 14 præterea nullum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimumsecundum; ad Diaconatus, ante vigesimumtertium; ad Presbyteratus, ante vigesimumquintum ætatis suæ annum promoueri posse: nec singulos in ea ætate constitutos ad hos Ordines assumi debere; sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit, & per temporum interstitia præscripta, iuxta decreta sacræ generalis Synodi Tridentinæ.

Sed vt ipsi 15 Parochi de ijs & alijs impedimentis rectum iudicium ferre possint, sciant summatim, qui generaliter à sacris canonibus ordinari prohibeantur, seu ab ordinatione repellantur, videlicet.

Minores natu,
Sacramento Chrismatis non confirmati,
Rudes & ignari,
16 Criminosi,
Solenniter pœnitentes,
Neophyti,
Ebrietati & gulæ dediti,
Impudici,
Lapsi post Ordinem susceptum,
Periuri,
Vsurarij manifesti,
Infames,
Ratiocinijs obligati,
Serui,
Corpore vitiati,
Insigniter deformes,
Illegitimè nati,
Peregrini & ignoti,
Bigami,
Irregulares quouis alio modo.
Suspensi,
Interdicti,
Excommunicati,
Amentes,
Morbo caduco laborantes,
Energumeni
Non examinati & probati,
Furtim seu per saltum promoti.

Parochi igitur Dominico die antecedente tempora supplicationes & litanias intra vel extra Ecclesiam per circuitum vnà cum Christifidelibus habere debent, vt Episcopus Spiritu sancto illustretur ad dignos deligendos & ordinandos.

Ac in primis edocere ordinandos à proprio 17 Episcopo Ordines suscipere debere; nisi ægritudine is fuerit impeditus: & 18 tunc non aliter quàm iam probati & examinati ad alium Episcopũ ordinandi cum suis litteris testimonialibus dimittantur.

Et curare, quoad poterunt, ne quis Clericus sine canonica dispensatione extra tempora vel ante ætatem, vel sine dimissorijs ad Ordines sacros promoueatur.

Ac publicare aliquo die ordinationem antecedente, vel alio opportuno, constitutionem Pij Papæ II. incip. Cùm ex sacrorum Ordinum collatione character inuisibilis animæ imprimatur &c. contra malè promotos ad sacros Ordines, scilicet ante ætatem, extra tempora, vel sine dimissorijs, qua contra facientes suspendit, eosque postea in susceptis Ordinibus ministrantes irregulares & beneficijs priuari posse declarat.

Parochus curare debet, vt qui militiæ clericali ascribi vult, frequens sit in Ecclesia & videat quæ sint clericorum ministeria & functiones.

Debet Parochus vel Sacerdos, cuius curæ promouendus commissus sit, de illis omnibus admonere diligenter, quæ ad ipsius vocationem pertinent.

Debent Parochi pueros præsertim pauperes & bonæ indolis, qui clericali charactere insigniri cupiunt, vel alios Ordines suscipere, litteris instruere, de dignitate clericorum & Sacerdotum admonere, & omnino ad Ecclesiasticæ vitæ normam accuratè erudire, & postea Episcopum de moribus, de studijs & de progressibus eorum certiorem reddere.

Debet Parochus diligenter à viris spectatæ probitatis & vitæ inquirere de eorum, qui prima Tonsura aut Ordinibus sacris sunt initiandi natalibus, ætate, vita & moribus.

Parochus non debet testificationem ab illis inquirere, quos clerici suæ vitæ testes attulerint; sed, si fieri potest, ex officio ab alijs probis & laudatis viris.

Parochus debet litteras, quibus atteſtatio ac inquiſitio ſuper vita & moribus ordinandorum fideliter receptas continetur, ad Epiſcopum vel eius Vicarium ſiue Officialem, qui commiſit, mittere clauſas & benè obſignatas.

Ad officium etiam Parochi pertinet certiorem reddere Epiſcopum de ordinandi vita & moribus, & an ſperari poſſit illum in clericalis Ordinis diſciplina permanſurum.

Videat Parochus & dicat Epiſcopo, an qui ordinandus eſt, poſt primum Ordinem, clericalem geſtauerit habitum, frequenter ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerit, & pueros fidei Chriſtianæ rudimenta docuerit.

Debet Parochus primo die Dominico vel feſtiuo poſt edictum de tempore generalis ordinationis ab Epiſcopo promulgatum, idem illud ipſe in Eccleſia ſua publicare, vel aliàs iuxta Epiſcopi mandatum ſignificare ſiue inſinuare.

Ac eodem die [19] Dominico vel feſtiuo, quo huiuſmodi edictum fuerit promulgatum ſeu publicatum, vt ſuprà, curet Parochus publicè fieri proceſſionem in Eccleſia intus & extra per circuitum, ſignificata priùs populo cauſa propter quam ipſa proceſſio habetur, nempe vt omnes pro proximè ordinandis Deo preces fundant, vt Dei obſequio & proximorum ſaluti ſint perpetuò profuturi.

Parochus teſtimonium de functionibus alicuius clerici facturus, exprimat verè & ſpeciatim quæ fuerint, quàm diligenter, quàm piè, quàm decenter, rectè, riteque, & quanto tempore per eum factæ atque ſeruatæ.

Admoneantur [20] duos ſacros Ordines eodem die etiam Regularibus non licere ſuſcipere, nec ab Epiſcopo conferri, non obſtantibus quibuſuis priuilegijs & indultis.

De illegitimis, [21] ſciant ad minores Ordines, & ad ſimplex beneficium ab Epiſcopis diſpenſari poſſe; ad maiores autem & ad curatum minimè ordinari, niſi de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Et quando illegitimum ordinari contingit, videantur & legantur litteræ diſpenſationis.

Quòd [22] ordinandi ſe præſentare debeant mane in Eccleſia cum habitu & tonſura, clerici in minoribus ſuperpelliceo, cęteri verò ſacris veſtibus & paramentis ſuo Ordini conuenientibus induti, cum candelis in manu dextra accenſis. Et cùm à Notario ſeu Cancellario Epiſcopi nominantur, ſinguli reſpondeant Adſum; & accedant ad locum ordinationis ſecundum ordinem deſcriptionis.

Ac [23] vt ſeriò tangant & accipiant inſtrumenta, quibus Ordinum collatio deſignatur.

Et præterea antea confeſſi peccata ſua, præſertim qui ſacris initiantur, parati ſint ſacram accipere communionem.

Et qui in Presbyteros aſſumuntur, etiam cum Epiſcopo ordinatore concelebrare.

1 *Manuale Salisburgen. De Sacramento Ordinis, cap. iiij. in princ.*
2 *Idem Manuale citato cap. iiij. §. 1. Primùm inſtruere debent.*
3 *Pont. Rom. vetus impreſſum in rubr. de Ordinibus conferendis. §. Tempora etiam ordinationum.*
Pontificale reformatum ibidem §. Tempora ordinationum.
Manuale Salisburgen. vbi ſuprà §. 2. Deinde docendi ſunt.
4 *Cap. iij. de temp. ordinat.*
5 *Cap. j. ij. & iij. De temporibus ordinat. & cap. Ordinationes, ſiue vlt. diſtinct. lxxv.*
6 *Pont. Rom. vtrumque vbi ſupra.*
Manuale vbi ſuprà.
7 *Pontific. vtrumque vbi ſuprà.*
Manuale Salisburgen. vbi ſuprà.
8 *Dicto cap. iij. De temp. ordinat. ibi, vnum aut duos ad minores Ordines promouere. & ibi gloſſ. in verb. aut duos. &*
Manuale Salisburgen. §. Deinde docendi ſunt, ibi, dummodò non videatur teneri generalis ordinatio.
9 *Concil. Trident. ſeſſ. xxiij. de reform. cap. iiij.*
Pont. Rom. reformat. §. Prima tonſura.
10 *Idem Concilium ibidem cap. v.*
Pont. Rom. reform. §. Ad minores Ordines.
Manuale Salisburgen. §. Moneantur præterea.

Idem

11 *Idem Concilium Trident. ibid. cap. xj.*
Pont. Rom. reform. §. Minores ordines.
12 *Cap. De eo. & ibi glossa, & Doct. de temp. ordin.*
13 *Concil. Trident. ibidem eodem cap. xj.*
Pont. Rom. reformatum eodem §. Minores ordines.
14 *Concil. Trident. eadem sess. xxiij.*
Citato cap. xj. xij. xiij. & xiiij.
Pont. Rom. reformat. §. Nullus ad Subdiaconatus.
Manuale Salisburgen. cap. iiij. in pluribus decretis.
15 *Gratian. distinct. xxv. vsque ad distinct. lv. vbi disserit de iij. praeceptis Regulae Apostolicae circa ordinandos 1. ad Timoth. 3. A. & ad Titum 1. B.*

Pontific. Vatican. ij. in princ.

Quando Episcopus ordinationem facere disponit, praecipere debet Archidiacono quòd examinet ordinandos: absente verò Archidiacono praecipiat hoc alijs, quos eliget de latere suo, & in vtroque casu ipsemet hoc faciet si vult etiam post examinationem factam per alios, quia non est sub eis, sed super.

Porrò discutiendi sunt ordinandi sigillatim de patria, de natalibus, de conditione personae: quia non est ordinandus quis in presbyterum ante vigesimumquintum annum; nec in Diaconum ante vigesimum, nec in Subdiaconum ante quintumdecimum; nec promouendus ad minores Ordines ante septimum. Sicut etiam discutiendi de integritate membrorum, ne sit in eis debilitas, deformitas vel impotentia, palpata, considerata, & numerata tota eorum facie, videlicet oculis, auribus, & naribus. Item & alijs membris singulis, videlicet manibus & digitis earum. Item pedibus, si opus fuerit discalceatis, ne forte sint lignei. Item & toto corpore, ne sit ordinandus gibbosus, tortus, vel nimis claudus. Examinari etiam debent de integritate carnis, ne sint bigami aut viduarum mariti; de moribus & vita, de fide, de litteratura in legendo, construendo, & cantando. De ordine in quo sunt constituti, & à quo & quando illum receperunt, & de titulo ad quem sunt promouendi.

Deinde exponat Episcopus omnibus communiter quales esse debent ordinandi per xiij. capitula Regulae Apostolicae quae vult, vt ordinandus sit irreprehensibilis, non plurium vxorum, vir sobrius, prudens, ornatus, pudicus, hospitalis, Doctor, non vinolentus, non percussor sed modestus, non litigiosus, non cupidus, suae domui benè praepositus, non Neophytus.

Exponat insuper quomodo sunt crimina, irregularitates, & defectus, quorum quaedam impediũt promouendos; quaedam verò deijciunt iam promotos: quae ipsi tenentur ante ordinationem suam prodere. Maximè autem illa, quae etiam post peractam poenitentiam Ordinis executionem impediunt, vt sunt excommunicatio, suspensio, homicidium, Simonia, bigamia, illegitimitas, & quaelibet irregularitas & omne crimen enorme, & quodlibet notorium: Alioquin deponendi essent sic ordinati. Et moneat eos id videre, vt non damnabiliter, sed dignè accedant, hoc est vero corde, munda conscientia, sine omni culpa & sine omni infamia, vt possint non solùm praeesse, sed etiam prodesse. Cùm enim ad hoc eligantur vt cęteris praesint, sicut praeordinantur dignitate sic praeeminere debent sanctitate. Conscientia ergo sua vnumquemque conueniat, scientes quòd tutius est eis in inferiori ministerio deseruire, quàm laesa, vel etiã scrupulosa conscientia ad superiores ascendere, maximè quia non in sublimitate graduum sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei. Demum in Ecclesia omnibus praesentibus publicè ad cautelam absoluat eos, quos dignos inuentos ordinare voluerit ab omni excommunicationis vinculo, & cum eis super omni irregularitate dispenset, quatenus videlicet & in quibus potest secundum Dominum & canones: sicq. in nomine Domini in ordinationem eorum secundum Ordinarium suum faciendam procedat, confirmatis priùs in fronte ordinandis, qui confirmati non essent.

Haec habeantur ad ordinationes parata.

Pro Ostiarijs, Claues Ecclesiae.
Pro Lectoribus, Liber lectionarius Prophetarum siue Prophetiarum.
Pro Exorcistis, Baptisterium, id est liber Exorcismorum.
Pro Acolythis, Ceroferarium, id est Candelabrum cum cereo accenso, & Vrceolus vacuus.
Pro Subdiaconibus, Manipulus, Patena vacua, & calix vacuus, vrceolus plenus vino, & bacilia cum manutergio.
Pro Diaconibus, Stola, Euangelium, & Dalmaticae.
Pro Presbyteris, Casula, Oleum Catechumenorum, Patena cum oblatis, & Calix cum vino.

Pont. Durandi in princ. in Admonitione siue edicto ad ordinandos.

Ioannes Barotius Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Pergamensis & Comes, Vniuersis &

sis & singulis tam clericis quàm laicis, qui hodie per nos intendunt seu cupiunt ordinari salutem & pacem in Domino sempiternam. Ad hoc sumus super vniuersas Pergamenses Ecclesias nobis auctoritate Apostolica commissas, eo disponente, qui cunctis imperat creaturis, & cui vniuersa subseruiunt, licet insufficientibus meritis constituti, vt tales ad ipsas clericos ordinemus, quales eos esse debere sacri canones statuerunt. Nam aliter non modò animæ eisdem Ecclesijs subditæ salubriter minimè gubernantur, verùm etiam nos in pœnas per ipsos sacros canones inflictas incurrimus. Ea propter volentes huiusmodi periculis in quantum possumus obuiare, generalem ordinationem hic ad præsens celebrare intendentes, vos omnes & singulos primò, secundò, & tertiò, ac peremptoriè admonemus, necnon & vobis ac cuilibet vestrum sub pœna excommunicationis & suspensionis ab officijs & beneficijs Ecclesiasticis districtè præcipimus, quatenus vos aut aliquis vestrum se nullatenus ingerat vel accedat ad aliquem Ecclesiasticum Ordinem assumēdum, si in aliquo infrascriptorum casuum se senserit innodatum: cùm nostræ intentionis sit neminem de prædictis ordinari volentibus, ad aliquem Ordinem ordinare; imò quemlibet vestrum sic venientem ab officijs & beneficijs Ecclesiasticis præfata monitione præmissa suspendimus in his scriptis: absolutionibus tamen & dispensationibus infrascriptis in omnibus semper saluis.

Primò si sit hæreticus. Item Simoniacus. Item Schismaticus. Item Apostata. Item seditiosus aut percussor & iniuriarum suarum vltor. Item homicida facto, præcepto, consilio, aut defensione, etiamsi se defendendo Paganum occidit; nisi fortè dormiens, seu furiosus, aut cùm esset infans illud homicidium commisit. Item importunus seu ambitiosus ad Ordines. Item post susceptum Ordinem lapsus. Item ebriosus & generaliter gulæ deditus. Item impudicus, & qui moribus & verbis impudicitiam ostendit. Item litigiosus. Item solenniter pœnitens. Item qui non habet prudentiam sacrarum scripturarum & secularium negotiorum. Item vsurarius manifestus, aut auarus. Item excommunicatus, suspensus aut interdictus ab homine, vel à iure, siue inobediens sanctorum Patrum decretis, irregularis, periurus, infamis, aut notabilibus vitijs maculatus & reprehensibilis, siue criminosus crimine indispensabili, siue etiam dispensabili si dispensationem non habuit. Item inornatus interiùs & exteriùs ornamento virtutum. Item litterarum ignarus. Item indocilis disciplinam correctionis, & sermonem prædicationis. Item si suæ familiæ non est benè præpositus, scilicet qui eam honestè regat, & à vitijs auertens verbo & opere trahat. Item Neophytus. Item seruus vel adstrictus absque sui domini licentia speciali. Item filius Sacerdotis, vel aliàs illegitimè natus, absque sui superioris dispensatione, nisi fuerit Regularis. Item corpore vitiatus, maximè deformis, & qui non casu sed culpa sua vitiatus est: Qui verò non sua culpa sed à Medicis, vel à Barbaris aut Dominis exsecatur, etiam si fuerit claudus, nisi sit nimium deformis, aut ex nimia debilitate de periculo dubitatur, poterit ordinari. Item non potens bibere vinum: quia ministrans debet communicare. Item qui aliquando in furiam insaniuit, vel afflictione diabolica vexatus est. Item arreptitius vel epilepticus. Item qui adultus & sanus distulit baptizari, & postea in ægritudine timore mortis baptizari se fecit. Potest tamen ordinari, si post Baptismum fides & vita eius probabilis fuerit, & hoc raritas clericorum exegerit. Item inuoluntarius, aut inuitus, nisi qui in casu necessitatis promoueri seu ordinari contemnit. Item peregrinus & ignotus, qui est de aliena Diœcesi absque consensu Episcopi proprij, aut licentia Papæ, nisi in Diœcesi fuerit beneficiatus aut domicilium trahat. Item coniugatus, seu existens matrimonialiter obligatus. Item qui non est in proposito castitatem seruandi. Item qui non habet longam sui corporis abstinentiam. Item bigamus, seu qui non virginis, aut viduæ maritus fuit. Item Concubinarius manifestus. Item cuius vxorem euidenter constat adulterium commisisse. Item qui ancillam abiectam meretricem, spectaculis publicis mancipatam, siue repudiatam duxit vxorem. Item Curiales Curiæ alicuius; nisi in causis ciuilibus honesta officia exercuerint, & à Curia sint absoluti. Item ratiocinijs obligatus, sicut sunt Tutores, Curatores, Procuratores, & similes, nisi post dimissum officium. Item patrocinijs obligatus sine patroni consensu. Item minor illius ætatis, quàm quilibet Ordo requirit. Circa quod sciendum est, quòd ante septennium ordinari non debet aliquis: post septennium vsque ad quartumdecimum possunt ordinari ad primam tonsuram & ad minores, excepto Acolytho, qui post quartumdecimum ordinatur. Subdiaconus verò in decimooctauo, Diaconus in vigesimo, Sacerdos in vigesimoquinto, & non absque dispensatione vllatenus ordinantur. Et Episcopus completo trigesimo consecratur. Item fœminæ. Item qui non est nobis aut venerabili Domino Archidiacono nostræ maioris Ecclesiæ legitimè præsentatus, idoneus repertus, & approbatus ad illum Ordinem, ad quem desiderat ordinari. Item qui non habet titulum Ecclesiastici beneficij sufficientis ad vitam; siue sufficiens patrimonium, aut non est professus in aliquo Monasterio regulari. Et generaliter qui

est in aliquo alio casu à iure prohibito irretitus. Mandamus insuper vt nullus ad duos sacros Ordines, aut minores & sacrum, vel aliquo prætermisso per saltum ad aliquem recipiendum Ordinem præsumat accedere. Præterea auctoritate ordinaria ac omni meliori modo quo possumus, quemlibet vestrum ad præsens Ordinem aliquem recipere intendentem, absoluimus ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, quibus esset aliquo modo innodatus, in quantum nobis à iure permittitur super qualibet irregularitate cum quolibet vestrum in quantum possumus secundum Deum & canones dispensantes, & in illis casibus in quibus nobis à iure super irregularitate permittitur dispensare. Et insuper inhibemus, ne quis notarius instrumentum faciat de aliquo ordinato vel ordinando in ordinatione præsenti absque nostri appensione sigilli. Quemcunque verò contrarium attentantem in aliqua sui parte ex nunc canonica monitione præmissa in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus. Et vt præcludatur falsum volentibus fabricare tale instrumentum, decernimus irritum & inane, mandantes vt nemo illo vtatur si pœnas prædictas voluerit euitare. In quorum testimonium præsentes litteras seu præsens publicum instrumentum fieri iussimus, & registrari per Ioannem Franciscum de Saluetis Notarium & Cancellarium nostrum, sigilliq. nostri impressione muniri. Actum & datum in Capella S. Crucis sita in nostro Episcopali Palatio die xv. mensis Decembris, anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo quadringentesimo sexagesimosecundo, Indictione vndecima, Pontificatus Sanctissimi ac Beatissimi in Christo Patris & Domini, Domini nostri Pij Papæ II. anno quinto.

Concil. IIII. Mediolanen. cap. Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis, apud Acta Mediolanen. parte 1.

Item ex edicto de sacra ordinatione ibid. parte 3.

Manuale Salisburgen. de Sacramento Ordinis cap. iiij. vbi aliqua.

16 *Ex Regula Apostolica 1. ad Timoth. 3. A. & ad Tit. 1. B.*

Oportet sine crimine esse post Baptismum. cap. vlt. dist. xxv.

17 *Concil. Trid. sess. xxiij. de reformat. cap. viij. §. Vnusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur.*

Manuale Salisburgen. cap. iiij. §. Præterea ordinandi.

18 *Idem Concil. ibid. cap. iij. Episcopi per semetipsos Ordines conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quàm iam probatos & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant. &*

Cap. viij. §. Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis aut specialis rescripti vel priuilegij prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas & mores Ordinarij testimonio commendentur &c.

Manuale Salisburgen. citato cap. iiij. §. Quòd si quis ab alio.

19 *Concil. Prouinc. Mediolan. iij. cap. Quę pertinent ad Sacramentum Ordinis, apud Acta Ecclesiæ Mediolan. parte 1. §. Proximo autem post illam edicti promulgationem.*

Et apud eadem Acta parte 3. Edicto de sacra ordinatione. §. vlt.

20 *Innocent. III. cap. litteras. de temp. ordinat. &*

Concil. Trident. sess. xxiij. citato cap. 13. §. vlt.

21 *Cap. 1. de fil. presbyt. lib. 6.*

22 *Pont. Rom. Reform. §. Ordinandi omnes.*

23 *Cap. Subdiaconus. Cap. Acolythus. Cap. Exorcista. Cap. Lector. Cap. Ostiarius dist. xxiij. & cap. Perlectis. dist. xxv.*

IHS